This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07438272 6

P. VIRGILII MARONIS

OPERA OMNIA.

VOL. III.

P. VIRGILII MARONIS

OPERA OMNIA

EX EDITIONE HEYNIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

EXCURSIBUS HEYNIANIS

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN TERTIUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A.M

1819.

14028.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER XI.

ARGUMENTUM.

POSTERA die victor Æneas de spoliis Mezentii tropæum Marti erigit; Pallantis mortui corpus magno apparatu ad Evandri urbem remittit, ubi summo patris luctu excipitur. Latini oratores duodecim dierum inducias ab Ænea obtinent, et interim uterque exercitus cadavera suorum supremis honoribus prosequitur. Venulus, e Diomedis urbe redux, nullam inde spem esse auxilii, Latinis refert. Latinus rex, ea spe destitutus, convocato concilio, legatos ad Æneam de pacis conditionibus mittendos censet. Addit Drances huic regis sententiæ multa in Turnum belli auctorem convitia: quæ Turnus amare, sed animose, refellit: paratum se professus singulari cum Ænea certamine commune periculum redimere. Iis ita rixantibus nuntiatur, Trojani exercitus expeditos equites planis itineribus Laurento imminere, Æneam cum reliquis copiis per loca montibus impedita eodem contendere. Turnus cognito Æneæ consilio suas etiam copias bifariam dividit: equites sub Camilla et Messapo Trojanis equitibus opponit; ipse cum ceteris montium angustias occupat, ut Æneam opprimat insidiis. Diana mortem Camillæ prævidens, cum eam impedire non possit, saltem ultioni providet; dimissa e cœlo Nympha Opi, quæ

percussorem illius interimat. Commisso equestri prælio Camilla ab Arunte occiditur, Aruns ab Opi. Camillæ nece consternati Rutuli fugam arripiunt. Cujus calamitatis nuntio ad Turnum perlato, is relictis, quas insederat, angustiis, auxilio suorum accurrit. Eodem subsequitur Æneas: imminente jam nocte, castra utrique ante urbem collocant.

OCEANUM interea surgens Aurora reliquit.
Æneas, quanquam et sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est,
Vota Deum primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias; tibi, magne, tropæum,

Interim Aurora oriens deseruit mare. Æneas victor, primo mane reddebat vota Diis: quamvis et urgeat solicitudo dandi tempus sociis tumulandis, et animus turbatus sit morte Pallantis. *Defigit in colle quercum excelsam, ramis circum amputatis: et imponit* ei *arma splendida, spolia ducis Mezentii:* quod erat *trophæum tibi* sacrum, o *magne Deus belli: accommodat* quercui *cristas stillantes*

2. *et* abest nonnullis Pier. et Heins., etiam edd. vett. *humandi* Zulich.—3. Julius Sab. ad h. v. "Apronianus legit: *mens turbata præcipitat funera.*" Spectat hoc eo, quod in Mediceo legitur: *funera;* sic quoque Exc. Burm., perperam.—6. *Consistunt* Goth. tert., perperam et hoc. Truncum quercus amputatum statuit, constituit, Æneas in tumulo.—7. *eximias* Franc. *trium-*

NOTÆ

1 *Oceanum, &c.*] Noctem, quæ prælium secuta est, non describit: quo nomine perperam carpitur a Donato, in Eunuchum Terentii: nam, ut ait Servius, 'quæ naturalia sunt, omnibus per se patent..' De *Aurora*, pro die, Æn. VI. 535. Ge. I. 249.

4 *Primo Eoo*] *Lucifero*, stella Veneris; quæ mane ante ortum Solis apparet, diciturque tum *Eous*, ab ἠὼς *Aurora;* sero Solem cadentem subsequitur, tumque vocatur *Vesper*, Ecl. VI. 86. Porro Æneas vota exequitur antequam funus curet: quia polluti credebantur, et Deorum sacris inepti, qui funera attigerant: Æn. VI. 227. in Notis.

7 *Tropæum*] Græcis τρόπαιον, a τροπὴ, *fuga:* hoc autem a τρέπω, *verto;* vertuntur quippe qui fugiunt. Unde doctissimi Grammatici *tropæum* Latine scribendum existimant, non *trophæum*. Tropæa vero editissimis in locis constitui usuvenit: sic Pompeius devictis Hispanis posuit in Pyrenæis jugis. Fiebant vel ex immani trunco arboris, quem armis circumvestiebant, ut corporis loco esset; vel ex acervo et cumulo spoliorum, &c. De *Marte*, bellorum Deo, Ecl. IX. 12.

Bellipotens; aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clypeumque ex ære sinistræ
Subligat atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri; timor omnis abesto,
Quod superest; hæc sunt spolia, et de rege superbo
Primitiæ; manibusque meis Mezentius hic est.

sanguine, et spicula hominis fracta, et loricam appetitam et apertam duodecim locis: et annectit lævæ parti *clypeum ex ære, et suspendit collo gladium* manubrio *eburneo. Deinde sic exercitus hortatur socios exultantes: nam omnis turba ducum circumstabat eum densa:* O *socii, res maxima perfecta* est: *omnis metus abiit. Quantum ad reliqua: hæc sunt spolia et primitiæ de feroci rege* Turno: *et hic*

---

plum Goth. tert. pro var. lect. pr. Hamb.—8. *roranti* Goth. sec., sicque Rom.—9. *Truncaque tela* Goth. tert. *virum* Lutat. ad Stat. II Theb. 710.—10. *Effossumque* Dorvill. *sinistra* aliquot Heins. *sinistris* vel *sinistra* Gud.—11. *eburneum* Gud. a m. sec., applaudente Heinsio.—12. *Cum s.* Carisius lib. IV citat.—*omnis constipata* Goth. tert.—14. 15. Mutavi hic Heinsianæ recensionis interpunctionem, quæ manifeste sententiam vitiabat: *Maxima res effecta viri. Timor omnis abesto. Quod superest: hæc sunt* etc. Imo vero jungenda: *timor omnis abesto*, quod id attinet, *quod superest*, (κατὰ) τὸ λεῖπον τοῦ πολέμου. Quæ sequuntur: *hæc sunt spolia*, illustrant illa: *maxima res effecta.*—15. *et* deest Ven. et sec. Rottend. Alii apud Heins. distinguebant: *et de rege superbo Primitiæ manibusque meis: Mezentius hic est.* Parum scite.—16. *manibusque meis Mezentius hic est.* Paulo durior est oratio verborum junctura: *meis manibus Mezentius hic est*, talis est, mea virtute huc est redactus: quod de eo superest, hoc *est.* Supra IX, 481. *Hunc ego te, Euryale,*

NOTÆ

9 *Tela trunca*] Quæ in Æneam a Mezentio projecta, et clypeo recepta atque infixa magno numero fuerant, Æn. X. 887.

10 *Perfossumque*] Duo tantum vulnera Mezentius ab Ænea acceperat: alterum in inguine, Æn. X. 785. alterum in jugulo, ibid. 907. Unde igitur duodecim illa thoracis foramina? Suspicatur Servius eum ab Etruscis infensis post mortem fuisse multis ictibus appetitum: ut fuit Hector, ut Tydeus. Oraverat tamen moriens Mezentius Æneam, ne suorum odiis eum objiceret. Numerum autem *duodenum*, pro quolibet incerto numero, a poëta positum puto.

11 *Eburnum*] Quia vel vagina, vel manubrium, erat ex ebore.

13 *Ovantes*] Exultantes ob victoriam. Æn. III. 189.

16 *Primitiæ*] Primi fructus belli in Turnum suscepti, quos pius Æneas Marti dedicat: ut solebant primitiæ frugum, aut primi gregum fœtus Diis sacrari. *De rege superbo*] Turnum explico, non Mezentium: non enim hæ erant Mezentii primitiæ, sed spolia omnia. *Hic est*] Servius *hic* pronomen putat, et explicat *talis*: quasi diceret: Hic tantus tamque formidandus hostis, nunc talis ac

Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe præsumite bellum;
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Annuerint Superi, pubemque educere castris,
Impediat, segnisve metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait; egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis

jacet Mezentius mea manu. Nunc nobis eundum est *ad regem et urbem Latinam. Parate arma, et* cum *animo ac spe desiderate pugnam: ne ulla mora detineat* vos *imparatos, et* dubia *sententia retardet pigros* præ *timore; cum primum Dii permiserint* nobis *eruere signa* e terra, *et emittere juventutem* e *castris. Interim tradamus terræ socios et cadavera insepulta: qui honos unicus superest iis* qui sunt *sub profundo Acheronte. Ite, inquit: donate ultimis honoribus animas* illas *insignes, quæ emerunt nobis hanc regionem suo sanguine: et Pallas primus reduca-*

---

aspicio. Nunc *tropæum* ostenditur, Mezentii armis indutum, quod Mezentium esse ait. Hoc acumen veteribus, saltem Maroni, placuisse, inf. v. 173 docet: *Tu quoque* (Turne) *nunc stares immanis truncus in armis;* tu quoque nunc esses tropæum. *in manibusque* Voss. *hicc' est* monet legendum esse Marius Victorinus in Grammatica. vid. Heins. ad II, 654. Pro adverbio *hic* accipiunt nonnulli, minus bene: nec melius succedit, si quis cum Cerda titulum imaginis animo cogitet.—17. *Tunc* duo Burm.—18. *Arma parate animis.* Aut hypallage est, inquit Servius, pro *armis parate animos*, aut certe est mutanda distinctio, ut sit: *Arma parate: animis et spe præsumite bellum.* Atque hoc probat Burm., non enim satis eleganter dici, *animis parare* arma. Tantilli erat videre, *arma* esse pro pugna dicta: pugnam autem parare animo, esse exquisitius dictum, quam quod solenne est: parare animos ad pugnam.—19. *Ne qua hora* Goth. tert. *avellere* præscriptum est ab Heinsio: reperio id exaratum in una Ald. pr. Nam altera 1505 consentit in *vellere*, quod ubique editum video. Et id Servius interpretatur. *evellere* Dorvill.—20. *Adnuerent* Rom. *Adnuerunt* Leid. *Annuerant* ed. pr. Burm. *pubesque* Ven. *puppem inducere* Goth. tert.—21. *segnisque* Heins. e libb. (sicque jam Ald. tert.) pro vulgari: *segnesque.* At porro Medic. *segnisve*, nec aliter Rom. *signisve.* Hoc itaque cum Brunckio reposui. Alii *segnique;* edd. vett. aliquot: *segnesque metus.*—23. *est* abest Rom. et aliis Pier., uni Heins. et ed. pr. Burm.—24. Servius: "Vitiose in media oratione *ait* positum Critici notant." Satis indoctos illos fuisse necesse est: cum adeo frequens hæc sit verbi: *inquit; ait*, iteratio. Aliter Burm. rem expedit: ut nunc ad milites aut famulos se convertat. *egregiasque* Ven. *qui* Macrob. et Schol. Horat. ap. Heins.—25. *pepigere* Bigot. *et decorate* Oudart.—28. *et f. vertit* Vratisl.—Versus idem

NOTÆ

tantillus est, umbra tantum et inane simulacrum. Ego *hic* adverbium malo.

19 *Vellere signa*] More Romanorum, qui in castris humi defigebant signa: quæ si deinde ad pugnam ituri facile evellerent, bono ducebant omini; si difficile, malo.

23 *Honos Acheronte sub imo*] Qui enim carebant honore sepulcri, despecti apud Inferos, et vagi centum annos errabant. Æn. VI. 325. *Acheron*, Inferorum fluvius, hic pro Inferis acceptus, ibid.

Muneribus; mœstamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Sic ait illacrymans, recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit; sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulumque manus Trojanaque turba
Et mœstum Iliades crinem de more solutæ.
Ut vero Æneas foribus sese intulit altis;
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt

tur in urbem tristem Evandri: Pallas, *quem non inopem virtutis funesta dies eripuit et extinxit nece aspera. Sic dixit plorans, et refert pedem ad portam, ubi senex Acœtes custodiebat depositum cadaver Pallantis mortui,* Acœtes *qui prius fuit armiger Evandro Arcadi; sed jam non venerat tam faustis ominibus comes addictus dilecto alumno. Circumstant omnes, et turba famulorum, et multitudo Trojanorum, et Trojanæ tristes passis capillis juxta ritum. Postquam vero Æneas ingressus est portis sublimibus; emittunt ad astra magnum gemitum pectoribus*

sup. VI, 429 occurrebat.—29. *et lacrimans* ed. pr. Burm.—30. *exanimum* aliquot Pier. *exanime* Bigot. *postum* Bigot. *exanimum positi* conj. Heinsius et olim viri docti ap. Cerdam, perperam. *Acetes* vulgg., item *Acetas, Acestes.* Est Ἀκοίτης.—31. *Parrhasio Evandro.* Prosodia docet non *E-vandro* (sic enim prima brevis esset) sed *Ev-andro* pronuntiandum esse. Ita *Ev* longa est syllaba, et versus spondaicus; nisi *Eŭ-* pronuntiare malis.—34. *Circa* Leid. et sec. Moret. *omnis* e Pier. et suis reposuit Heins., ut nunc sit: *omnis manus.* Alii *omnes. Tr. pubes* qu. Moret.—35. Idem versus sup. III, 65. *mœstæ* editum erat in vulgg. ante Heins., qui secundum Pierium e codd. vetustioribus (inter quos et Medic. et Rom. est) retraxit *mœstum:* quod elegantius est, et in vett. edd., quas in manibus habeo, occurrit omnibus. Videtur primus mutasse Ald. statim ed. pr. Displicet vox versu hinc quarto repetita.—36. *tectis sese* Schol. Statii Theb. VI, 39. *sese impulit* pr. Hamb.—37. *tonsis*

NOTÆ

26 *Evandri ad urbem*] *Pallanteum,* Æn. VIII. 51.

29 *Ad limina*] Ad januam quippe domus producebantur defunctorum cadavera. Æn. IX. 486. Ceteras vero funerum ceremonias descripsimus Æn. VI. 215. et sequentibus. Videtur Æneas, confecto prælio fugatisque hostibus, in urbem ingressus suam, in ea noctem duxisse. Eo etiam illata ante noctem fuerant principum virorum cadavera, præcipue Pallantis: quod insigni aliqua in domo depositum invisit summo mane Æneas: indeque deductam funeris pompam extra urbem prosequitur.

31 *Parrhasio Evandro*] Arcadi. Æn. VIII. 344.

35 *Iliades, &c.*] De more solvendæ comæ in luctu, Æn. I. 484.

Pectoribus, mœstoque immugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, lævique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lacrymis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam: cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acres esse viros, cum dura prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis.
Nos juvenem exanimum, et nil jam cœlestibus ullis
Debentem, vano mœsti comitamur honore.

perculsis, et insonuit aula tristi fletu. Ipse Æneas, *postquam aspexit caput candidi Pallantis sustentatum, et* ejus *faciem, et plagam mucronis Itali apertam in molli pectore, lacrymis erumpentibus sic loquitur: O deplorande juvenis, an fortuna, cum prospera accederet* ad me, *eripuit te mihi; ut non videres imperium nostrum, neque victor reducereris ad urbem paternam? Non hæc dederam de te promissa patri* tuo *Evandro,* cum ab eo *abii; cum amplexus me abeuntem, dimitteret* me *in magnum imperium* Etruscorum; *et timens admoneret* me, Latinos *homines esse asperos, bellum esse* mihi *cum forti natione. Et nunc quidem ille, delusus spe admodum vana, foram etiam concipit vota* pro te, *et onerat aras muneribus:* dum *nos tristes prosequimur inutili honore juvenem mortuum, et jam nullatenus subjectum*

scribunt multi. *tusis* pr. Moret. *tollit* sec. Hamb. et Erf.—38. *immugiit* Mentel. pr. et sec. cum Exc. Burm.—39. *niveum* Goth. tert. *fulcum* pr. Moret. et alter Hamb. *vultum* Leid. pro var. lect.—40. *lenique* Oudart. *in corpore* pr. Moret.—41. *sic fatur* duo Burm.—42. *cui l.* Hugen., male.—43. *f. tibi* Zulich. a m. pr. *ne r. venires* alter Hamb. a m. sec.—46. *dederim* a pr. m. Dorvill. *compressus* Vratisl.—47. *moveret* Parrhas.—48. *d. in prælia* Medic. a m. sec., quod se non intelligere fatetur Heins. Scilicet putavit Apronianus dictum a poëta: *gentem duram in prælia,* ut virum in pugnam acrem pro, ad pugnam, dicimus. *ad prælia* Leid.—50. *Forset* esse posse Servius putabat: *Forsit* nonnulli ap. Pier., qui tamen cum Fabric. et Heins. ac Burm. satis firmat vulgatum *Fors et.* Erat quoque ap. Pier. in libb. *Sors et,* solenni errore.—51. *exanimem* edd. vett. aliquot et codd. apud Pier., inter quos Rom.—52. *comitamus* pr. Moret. *comitantur* duo Burm. cum Goth.

NOTÆ

39 *Fultum*] Sustentatum suppositis vestibus, tapetibus, &c. De *Ausonibus,* Italis, Æn. VII. 54.

47 *Mitteret in imperium*] Ad Tuscos, quibus regem petentibus Evander Æneam miserat, Æn. VIII. 475. 551.

51 *Nil jam cœlestibus, &c.*] Vivi subditi sunt superis Diis, mortui inferis.

Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus, expectatique triumphi?
Hæc mea magna fides? At non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrymis; solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii crates et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.

Diis *ullis superis.* O *miser, spectabis mœstum funus filii. Hi* sunt *nostri reditus, et triumphi sperati; hæc magna mea confidentia! Tamen,* o *Evander, non videbis eum cæsum plagis indecoris: nec, filio* turpiter *salvo, optabis tibi mortem acerbam. Hei mihi! quantum amittis tutamen,* o *Italia! et quantum tu,* o *Iule! Postquam hæc flens dixit, jubet cadaver deplorabile auferri, et mittit mille viros electos ex universo exercitu, qui prosequantur pompam ultimam, et adsint luctui patris:* quæ sunt *solamina parva magni doloris, tamen debita infausto patri. Alii non tardi componunt crates et flexile feretrum,* e *ramis arbuteis et virgultis querceis: et tegunt lectum* illic *collocatum umbraculo foliorum. Illic constituunt juvenem excel-*

tert., inscite. *amore* Oudart. *ab ore* a pr. m. pr. Moret.—53. *funus nati* Rufinian. de Schem. Lex. *vulnus* Parrhas.—54. *Hic* Goth. pr. *exoptati* Rom. cum Goth. sec. et Menag. pr.; vulgatum confirmat P. Burmann. Sec. Antholog. Lat. T. I, p. 163.—55. *Hæc mora* pr. Moret. *pudendus* Franc.—56. *passum* idem Franc. et pr. Hamb. Wakefield tentabat *fusum*. *non* Ven. *ne* duo alii. *durum* itidem duo cum Medic. Pierii. *diro* Exc. Burm.—57. *Obstabis* Rom. *funus nato* Goth. tert. *Heu* multi. *Ei* alii. *Et* Rom.—58. *et* abest ed. pr. Burm. *Juli* Rom.—59. *Heu ubi* alter Hamb. *dicta deflevit* Rom.—60. *ex ordine* Rom. *mitti* Goth. tert., quod placere potest.—61. *comitantur* aliquot Burmann. —65. *Arboreis* Ven.—66. *obumbrant* Oblong. Pierii et Leid. conf. IV Ge. 20.

NOTÆ

55 *Fides*] Qua confidebam victorem Pallanta redjturum.

Pudendis Vulneribus] A tergo illatis; quæ fugacem notent, tibique mortem optabilem reddant, ne dedecus nati aspicias. *Ausonia*, Italia, Æn. VII. 54.

64 *Crates et molle feretrum, &c.*] De illo feretro, in modum cratis, Æn. VI. 218. in Notis.

65 *Arbuteis, &c.*] *Arbutus*, arbor in deliciis veterum, *arboisier*, Ecl. III. 82. apta fuit cratibus, quare Ge. I. 166. 'Arbuteæ crates.' *Quernum vimen:* virgultum, sive ramusculus, e quercu.

Hic juvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi;
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit;
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tunc geminas vestes, auroque ostroque rigentes,
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro:
Harum unam juveni supremum mœstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu:
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci.

sum in strato rustico: qualem constituerent *florem, sive teneræ violæ, sive languentis hyacinthi, decerptum pollice puellæ; cui nondum splendor, nondum sua pulchritudo periit; nec tamen terra parens jam nutrit, et sufficit* ei *vires. Tum Æneas exportat vestes duas, asperas auro et purpura, quas ipsa Dido Sidonia ei olim elaboraverat gaudens* illo *labore, et distinxerat textum auro subtili. Induit tristis unam illarum juveni,* quasi *ultimum ornamentum; et tegit capillos comburendos* altera, quasi velo. *Præterea accumulat plurima dona prælii Laurentini, et imperat spolia*

—67. *Hinc j.* Ald. pr. et aliæ edd. *in stramine* passim vulgg., sed abest codd. Pier. et Heins., itaque sublatum ab Heinsio.—68. *virgineum* Goth. pr. *demissum* Gud. a m. pr. *decissum* Dorvill. a m. sec. *messum de pollice* Servius ad II Ge. 274. *poplite* Ven.—70. *nondum* Ven. *nec non* pr. Hamb. *sua fama* Hugen.—71. *Nec jam* Dorvill. et Goth. tert. *Jam non* Leid.—72. *Tum* Heins. e codd. pro *Tunc*. Tum alii scripti et edd. *ostroque auroque*. Non video, quid intersit. Sed vetustiorum codd. lectio recte servata est.—73. *læta bonorum* apud Rufinian. de Schemat. Lex., quod ornari potest a novatore: est, quæ abundabat hinc copiis et opibus.—74. *manibus quondam* aliquot Heins. et Burm.—75. *Texerat et* Ven.—76. *juvenis* Rom. *supremo m. honore* Parrhas., quod pro interpretatione esse potest. *supremus* sec. Menag.—77. *hirsutasque*

NOTÆ

67 *Stramine*] Vulgo, *stramen* accipitur pro culmis et paleis et frondibus, quæ pecori substernuntur. De *viola*, Ecl. II. 47. De *hyacintho, glaïeul*, Ecl. III. 63.

69 *Languentis hyacinthi*] Sæpe Virgilius finalem syllabam natura sua brevem producit, sequente litera H. ut hic. Ut Æn. X. 126. 'Et Clarus et Hæmon.' Ibid. 720. 'linquens profugus hymenæos.' Ut Æn. VII. 398. 'Turnique canit hymenæos.' Ut Æn. IX. 418. 'dum trepidant, it hasta Tago.'

72 *Ostro*] Purpura, ex ostreo expressa, Ge. II. 506.

74 *Sidonia Dido*] Ex Phœnicia, Æn. I. 450.

78 *Laurentis pugnæ*] Laurentino in littore commissæ. Æn. VII. 63.

Addit equos, et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam;
Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur et toto projectus corpore terræ.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus

portari longa serie. Addit equos et tela, quæ ereptaverat hosti. Alligaverat quoque manibus post dorsum eos, quos pater *dimissurus esset* ut *inferias umbris filii, irrigaturos rogum suo sanguine; et imperat ipsos duces portare arbores vestitas armis hostium, et nomina hostium inscribi* arboribus. *Miser Acœtes obrutus annis ducitur, nunc turpans pectus pugnis, nunc vultum unguibus: et sternitur humi profusus toto corpore. Trahunt quoque currus rigatos cruore Rutulorum. Deinde Æthon, equus bellicus, depositis ornamentis, incedit plorans, et rigat caput longis guttis. Alii portant hastam et cassidem* Pallantis: *nam victor Turnus possidet*

---

comas Ven.—80. *spoliaverit* Dorvill.—82. *sparsurus* aliquot Pier., inter quos Rom., tum Medic. Gud. et alii Heins. (ne addam Goth. pr.) cum vetustioribus Macrobii VI, 6. Sane *sparsuros*, quod inde ab Aldo in pr. editum, elegantius est: alterum tamen codicum auctoritate nititur; qua sane in his standum videtur, ubi quæritur, quid poëtæ, non quid nobis arriserit. Prætulit quoque Wakef. *sparsurus* Montalb. et Franc. *flammas* alii, et utramque Erf. *flammam* Heins. e Rom. Gud. Memg. pr. recepit; adde Goth. pr.; et recte consuluit auribus.—83. *Indutosque* Gud. a m. pr.—84. *figi* duo Burm. cum Rom.—85. *Acetes, Acetes*, etiam hic. *Aletes* apud Macrob. IV, 3. cf. sup. ad v. 30.—87. *prostratus* alt. Voss. et pr. Hamb. *dejectus* Oudart. *projecto* Gud. sec.—88. *Ducitur et* Goth. sec. *perfusus* sec. Rottend. *perfossos* a m. sec. Bigot. *cursus* Hugen. *cultus* Zulich.—90. *Illacrimans* Goth. sec.—91. *gerunt*

NOTÆ

81 *Umbris Inferias*] Octo juvenes, in pugna captos; ut ad regum immolarentur, *inferrenturque* quasi dona tumulo, Æn. X. 519.

83 *Truncos*] Minora tropæa, quæ manibus præferrentur: supra 7.

88 *Currus*] Pugnabant enim sæpe viri principes in curribus: ut *Niphæus*, Æn. X. 570. et paulo post, *Lucagus*.

89 *Positis insignibus, Æthon*] Equi Pallantis nomen, quod uni ex Solis equis ab Ovidio tribuitur, ab *ether*, æro vel *ardeo*. *Insignia* equi, sunt *phaleræ*, Æn. v. 310. *monilia*, et *stragula picta*, Æn. VII. 277. 278. *Lacrymans*, more equis satis vulgari: ut in humanum doloris affectum transire sæpe videantur.

91 *Cætera*] Ergo clypeum, ensem, sed præcipue balteum, abstulit Turnus, Æn. X. 496.

Victor habet. Tum mœsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,

reliqua arma. *Postea tristis turma sequitur, et Trojani, et ductores Etrusci, et Arcades conversis hastis. Postquam tota series prosequentium* funus *longe transiit, Æneas constitit, et ejecit hæc alte gemens: Eadem aspera sors belli nos appellat hinc ad alios fletus. Salve* in *perpetuum mihi*, o *Palla maxime, et vale* in *perpetuum. Nec locutus plura, ibat ad muros excelsos, et referebat pedem in urbem. Et jam oratores venerant ex urbe Latini* regis, *tecti ramis olivæ, et petentes* hanc *facultatem:* ut *redderet cadavera, quæ jacebant ferro strata per agros; et permitteret* ea

Sprot.—93. *Tyrrhenique omnes* Medic. et codd. Heins. omnes, trinis exceptis. Errorem versus sequens peperit. Sed, si hoc non nisi in uno Mediceo primum est factum, quantum codicum agmen ex eo prodiisse credendum est! Romanus contagio liber est: cum Goth. pr. et tert.—94. *comitum longe* Parrhas. *præcesserat* Rom. et ceteri Pier., cum vett. edd., omnes itidem Heins., uno Ven. excepto, et pro var. lect. Gud. Maluit tamen Heins. alterum, quod in Ald. sec. receptum, retinere tanquam magis proprium. cf. ad VIII, 462; hoc et omnes Goth. præferunt: si modo iis aliqua esset auctoritas. —96. *que* abest Franc. *edidit* Medic. a m. sec. pr. Menag. alter Mentel. Franc. Parrhas. et Goth. sec., quique primo loco memorandus erat Rom., ut adeo hæc verior sit lectio.—96. *Nos aliter* Ven.—97. *Pallas* Rom. et Hugen. cf. ad X, 411. adde h. l. Pier.—99. *Cedebat muros* ed. pr. Burm. *gressusque* Oudart. et Dorvill. *in tecta* ed. pr. Burm. *ferebant* Gud.—100. *Jamque o. adventant ex* Erf., sic saltem del. *ex. de gente Latina* Bigot.—101. *precantes*

NOTÆ

92 *Phalanx*] Proprie agmen pedestre Macedonum, Æn. II. 254. Hic pro quolibet agmine. *Teucri*, Æn. I. 239. *Tyrrheni*, Æn. VIII. 479. *Arcades*, Æn. VIII. 51.

96 *Alias ad lacrymas*] Ad peragenda ceterorum sociorum funera.

97 *Salve. Vale*] *Novissima verba:* quibus a funere discedebant, Æn. VI. 227. in Notis.

99 *Gressumque in castra ferebat*] Ad urbem suam, opere subitario castrorum in morem extructam, Æn. VII. 157. Igitur funus extra urbem comitatus, nunc dimisso funere ad urbem redit.

100 *Urbe Latina*] Laurento, Latini regia, Æn. VII. 63.

101 *Velati ramis oleæ*] *Velati*, non capite, sed manibus; quibus ramos pacificæ arboris oleæ, tænils lanels implicatos, supplices præferebant, Æn. VII. 237.

Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ ;
Nullum cum victis certamen et æthere cassis ;
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur venia, et verbis hæc insuper addit :
Quænam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos ?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremtis
Oratis ? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent ;
Nec bellum cum gente gero ; rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Æquius huic Turnum fuerat se opponere morti.

subire sepulcrum terræ : nullum esse *bellum cum victis et privatis luce* cœlesti : *ignosceret* iis, quos *olim appellaverat hospites et soceros. Illos orantes* ea quæ *non* erant *neganda Æneas clemens donat* illa *facultate, et præterea voce adjicit ista : O Latini, quæ sors immerita vos immiscuit tanto bello, ut recusetis nos amicos ? an petitis pacem mortuis et interfectis casu prælii ? sane cuperem dare illam etiam viventibus. Nec venissem* huc, *nisi fata assignassent* mihi *hanc regionem et* hanc *sedem : nec facio bellum cum gente* Latina. *Rex* vester *abrupit* jura *nostri hospitii, et potius se commisit armis Turni. Justius fuisset Turnum exponere se huic*

Parrhas. Ven. sec. Goth., et ita Serv. x, 31, ducta familia a Romano.—103. *tumulos* Mentel. alt., quod Heins. illustrat. Scilicet *subire, succedere*, dicimur et *urbi* et *urbem ;* igitur res unoquoque loco codicum auctoritate dijudicanda est. *succedere dextræ* Parrhas. a m. pr., perperam ex aliis locis.—104. *Nullum est* Goth. tert. *vinctis* Bigot. *aëre* aliquot Pier. et Heins.—105. *soceris*, et pro var. lect. *sociis* Ven.—106. *aspernenda* Oudart.—107. *Persequitur* Zulich. *Præsequitur* Hugen.—109. *quid nos* duo Burm.—110. *Pacem me* ex præstantioribus Pier. et suis Heinsius, sublata interrogatione, pro vulgg. *Pacemne ;* quod jam inde ab Ald. sec. regnat. Voss. pr. *Pacem quam ex. ;* et Franc. ex librarii stupore *M. s. parentis.*—111. *et* abest nonnullis ap. Ge. Fabric. *vivis equidem* Oudart. *mallem* Pseudodonatus et aliquot Pier.—112. *Non veni* Goth. tert. *ni* Probus lib. I apud Heins. et Goth. sec.—113. *de gente* alter Hamb., male ; non cum Latinis, sed cum rege Latino ait se bellum gerere. *relinquit* Franc.—114. *potius Turni* Goth. tert. *contulit* unus Burm. et in Gud. erasa vetus lectio.—115. *hinc* Ven. *Turno* vett. edd., sed jam emendatum video *Turnum* in ed. Ald. tert., idque firmant codd. omnium auctoritate Pier. et Heinsius, præter Montalb. *se ponere* Oudart. *Marti* Sprot. Bigot. et a m. sec. alter Hamb. Franc. cum Goth. tert. At Marti, pugnæ,

NOTÆ

101 *Æthere cassis*] *Cassus*, privatus : non a *quassus*, ut nugatur Servius ; sed omnino a verbo *careo*.

105 *Socerisque vocatis*] Cum Latinus Æneam in socium, hospitem, et generum accepit, Æn. VII. 263.

114 *Turni se credidit armis*] Non sponte tamen : sed cogente Amata uxore, Æn. VII. 616.

Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat: his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam Deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Æneas. Olli obstupuere silentes;
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
Infensus juveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Justitiæne prius mirer, belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem:
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi. Quærat sibi fœdera Turnus.

morti. Si statuit terminare bellum manu et ejicere Trojanos, decuit eum *pugnare mecum his armis: vixisset* is nostrum, *cui Deus aut virtus sua servasset vitam. Abite jam, et subjicite flammas miseris civibus* mortuis. *Æneas locutus erat: illi taciti obstupuerunt, ac tenebant oculos et vultus inter se obversos. Tum senex Drances, semper infestus odiis et criminatione juveni Turno, sic deinde voce reponit verba: O vir Trojane, fama magne, major factis, quibus laudibus extollam te ad cœlum? an prius admirabor te* ob *justitiam,* an ob *opera bellica? Nos autem memores* beneficii *reportabimus ista* quæ dicis *in urbem patriam: et sociabimus te regi Latino, si aliqua fortuna modum offerat: Turnus quærat sibi* alia *fœdera. Immo delec-*

se objecerat sane Turnus. Servius agnoscit *morti:* ait esse *θεωτικῶς,* quasi jacentes ostendat.—117. *mecum decuit:* hoc ordine meliores Pierii et Heinsii. Vulgo: *decuit mecum. convertere* vel *contendere* cod. Kœler., perperam.—118. *Vixit* Goth. tert., indocte. *Vixet* pro vixisset. *et sua* Menag. pr.—120. *Illi* Dorvill. Goth. tert. cum Rom. *Illi obstipuere* Pier. in omnibus fere invenerat.—122. *sed crimine* Donat. ad Terent. Hec. v, 2, 18. *Drances odiis et crimine semper* Goth. tert.—123. *Infestus* multæ edd. vett., sic et Gud. alter Menag. et duo Goth. *Infensis* Mentel. pr., et *Infensi* Medic. a m. pr. et Hugen.—126. *Justitiane...labore* Rom. et alii Pier. cum Regio. *Justitiane* et *laborum* Priscian. XVII apud Pier. et Heins. *labores* Alcuin. in Grammat. *laborem* nonnulli Heins. et Pier., horum alii etiam *Justitiam* et *laborem.* Voss. *Justitiam primum.* Quæ omnia debentur grammaticorum inscitiæ græcismi: *θαυμάζειν τινὰ τινὸς* (*χάριν, ἕνεκα*) conf. Guell. *bellive* Parrhas.—127. *hoc* duo Burm. *grati* superscriptum *læti* Zulich.—129. *fœdere* Mentel. pr.—131. *sub-*

NOTÆ

118 *Vixet*] Syncope, pro *vixisset.* Sic Æn. IV. 682. *Extinxti,* pro *extinxisti, &c.*

122 *Crimine*] Criminationibus, quibus Turnum semper onerabat, ex odio. Sic Æn. II. 98. 'hinc semper Ulysses Criminibus terrere novis.'

126 *Justitiæne prius mirer*] More Græcorum: apud quos verba *admirandi* et similia nonnulla genitivo junguntur. Sic infra 280. 'memini lætorve malorum.' Apud Horat. Od. I. II. 9. 17. 'Desine mollium Tandem querelarum.'

Quin et fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et, pace sequestra,
Per sylvas Teucri, mixtique impune Latini,
Erravere jugis. Ferro sonat icta bipenni
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinus;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam Fama volans, tanti prænuntia luctus,
Evandrum Evandrique domos et mœnia complet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.

tabit etiam nos, *erigere moles fatales murorum* tuorum, *et portare humeris saxa Trojanæ* urbis. *Dixerat hæc, et omnes communi voce mussitabant talia. Statuerunt* inducias ad *duodecim dies: et pace intermedia, Trojani et Latini confusi absque periculo vagati sunt per montes et sylvas. Fraxinus alta sonat securi utrimque acuta: eruunt pinus erectas ad astra: nec intermittunt secare cuneis quercus et cedros odoratas, nec vehere ornos plaustris stridentibus. Et jam fama, prænuntia tanti doloris, dispersa implet Evandrum, et Evandri ædem atque urbem; quæ* fama *prius narrabat per La-*

---

vestari sec. Moret. Reg. *subjectare* Goth. pr., sed hoc aliud est: conf. Lucret. VI, 700, ubi montes cavernosi *extollere flammas saxaque subjectare* dicuntur. Porro *Trojane* a m. sec. Medic. Montalb. Reg. et Dorvill., perperam; ut *Trojanam urbem, Trojanos muros*, sic *saxa Trojana* dixit. Tandem *juvabat* a m. pr. Gud. qu. Moret. et Franc., ut mox v. 168.—132. *unaque* Goth. pr. *ore ferebant* Goth. tert.—134. *silvam* Medic. *Latinis* Goth. pr.—135. *icta* Heins. e Rom. et aliquot suis reposuit. Vulgg. duce Mediceo *alta;* tum *acta* aliquot Pier. Zulich. pro var. lect., male: cum mox sequatur: *actas pinus.*—136. *evertuntque* Goth. tert. et pr. Hamb. a m. sec. *altas* Dorvill. et Goth. tert. *ictas* pr. Moret. *pinos* Medic. pr. Voss. et al. vid. x, 230.—137. *findere* Gud. a m. sec. *cædere* Ven. *quercum* pr. Moret.—138. *ornus* Sprot.—139. *volat* Bigot. et Goth. tert.—140. *domus* Probus in Grammatica, et sic alter Hamb. Tum *replet* Rom. et reliqui Pier. Medic. a m. pr. et plerique Heins. cum binis Goth. Erf. et vett. edd. Firmat quoque Heinsius; reliquit tamen alterum, *complet*, quod legitur inde ab Ald. pr. quodque ipse præferam. Reposuit quoque nunc Wakef.—141. *Quæ non* ed. pr. Bur-

NOTÆ

133 *Pace sequestra*] *Conciliatrice.* Nam *sequester*, est arbiter inter utramque partem medius, cujus judicium utraque pars *sequitur*. Vel juxta Servium et Donatum, *pax sequestra*, sunt *induciæ:* quæ *sequestræ* sunt, id est mediæ, inter bellum præteritum et bellum futurum.

135 *Ferro bipenni*] *Bipennis*, vel *ferrum bipenne*, securis est, utrimque acuta: a *bina pinna:* est autem *pinna* fastigium quoddam; unde summitas templorum vocatur *pinnaculum*.

137 *Robora*] *Robur*, vel species est durissimæ quercus, vel durum quodlibet lignum, Ge. I. 162. *Olens*, Ecl. II. 11.

138 *Ornos*] *Fraxinos* sylvestres.

Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces. Lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt
Agmina. Quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque hæret lacrymansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti.

tium, Pallanta victorem esse. *Arcades* incipiunt *concurrere ad portas* urbis, *et juxta ritum veterem corripuerunt funebres tædas: iter splendet longa serie flammarum, et late dividit campos. Multitudo Trojanorum adversum veniens conjungit* iis *agmina* sua *dolentia. Quæ quando matres viderunt ingredi domos, commovent clamoribus urbem omnem. At nulla violentia potest cohibere Evandrum, sed currit in medios: feretro deposito, concidit super Pallanta, atque inhæret flens et gemens: ac demum difficile via aperta est voci* per *dolorem: O Palla, non dederas hæc promissa patri tuo:* sed

maun.—142. *Arcadas* Bigot. et apud Serv., sed vitiose. *Arcades et* sec. Moret. *ad portam* ed. pr. Burm. *at portis ruere* multi ap. Serv., non male: etsi eodem redit, seu turba portis ruat in campos, seu ad portas, ut exeat. —144. *disterminat* qu. Moret.—145. *jungunt* e Mediceo et aliis Heins. (adde Colot.) pro vulgari *jungit*, quod Rom. tuetur.—146. *accedere* pr. Hamb. pro var. lect. *tecto* vett. edd., sicque Goth. pr. *tectis* primum intulisse videtur Ald. pr., idque Rom. et Medic. cum aliis tuentur. *succedere muris* aliquot Pier., scil. ex interpretatione.—149. *Pallante* plerique Heins. et a m. pr. Medic., sicque omnes Goth. et Erf. Tumque esset vel: *super Pallante, feretro reposito;* vel: *super Pallante reposito* in *feretro*. *Pallanta* in Mediceo Aproniani emendatio est. conf. Jul. Sab. Sed forte fraudem fecit ignorata vocis *reposto* significatio h. l. pro deposito, posito simpliciter.—150. *Procubuit* perpetua lectio edd. inde ab Aldo e Medic. et aliis firmata ab Heins. *Procumbit* Rom., quod Pier. commendaverat, et Commelin. e Palat. intulerat, iterum revocatum a Burmanni operis et Pulmann. aut alia Elzev. *hærens* aliquot Heins. cum Goth. tert.—151. *Ut via* aliquando malebat Heins., sed *et* Maroni sic frequentatum. *mox tandem* Zulich. a m. pr. *vocis* Rom. et Medic. ac Gud., adeoque vetustissimi codd. Heinsius etiam argutius quid suspicatur: *Et via—rocis laxata dolori est.* Aberat *est* Ven.—152. 153. Si vera hæc est lectio et interpunctio, quæ vulgo habetur: *Non hæc dederas promissa parenti, Cautius ut savo velles:* invita ratione grammatica dictum est: *promittere ut.* Ruæus non male supplet: *sed fore* ut. Possit quoque aliquis supplere: *parenti*, cum ego te monerem, *ut velles.* Sed tum præstitisset statim scribere: *non hæc d. p. monenti, Cautius ut s. v.* Ineptit Servius: nil vident Cerda et ceteri. Unus Faber alterum jubet versum sejungere a superiori, et expli-

NOTÆ

147 *Incendunt*] Metaphora, pro *concitant*, Æn. IV. 360.

148 *Potis est*] Æn. III. 671. *Ferocitrum*, Æn. VI. 218.

Cautius ut sævo velles te credere Marti!
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis miseræ! bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita Deorum
Vota precesque meæ! tuque, o sanctissima conjux,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec, quas

fore *ut velles te committere duro Marti circumspectius. Non eram nescius, quantum valeret nova* cupiditas *gloriæ in bello, et jucundus* ille *honor in prima pugna. O primi conatus juvenis infelices, et acerba experimenta belli vicini, et vota precesque meæ* a *nullo Deorum auditæ! et tu, o sanctissima uxor, felix* per *mortem tuam, nec superstes ad hunc luctum! contra ego vivendo excessi mea fata, ut pater restarem superstes* filio. Si *Rutuli obruissent me telis* eo quod *junxi societatem belli* cum *Trojanis, ipse* libens *amisissem vitam;* et *hæc pompa reveheret domum me, non Pallanta. Nec incusabo vos,* o *Trojani, nec fœdus, nec quas manus sociavimus* per

care: *utinam vero voluisses cautius te credere Marti!* Ita *velles* pro volnisses. Præstaret saltem sic: *Cautius at velles.* In Servianis traditur: "Alii non *parenti* sed *petenti* legunt:" quod etsi ab indocto grammatico perperam exponitur, tamen omni difficultati occurrit, et merito ipsi Heinsio concinnius videbatur: *petenti* mihi, *ut velles.*—153. *aut sævo* Rom. *te cr. bello* Goth. tert. —154. *Haud ignarus enim* Hamb. pr., non illepide. *nova gaudia* cod. Thuan. ap. Macrob. IV, 6.—155. *p. in certamine* Ven. et qu. Moret. *possit* aliquot Burm. et Goth. pr.—157. *Clara r.* sec. Rottend. *n. e. priorum* sec. Hamb. —160. *vixi m. f.* Menag. pr. *vinci* vel *vinco* Montalb. *factu* Zulich.—161. *secutus* pr. Menag.—162. *Obruerent Rutuli: telis a. i. dedissem* distinguunt aliquot codd. Heins. *Obruerint* Exc. Burm. *Obruerunt* Hugen. *telis Rutuli* Sprot. *telis R. et* Franc.—163. *Pallante* pr. Mentel. *non P. dedisset* Leid. et a m. sec. Zulich. cum Reg.—164. *Non vos* pr. Hamb. *arguerem* aliquot Pier.

NOTÆ

156 *Primitiæ*] Supra 16. *Belli propinqui:* vel inter finitimos et propinquos populos, ita ut ab eo abstinere non potuerim: vel imminentis, cujus mors Pallantis præludium est.

160 *Vici mea fata*] Superavi naturalem ordinem, longiore vita. Fatum enim esse videtur, ut pater ante filium moriatur.

161 *Troum socia, &c.*] Si peccavi inita cum Trojanis armorum societate; solus plecti a Rutilis debui, solus animam effundere. *Obruerent*] Supple *utinam*, aut *si:* ut Æn. VI. 31. 'Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.' *Volscorum*] Gens fuit Latinis et Rutulis contermina ab oriente, Æn. VII. 803. *Latium*, Æn. VII. 54. *Phryges*, Trojani, Æn. I. 385. *Tyrrheni duces*, Æn. X. 164. *Tropæa*, supra 7.

Junximus hospitio, dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ. Quod si immatura manebat
Mors natum: cæsis Volscorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Æneas, et quam magni Phryges, et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis:
Esset par ætas, et idem si robur ab annis,

hospitium: calamitas ista debita erat meæ senectuti. Tamen si mors immatura destinata erat filio: oportebat eum *mori inducentem Trojanos in Latium, occisis prius* multis *millibus Volscorum. Ego vero,* o *Palla, non honorabo te alia pompa; quam pius Æneas, et quam illustres Trojani, et quam ductores Tusci, et omnis exercitus Tuscorum.* Illi *portant magna trophæa,* ex iis, *quos tua manus demisit morti. Tu etiam,* o *Turne, stares jam grandis truncus* vestitus *armis: si par fuisset ætas,*

et a m. pr. Gud. *arguero* Goth. sec.—165. *dextræ* Gud. a m. pr. *fors* Zulich. *illa* edd. ap. Pier.—166. *matura* Franc. et Goth. tert.—168. *in Latio* duo Burm. *juvaret* Rom., tum Medic. Gud. a m. sec. et Ven. cum Goth. tert. Ita sensus esset hic: Quodsi—juvaret saltem hoc, si non ante cecidisset filius meus, quam Teucris in Latium ductis, eorum rebus ac sedibus firmatis. Nunc *juvabit* est pro juvet, juvato, pro solatio esto.—169. *dignem te* alios legere narrat Servius, per archaismum: *dignor* Sprot.—170. *Phryges* græce extulit poëta, *Φρύγες*: alias ultima corripi non posset. *et quod* sec. Menag.—171. *Tyrrhenumque* omnes vett. edd., quod quidem constat; grammatica sane ratione id postulante, sed cum versus vitio; hinc *Teucrum* Musonius conjiciebat, *Turnumque* Ven. Sed codd. fere omnes *que* excludere testantur Pier. et Heins., et primum sublatum *que* video in Commelin. Pro insititio habeo totum hoc: *et quam T. d.....omnis.*—172. *ferant* Rom. et alii Pier. ed. pr. Burm. Gud. et aliquot alii Heinsii, quod ei non damnandum videtur: etsi sententiam non explicat. Hunc versum Ortuinum confodisse, narrat Burm., et spurium haberi atque a codd. nonnullis abesse Taubmannus tradit. A Pierio tamen et Heinsio nil monitum. In margine autem ed. Ven. 1544 legitur: Versum hunc non habet codex vetustus. Neque sane Virgilianus esse videtur, saltem non satis elaboratus; etsi eo carere sententia vix potest.—173. *in arvis* malit Heins., quia statim v. 175 *armis* recurrit. Non assentiar: nam *trunci in armis* docte sunt *trunci hostilibus armis induti:* ut v. 83; h. e. tropæa. —174. Est vir doctus, qui hunc versum expunctum esse malit, ut sit sententia: *cum istis tropæis etiam tuum tropæum, o Turne, hic jamdudum astare deberet;* ut sit tacita exprobratio Trojanorum, qui vindictam de Turno nondum sumserant. Bona sententia; nisi poëtæ alia placuisset. *idem sit* ed. Ald. et Junt., quod corrigit Pierius et Nauger. Ald. tert. *robor* Mentel. pr. et codd. Pier. *ab armis* Franc. et Zulich. a m. pr. *in annis* Montalb. Dorvill. et Exc.

NOTÆ

174 *Esset par ætas*] Aut mihi, aut fuit, quam ut te vinceret. nato: sed ego senior sum, natus junior

Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis? 175
Vadite, et hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera causa tua est; Turnum natoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. Non vitæ gaudia quæro; 180
Nec fas; sed nato Manes perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam

et vis æqualis ab ætate. Sed miser, cur cohibeo Teucros a *pugna? abite, et memores reportate regi* vestro *hæc* mea *dicta:* O Ænea, *si sustineo adhuc vitam odiosam occiso Pallante; dextera tua causa est,* cur id faciam: dextera, *quæ,* ut *intelligis, debet Turnum et filio* Pallanti, *et* mihi *patri,* qui ambo id *meriti* sumus: *unicus hic modus* solandi me *restat tibi et fortunæ. Non cupio gaudia vitæ, nec licitum* est: *sed* cupio *ferre* hæc gaudia *filio ad profundos Inferos. Interim Aurora red-*

Burm. cum Goth. sec. *in armis* Goth. tert.—175. *quod* Leid. *qui* uterque Hamb. a pr. m. *cur* ed. Mediol. *quo* conj. Heinsius. *arvis* Rom. Idem vir doctus malit *Teucros quid demoror ultra.* Ut III, 480 *quid ultra Provehor.* Ita variatur oratio; non vitium tollitur, quod nullum inest. Nam *demoror armis* est, ab armis; moram facio, ne arma capiant et in Turnum excurrant.—176. *Audite* Rom. *regi memores* Leid.—177. *Quod visam* Parrhas. *invitam* Montalb. a m. pr.—178. *gnatoque* defendit Pier., non, *nato.*—179. *Quem* sec. Moret. *Quod* alter Menag.—179. 180. Ut nunc interpungitur, paulo impeditior est sententia et subtilioris acuminis, præclara tamen: vid. Not. Servius, qui interpunctionem hanc agnoscit, sic explicat: "Nihil est aliud, quod possit vel virtus tua vel fortuna præstare (nam his rebus victoria contingit), nisi ut, occiso Turno, et vindices filium, et patrem consoleris orbatum." Bona sententia, sed, quomodo verbis poëtæ efficeretur, docere oblitus est. Ab hoc profecta interpunctio vett. edd. obsidet. Sed multi codd. Heins. sic interpungunt: *Quam debere vides meritis: Vacat hic*—ut *meritis* sit, *natoque patrique,* qui de te meriti sunt. Quod Heinsio quoque judice præstat; sicque etiam expeditiora sunt illa: *Vacat hic tibi solus Fortunæque locus.* Hoc uno et tu et fortuna conferre aliquid in me potestis. Proclivior itaque et ipse olim eram in hanc interpunctionem; sicque eandem secutus est Brunckius. Nunc sentire mihi videor, graviorem magisque epicam esse sententiam ex altera, si sic exponas, ut in Nota feci. Tum *vacat his* Ortuinus malebat ap. Burmannum, et id Ge. Fabricius amplectebatur. *solum* Sprot.—181. Dura versus oratio, *perferre* pro perferre nuntium, et quidem de Turno interemto: nam hoc nuntiaturus est senex brevi ipse subiturus loca infera. Itaque suspicor in Maronis apographo hic versum aut defuisse aut excidisse inchoatum. Supplent alii *gaudia* sumtæ ab hoste vindictæ. Quis hoc ferat, cum *vitæ gaudia* præcesserint? Servius et ipse substituisse videtur *nuntium.* Saltem *hoc* vel *hæc* interponi post *nato: sed nato hoc Manes perferre sub imos,* sc. quæro, et sic sententia expleri poterat: *hoc,* Æneam ultum esse Turnum. Et nunc dubito, an non legerit sic Julius Sabinus: "hoc significat, causam esse, quod patietur vitam, ut apud Manes Pallas videat cæsum Turnum." Bona sententia! sed verba expedita volebam; ea autem expedies admisso *hoc.*—182. *alma* Gud.

NOTÆ

182 *Aurora*] Dies altera post pugnam. De *Aurora,* Ge. I. 249. Æn. VI. 535.

Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Æneas, jam curvo in littore Tarcho
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum; subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos; ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis; ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrymis, sparguntur et arma.
It cœlo clamorque virum clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni; galeas, ensesque decoros,
Frænaque, ferventesque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clypeos, et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti;

diderat miseris hominibus beneficum lumen, reducens opera et labores. Jam pater Æneas, jam Tarchon erexerunt rogos in sinuoso littore: unusquisque juxta morem majorum tulit illuc cadavera suorum: et suppositis nigris flammis, sublime cœlum tegitur fumo in similitudinem *noctis. Ter induti rutilis armis* pedites *ambulaverunt circa rogos: ter in equis circuiverunt tristem flammam funeris, et emiserunt ore ululatus. Tellus etiam rigatur fletu, arma etiam rigantur. Et clamor hominum et sonitus buccinarum tollitur* ad *cœlum. Deinde alii mittunt* in *ignem spolia ablata Latinis interfectis, et cassides, et pulchros gladios, et frœna, et celeres rotas: pars, dona nota* mortuis, *scuta ipsorum, et jacula non fausta. Plurima corpora boum circum immolantur Morti: jugulant in ignem, et setosos porcos, et pecudes direptas*

a m. pr. et Oudart. *armis* Goth. tert.—183. *Extulerat.* Apud Servium Asinii Pollionis acumen super hac voce h. l. profertur, quod, cum tot aliis ex priscis illis Commentariis servatis, facit, ut desiderium eorum facile ferri possit. Quis enim *extulerat* propterea commode positum putet de *Aurora*, quoniam de sepulturis hoc die agetur, in quibus proprie *efferre* dicitur de funeribus? —184. *in* deest sec. Hamb.—186. *que* a pr. m. aberat pr. Hamb.—187. *in tenebris* Zulich. a sec. m. Bigot. et Goth. tert. Burmannus malebat: *atras Conditur in tenebras;* sed vid. Not. *interea* Goth. pr. In sec. hic et sequens vs. exciderat.—188. *cuncti* Rom. et Parrhas.—189. *Discurrere* Exc. Burmann., perperam.—190. *que* deest binis Burm. *ora* iidem et quatuor alii.—192. *clamor cæloque* Goth. tert.—193. *Hic alii* Medic. et multi alii cum binis Goth. et Rom. *derepta* egregie Heins. e Medic. et al. pro vulg. *direpta*.—194. Versum Macrob. VI, 6 laudat et *igni*, pro in ignem, inter figuras Maronis refert. —195. *pars m. vota* Franc.—197. *circum* pr. Hamb. *mactabant* Ven. *Marti*

NOTÆ

185 *Pyras*] Rogos, busta, ligneas strues comburendis cadaveribus, Æn. IV. 494. De ritibus pompæ funebris, Æn. VI. 215. et sequentibus.

189 *Decurrere.... lustravere in equis*] Primum refero ad pedites: secundum ad equites: ut sic totus exercitus officio funebri erga socios fungeretur. De *lustratione*, pro *circuitione*, Æn. I. 612.

195 *Ferventesque rotas*] *Rotas* curruum hostilium, unde solebant prin-

Setigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes. Tum littore toto
Ardentes spectant socios, semiustaque servant
Busta; neque avelli possunt; nox humida donec
Invertit cœlum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, et corpora partim
Multa virum terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt;
Cetera, confusæque ingentem cædis acervum
Nec numero nec honore, cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram:
Mœrentes altum cinerem et confusa ruebant

ex omnibus campis: deinde per *totum littus aspiciunt socios* qui *cremantur: observant rogos semustos: neque possunt* inde *abstrahi, quousque nox frigida mutavit cælum distinctum astris micantibus. Nec aliter infelices Latini erexerunt quoque rogos innumeros in alia parte: et partim condunt humi plurima hominum cadavera; partim quoque auferunt asportata in vicinos campos, et remittunt* in *urbem. Comburunt reliqua, et immanem cumulum promiscuæ stragis, nec numerando, nec honorando. Tunc undequaque spatiosi campi resplendent certatim frequentibus ignibus. Tertia dies expulerat e cælo frigidam noctem: dolentes evertebant altum cinerem et*

Ven.—199. *flammas* Parrhas.—200. *socios spectant* pr. Moret. *semiusta* Goth. tert. etiam hic cum Rom.—201. *neque* Heins. e libb. pro *nec*, quod Rom. tnetur.—202. *stellis ardentibus* omnes codd. Heins. præter Montalb., et pro div. lect. tert. Moret.; item Goth. sec. et tert., qui *fulgentibus* exhibent. Pierius nil monet: nec videtur is aliter scriptum in libb. invenisse quam *ardentibus*: sic etiam omnes vett. edd., quantum video: nec alterum prius occurrit quam in ed. Ald. tert. Hoc Heins. retinuit, *fulgentibus*, ut poëta variet versum, qui idem repetitur a poëta sup. IV, 482. ubi v. Not. cf. VI, 798. *haptam* codd. Pier.—203. *diversi* Hugen. *in* deest Franc. et Goth. tert.—205. *terræ fodiunt* Gud. *infodiunt terræ* sec. Rottend. *advectaque* Ven. et Parrhas. *passim* sec. Moret. et pro var. lect. tert. Rottend. *raptim* Erf. Tum Menag. pr. hunc versum non habet: nec Goth. tert., at sequenti eum postponunt Leid. Zulich. et Goth. sec.—207. *stragis* Rom., perpetua varietate; cf. inf. 384. sup. VI, 504.—208. *neque honore* Reg. *nunc* Ven.—209. *ignibus atris* Parrhas.—210. *cælo gelidam* Dorvill. *demoverat* Zulich. a m. pr.—211. *et*

NOTÆ

cipes viri pugnare. *Ferventes:* quæ solebant cursu incalescere: Horat. Od. l. I. 1. 4. ' metaque fervidis Evitata rotis.'

202 *Cælum stellis aptum*] Commutatio, pro, *cui aptæ et connexæ sunt stellæ*. Æn. IV, 482.

206 *Urbique remittunt*] Non uni omnia corpora; sed unumquodque suæ. De vario more *sepeliendi* et *comburendi cadaveris*, Æn. v. 48.

211 *Ruebant Ossa focis*] Quomodo ossa hominum, a busti reliquiis secernerentur, Æn. VI. 227. Quomodo post

Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Jam vero in tectis, prædivitis urbe Latini,
Præcipuus fragor, et longi pars maxima luctus.
Hic matres, miseræque nurus, hic cara sororum
Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiæ et primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginæ nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropæis.

ossa permista in *rogis, et tegebant* ea *tepido acervo terræ. Jam vero præcipuus tumultus et pars doloris longe maxima erat per domos,* in *urbe Latini opulenti. Illic matres, et nurus infaustæ, illic dilecta pectora sororum dolentium et pueri orbati patribus, detestantur funestum bellum, et nuptias Turni: volunt* ut *ipse armis, ipse gladio dirimat* rem; *si quidem petit sibi imperium Italiæ et præcipuam potestatem. Drances acerbus asperat hæc: et testatur Turnum unum vocari, unum peti ad pugnam. Contra multiplex* est *simul sententia variis verbis pro Turno, et magna auctoritas reginæ protegit* eum: *multa fama tuetur virum partis tropheis. Inter has*

---

abest Parrhas.—212. *trepidoque* Goth. *trepidumque* Mentel. pr. a m. pr.—213. Impeditus locus: unde mendo laborare versum monuit Markland. ad Stat. Sylv. v præf. Et sane *in tectis....urbe Latini* scabra videtur esse oratio: cui variis modis poterat occurri. Ipse Burm. conj. *in tristi p.* vel *in tectis et divitis.* Deest *in* Erf. *et tectis* Franc. Potest tamen locus aliquanto juvari distinctione et interpretatione opportuniore. Transit ab agris ad luctum in urbe: dicendum erat in tectis h. domibus urbis; hoc sic extulit: *in tectis, p. urbe Latini, P.*—214. *Præcipimus* Franc. *longi* Heins. bene tuitus est, ut elegantius, ex Rom. Medic. Gud. et aliquot aliis. Vulgg. *longe,* quod Servius defendit, indocte.—217. *Durum* aliquot Burm. cum tert. Goth. *execratur* Rom.—218. *armis...ferro* ad otiosam orationem refert et acute conjicit *animis* Jac. Bryant; ut sæpe *animis* ap. nostrum, ut VIII, 256. XI, 438. Recepit quoque hoc Wakef. Jungi quoque *animis* et *armis,* ut XII, 788. XI, 291. *discernere* Goth. tert.—220. *An gravat* Franc. *Ingravat et* vett. edd. et Gud.; primum video *hæc* in ed. tert. Ald. *hic* Montalb. *sævos* Rom. *sævis* Bigot. *solus* ed. pr. Burm.—221. *solumque duci* alicubi legitur ap. Pier. *soli* Ven. cf. inf. 434. *in certamine* aliquot Pier.—222. *varii* Goth. tert. *certamina* alter Hamb.—223. Aut *et* tolli præstabat, aut altero versu interseri: *multa virum*

NOTÆ

cremationem tumularentur, Æn. v. 48. *Ruo,* active, Æn. I. 89.

215 *Nurus*] *Nurus,* proprie uxor filii, *bru:* sumitur vulgo pro juniore qualibet fœmina, conjugio copulata, Æn. II. 501. De *hymenæis,* G. III. 60.

223 *Reginæ nomen*] *Amatæ,* quæ favebat Turno, sororis filio, Æn. VII. 357. De *tropæis,* supra 7.

Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce, super mœsti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt; nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum; nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendam.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Æneam manifesto numine ferri,
Admonet ira Deum, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis

dissensiones medio tumultu ardente, ecce præterea tristes legati referunt responsare magna urbe Diomedis: aiunt *nihil perfectum* esse *omnibus impensis tantorum laborum: nihil dona effecisse, nec aurum, nec magnas preces: alia auxilia quærenda* esse *Latinis, aut pacem petendam a rege Trojano. Ipse rex Latinus concidit* ex *magnitudine doloris. Furor Deorum, et sepulcra recentia ante oculos, ostenduti Æneam fatalem juvari evidenti* auxilio *Deorum. Itaque congregat in excelsam regiam magnum concilium et præcipuos suorum accersitos jussu* suo. *Illi congregantur, et plenis viis currunt ad domum regis. Latinus, et grandior ætate, et præci-*

et meritis.—225. *in* inseri jussit Pier. et inseruit Heins. codicum auctoritate: adde edd. vett. aliquot, ut Norimb. ed. pr. Burm., ubi una voce *inflagrante*. Abest *in* in solo Hamb. pr. et Goth. pr., in nonnullis erasum. *magno fl.* Parrhas.—226. Legitur et *magni*, inquit Servius, et sic Oblongus Pierii, et alii apud Heinsium cum ed. Ald. tert. *Magni Diomedis* bene dici nemo dubitet: sicque hoc ipsum sup. VIII, 9 occurrit. Sed excluditur ea lectio eo, quod præcedit, *mœsti:* ne sit, *mœsti magni*. In Goth. tert. *magna mœsti.*—227. *mandata f.* Zulich. a m. sec.—228. *neque a.* ab Heinsio est: pro vulg. *nec.*—229. *Nil m. v.* Parrhas. et pr. Hamb. pro var. lect. cum Goth. tert.—230. *a rege* Rom. Parrhas. Dorvill. *pacem—petendum* agnoscunt Grammatici Servius, Donatus ad Terent., Rufinian. de Schem. Lex. p. 256 et al., ex codd. nulli præter Moret. pr. Voss. pr. Menag. pr. Leid. et Goth. pr. Cum itaque codicum auctoritas desit, facile quis a grammatico acumine hoc profectum odoretur. Molesta quoque oratio, cum præcesserit: *arma quærenda*, non *quærendum*. Itaque Burm. iterum expulit illatum ab Heinsio *petendum*. Potest tamen poëta variare voluisse orationem. Ita sensisse videtur præstantiss. Ruhnken. ad Rufinian. l. l. et repetiit hoc Wakef.—233. *Admonet* Medic. a m. pr.—234. *consilium* Reg. et Dorvill., quod præferendum censet van Houen Campens. Fasc. III, p. 226. *in consilium* Goth. tert.—235. *inter l.* aliquot Burm. *intra mœnia* Rom. cum Goth. sec.—236. *Illico* aliquot apud Burm., aut potius *Illi cŏvenere*. Porro *ruuntque* Colot. Medic. Voss. pr. et Ven., adde Goth. sec. et tert., quod et ipsum bene dici nemo dubitet: et exemplis probavit Heinsius; verum nec minus *fluere* elegans et solenne est de magna turba, uti Græc. ῥεῖν, ἐκῤῥεῖν; et permutatio utriusque vocis frequens. Scilicet quod causam decidere poterat, hoc erat: quod *plenis* viis adjectum satis arguit, poëtam de

NOTÆ

226 *Diomedis ab urbe*] *Arpis*, infra 243.

Tecta viis. Sedet in mediis et maximus ævo,
Et primus sceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætola ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet, et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra;

pius regno, sed et inter medios, non hilari vultu. Atque hic imperat legatos, reversos ex urbe Ætolica, dicere quænam reportent, et quærit singula responsa suo ordine. Tunc indictum est linguis silentium; et Venulus obediens imperio incipit ita loqui:

copia cogitasse, adeoque *fluunt* verius est. *ruitque* ed. pr. Burm.—237. *rex maximus* vett. edd. aliquot et Ald. pr. et sec. et codd., sed potiores omnes cum Ald. tert. *et m.*, sicque emendarunt Pier. Ge. Fabric. Heins.—238. *primos* Mentel. pr. *et læta* ed. pr. Burmann.—239. *hinc* Zulich.—240. *Quid r.* Exc. Burm. *referunt* pr. Hamb. *referent* alter.—242. *inquit* ed. pr. Burm. cf. sup. ad IX, 423, et vid. Guell. ad h. l.—243. *Diomedem* edd. vett. pleræ-

NOTÆ

238 *Primus sceptris*] Reges enim erant plerique ex iis qui Turni auxilio venerant, Æn. VII. 647.

239 *Ætola ex urbe*] *Arpis*, ab Ætolo Diomede conditis: mox 243.

242 *Venulus*] Qui ad Diomedem legatus fuerat, Æn. VIII. 9.

243 *Diomede*] Filius fuit Tydei, nepos Œnei: paterno quidem et avito jure, Ætoliæ rex: sed cum pater Tydeus Agrii patrui invidia regno pulsus esset, et Argos Peloponnesi urbem ad regem Adrastum confugisset; ibi Diomedes ex Deiphyle, Adrasti filia, natus est. Is Adrasto mortuo maximam et quasi regiam auctoritatem Argis obtinuit: avum suum, item ab Agrii filiis pulsum, in Ætoliam restituit: Argivorum et vicinarum urbium dux ad Trojam profectus est, ex Homero, Il. II. 563. Ibi maxima quæque post Achillem ac difficillima perfecit: Palladium ex arce Trojana rapuit, Rhesum Thraciæ regem occidit; unde laudat Virgilius ejus manum, 'qua concidit Ilia tellus.' Venerem et Martem vulneravit. Quare Venus ejus domum evertit, adulterio Ægialeæ uxoris ejus cum Cylabaro apud Argos: quorum ex insidiis cum ægre elapsus esset, neque vero posset in Ætoliam reverti, ut notat Cedrenus; in Apuliam, maxime orientalem Italiæ partem, mari fugit: ibique exceptus a Dauno rege, et parte agri donatus, urbes multas condidit: præcipue *Argos Hippium*, id est *equestre*: ex nomine natalis urbis, cujus ager *aptus equis* dicitur ab Homero: quæ vox deinde corrupta est primo in *Argyrippam*, vel *Argyripam*; deinde in *Arpos*. Ejus ruinæ nunc adhuc dicuntur *Arpe*, non longe a *Siponto* urbe, et radicibus promontorii *Gargani*, *Monte di S. Angelo*, quod in mare Adriaticum procurrit. De ejus morte multiplex opinio refertur a Strabone l. VI. Prima est, eum in Diomedeis insulis, huic littori vicinis, subito evanuisse: ejusque socios, dolore mortis illius esse mutatos in aves, infra 272. Secunda est, ipsum in patriam

Atque iter emensi casus superavimus omnes;
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Munera præferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Solicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros

O cives, vidimus Diomedem et castra Græca, et perfecto itinere evasimus omnia pericula, et tetigimus manum, qua regnum Trojanum periit. Ille victor extruebat in campis Gargani Iapygis urbem Argyripam, de nomine patriæ gentis. Postquam ingressi sumus, *et facultas concessa* est *alloquendi præsentem; offerimus dona, profitemur nomen et patriam: qui indixerint* nobis *bellum, quæ causa* nos *adduxerit* in urbem *Arpos. Ille sic tranquilla voce respondit* iis quæ *audierat: O felices populi, imperium Saturni, Ausonii veteres: quæ sors vos turbat tranquillos, et impellit movere bella insueta? Quotquot vastavimus ferro arva Trojana (omitto ea* mala *quæ*

que et Ald. sec. cum tert. et cett. et pars codd., at Medic. cum aliis *Diomeden*, quod metrum corrumpit. *Diomede*, quod Ald. pr. habet, et jam ant. edd., ut Ven. 1486, in plerisque suis extare vidit Pier. (inter quos tamen Romanus non fuit, in quo *Diomeden* est), sicque Mentel. pr. et Rottend. sec. cum Servio et Macrob. v, 17, ut sit Græca forma: Διομήδεα, Διομήδη. Retraxit hoc Heinsius, idemque opinabatur aliquando scriptum fuisse: *Diomedei* vel *Diomedi*, quod merito deseruit. In tert. Rottend. et Sprot. *Diomedæ;* ut apud Solin. c. 2 sub f.—246. *Argiripam*, *Agrippam*, *Agripam*, *Ægripam*, aberratt. Illud notabilius, quod poëta mediam corripuit, cum perpetuum sit *Argyrippa:* ut apud Lycophr. v. 592 Ἀργυρίππαν. At Ἀργυριπηνοὺς apud Strabonem (lib. VI, p. 434 B) agnoscit Stephanus Byz. h. v. Virgilium sequitur Silius XIII, 80. —247. *Garganii* aliquot apud Burm. *Garganis* Franc. *Gorgonii* indocte Goth. tert. *Iaspidis* idem. *arvis* ex parte codd. Pier. et suorum reposuit Heinsius. Tuetur tamen *agris* Mediceus cum al.—248. *P. congressi* Rom. *data coram* Goth. tert.—249. *docentes* Exc. Burmann.—250. *Quid* Gud. a m. pr. *attulerint* Goth. tert. *attexerat* idem, ex *attraxerat*, quod in Medic. et Mentel. pr. *abtraxerit* Ven.—251. *Auditis?* duo Leid. *Audistis* Sprot. *ille his* Oudart. et tert. Moret. *edidit* Medic. Franc. Goth. sec.—254. *accessere* alter Hamb., forte pro *arcessere*, ut X, 11.—255. *f. populavimus a.* Rom. *vasta-*

NOTÆ

revocatum, in ea diem obiisse. Tertia est, subacta illa Maris Adriatici ora adusque Venetos, apud illos mortuum et divinis honoribus affectum esse. De *Iapyge*, qui nomen dedit Iapygiæ, sive Apuliæ, Æn. VIII. 710.

252 *Saturnia regna, &c.*] De *Saturni fuga in Italiam*, Æn. VIII. 319. De *Ausonibus*, antiquis Italiæ incolis, ibid. 328. Æn. VII. 54.

(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat ille viros), infanda per orbem
Supplicia et scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervæ
Sidus, et Euboicæ cautes, ultorque Caphereus. 260
Militia ex illa diversum ad littus adacti,
Atrides Protei Menelaus adusque columnas

tolerata sunt *pugnando ad sublimes muros, et quot ille Simois sepeliverit viros). Luimus per orbem immania supplicia, et omnes pœnas criminum, turba deplorande ipsi etiam Priamo. Novit* ista *funestum sidus Palladis, et scopuli Eubœæ, et* mons *vindex Caphareus. Post illam* Trojæ *expeditionem pulsi ad diversa littora, Menelaus filius Atrei circa columnas Protei exulat. Ulysses adiit Cyclopas Ætneos. An*

---

vimus pr. Menag.—256. *Mitto quæ* Dorvill. *Omitto muris* Goth. tert. *exacta* ed. Ven. Burm.—257. *premat* Heins. cum melioribus omnibus; vulgo: *premit.* —258. *sceleris... omnis* alii, apud Servium. Codices non variant.—259. *m. domus:* Bigot. et Parrhas. *Stat tr.* Exc. Burmann.—260. *Caphereus* e Medic. et aliis Heins. recepit: vulgo *Cephareus.* Eadem varietas et alibi. Sed Græcis est Καφηρεύς. v. Etymolog. in h. v.—261. *abacti* plerique codd. et vett. edd., idque tuetur Pier. *abactis* Parrhas. At *adacti*, quod inde ab Ald. pr. editum, Medic. cum aliis nonnullis, unde retraxit Heins., cum in vulgg. edd. venisset *abacti* ex ed. Commelin. Omisso *ad* Mentel. pr. *diversum littus*

NOTÆ

257 *Simois*] Fluvius Troadis, Æn. I. 104.

259 *Triste Minervæ Sidus, &c.*] *Sidus Arcturi*, quod cum per se procellosum sit, vim adhuc perniciosiorem ex ira Minervæ dici potest accepisse ad vexandas Ajacis Oilei naves. Sic enim Solinus c. 20. de Caphareo: 'Ubi post Ilii excidium Argivam classem, vel Minervæ ira, vel, quod certior prodit memoria, sidus Arcturi, gravibus affecit cladibus.' De *Arcturo*, Æn. I. 748. Ge. I. 68. Explicari tamen potest *sidus* de ipsa tempestate, quam excitavit Minerva: nam sic videtur vocem illam accepisse Virgilius, Ge. I. 311. 'Quid tempestates autumni et sidera dicam?' et Æn. XII. 451. 'ad terras abrupto sidere nimbus It mare per medium.' De *Minerva*, Æn. II. 31. De *Ajace ab ea interfecto* ad Caphareum, Eubœæ insulæ scopulum, Æn. I. 44. 49. De *Eubœa* Græciæ insula, *Negrepont*, Æn. VI. 2.

262 *Atrides Protei, &c.*] *Menelaus*, Spartæ rex, de quo Æn. II. 264. *Atrei* filius, confecto Trojano bello, octo annis tempestate jactatus est circa Ægypti littora, antequam in patriam rediret; et divertit apud *Proteum* regem Ægypti, de quo Ge. IV. 388. Ita fere Homerus Odys. IV. 82. 385. &c.

Columnas] *Limites, terminos* Ægypti. Quippe Strabo l. III. de columnis Herculis apud fretum Gaditanum disserens, ait id nomen inde ortum esse, quod viri illustres, ut finem imperii aut expeditionis suæ nota aliqua consignarent; aras, aut columnas, aut in modum columnarum turriculas, fretis, aut promontoriis, aut montibus imposuerint: quæ nomina, destructis per temporum injuriam monumentis illis, loco ipsi remanserunt. Tales columnæ Herculis in freto Gaditano, aræ Philænorum

Exulat; Ætnæos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque Penates
Idomenei? Libycone habitantes littore Locros? 265
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivum
Conjugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.

memorabo regnum Pyrrhi, et domum Idomenei subversam? aut Locros degentes littore Libyco? Ipse rex Mycenarum, dux magnorum Græcorum, periit in primo aditu domus, manu sceleratæ uxoris: post *Asiam subactam adulter insidiatus est* ei.

---

edacti, quod ornat Heinsius.—263. *Exolat* Medic. a m. pr. et Gud.—265, *Libycone* ex omnibus Pier. et potioribus suis Heins. pro, *Libycove*. Tum *et Libycone* Dorvill. *et Libyco hab.* Goth. tert. *Libycosve* Goth. pr.—267. *Conjugis (infandum)* Macrob. IV, 4. Exempla nemo facile desideret: sed dabit plena manu Burmann. ad Antholog. Lat. p. 196, sicque placebat legere Ge. Fabricio: qui tamen mox vidit, expressum esse Homericum: *οὐλομένης ἀλόχοιο. inter lim.* aliquot Heinsii, qui id receperat, iterum ejectum tacite a Burmanno. *lumina* Zulich. cum Goth. tert., non adeo male.—268. *Procubuit: d.* vett.

NOTÆ

ad Syrtes Africæ, columna Ionica in isthmo Corinthiaco, turris Pelori et turris Rhegina in freto Siculo, aræ Bacchi et Alexandri in India. Igitur *columna Protei*, pars erit illa littoris Ægyptii, ubi deinde magnus portus Alexandriæ fuit, qui sic describitur a Strabone l. XVII. *Ἐν δεξιᾷ ἡ νῆσος καὶ ὁ πύργος ὁ Φάρος*, &c. 'Ad dextram est Pharus insula et turris: ad sinistram vero cautes et promontorium Lochias.' Et vero testatur Homerus, Menelaum ad Pharum insulam primo excensionem fecisse, Odyss. IV. 355.

263 *Ætnæos*] Ulysses in Siciliam apud Cyclopas appulsus est, ubi mons Ætna, ut fuse narrat Achæmenides Æn. III. 613.

264 *Regna Neoptolemi*] Pyrrhi, Epiri regis, Achillis filii: qui ab Oreste Agamemnonis filio occisus est, ob amorem Hermiones, Æn. III. 328, &c. De *Pyrrho Neoptolemo*, Æn. II. 263.

Penates Idomenei] Cretensis regis, qui a suis pulsus est ob occisum filium, Æn. III. 122. *Penates*, Dii sunt domestici, Æn. II. 717.

265 *Libyco littore Locros*] De *Locris*, Græciæ populis circa Parnassum montem, Æn. III. 399. Horum aliqui, post bellum Trojanum consederunt in meridionali cornu Italiæ, circa Zephyrium promontorium, ut ibidem explicuimus: alii in Africa, circa Pentapolim, quæ Cyrenaica regio est, ad Mare Mediterraneum, et orientem Syrtis majoris, ut ait Servius; ut vero testatur Domitius Afer, in regione Africæ plane opposita, nempe ad Oceanum Atlanticum.

266 *Mycenæus, &c.*] Agamemnon, Mycenarum rex, Clytæmnestræ uxoris et Ægisthi adulteri insidiis occisus, Æn. III. 54. De *Mycenis*, urbe Peloponnesi, Æn. I. 288. De *Achivis*, Græcis, Æn. I. 492.

268 *Devictam Asiam subsedit adulter.*] *Subsido*, est *clam sedeo in insidiis*. Unde Valerius Max. l. VII. c. 2. vocat 'subsessorem alieni matrimonii,' adulterum, qui alienæ conjugis pudicitiæ insidiatur. Itaque sensus est, Agamemnoni adulteriorum vindici, qui ob Paridis adulterium Trojam everte-

Invidisse Deos, patriis ut redditus aris
Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem! 270
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis,

An memorabo *Deos obstitisse* mihi, *quominus revectus* in *patriam regionem viderem dilectam conjugem et speciosam Calydona? Nunc quoque monstra terribilia aspectu insectantur* me: *et socii amissi evolarunt alis in aërem, et volucres errant*

edd. Macrobii IV Sat. 3. *devictam Asiam subsedit* præclare Menag. alter et a m. pr. Medic. et Gud.; nam ab altera manu *possedit* interpolatum est, uti etiam Rom. *devictam Asiam possedit*, habebat. Sed *devictam Asiam subsedit* etiam Arusianus Messius agnoscit: et *subsidere* de insidiis elegans vocabulum: vid. Not. Itaque Jo. Frid. Gronovii judicio Obss. I, 17 Heinsius recepit pro vulgari: *devicta Asia*, quod Servius male præferebat. In Leid. erat *devicta Asiamque obsedit*, in Menag. pr. *devicta Asiaque obsedit*, ed. Ven. Burm. *devicta Asia permansit*, Exc. Burm. *dev. Asia sub fedus.*—269. *Invidere Dii*, p. Goth. tert.; ab interpolatrice manu, credo, ut difficiliori rationi substitueret facilliorem. *Invidisse Deos* per exclamationem dictum: sc. *an referam*; vel, credatne aliquis? annon durum est! *patr. ne redd.* Hamb. pr. et Goth. tert. In fine *oris* Oblongus Pierii et pars Heins. cum vett. edd. et in edd. vulgatis inde ab Aldd. *patriis* tamen *aris* codicum etiam præstantissimorum consensus tuetur, Medic. Romani etc., et miror hoc ab Heinsio receptum iterum expulisse Burmannum, inprimis cum *patriæ—oræ* statim v. 281 iterum occurrant: revocavi itaque in hac editione. Tandem nonnulli apud Pier. exhibebant: *patriis....Argis*, quod ap. Ovid. XIV Met. 476 itidem occurrit in libb. pro vulgari *agris* vel *arvis*, et merito ibi Heinsio probatur; at h. l. admitti nequaquam potest, cum poëta Calydonem subjungat, adeoque *patrias aras* de Ætolia et Calydone accepisse videri debeat.—270. *pulchrum* duo Burm. *pulchra* ejus Exc.—272. *admissis....pennis* alios legere Servio notatum, sicque, nec ineleganter, aliquot Pier. et pro div. lect. Leid., quod tanquam elegantius (ut sit pro, *alis concitatis*) reposuerat Heinsius, tacens iterum ejecit Burmannus. Videtur tamen nec ipse improbare, et laudat pro eo Guellium et Davisium ad Cæs. I. B. G. 22. Narrat quoque Schottum II Obss. 49 maluisse *amissis pennis* pro emissis. *admissi* Goth. pr. *admisi* Ven. Sed librorum auctoritas tuetur *socii amissi*: sic Rom. Medic. et ceteri: etsi ad aures minus gratum.

NOTÆ

rat; insidiatorem adulterum non defuisse, qui eum sub prima domus limina primumque reditum opprimeret.

270 *Conjugium, &c.*] *Conjugem* Ægialeam, supra 243. *Calydona*, urbem Ætoliæ, quam Diomedes et avito jure possidebat, et armis domuerat, Æn. VII. 306.

272 *Socii amissi, &c.*] Circa promontorium Apuliæ Garganum, insulæ sunt, non duæ, ut ait Strabo, sed quinque: *Diomedeæ* ab antiquis dictæ: harum maxima nunc *Tremiti*. Illic Diomedis socii in aves finguntur commutati: vel ob iram Veneris, vivo adhuc Diomede, ut aiunt Virgilius et Ovidius Metam. l. XIV. 494. vel ob dolorem amissi morte Diomedis, ut innuere videtur Strabo aliique. Has aves in his tantum insulis reperiri ait Plinius l. X. 44. easque dentes habere, colore esse candidas, infestas advenis præterquam Græcis. Joannes Meursius ait easdem esse quæ Græcis dicuntur ἐρωδιοὶ, Latinis *ardeæ*, Gallis *hérons*. Plinius facit *fulicarum* similes. Ovidius non *cycnos* quidem, sed cycnis proximas.

Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro cœlestia corpora demens
Appetii, et Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Æneam. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset

circa *fluvios, et replent rupes tristibus sonis: heu crudelia supplicia meorum! Hæc autem expectanda mihi jam fuerunt ab illo tempore; quando insanus invasi gladio corpora immortalia, et sauciavi plaga dextram* manum *Veneris. Ne vero, ne hortemini me ad talia prælia. Nec mihi bellum ullum est cum Trojanis post excisam Trojam: nec recordor, aut gaudeo* de *antiquis calamitatibus. Ferte ad Æneam dona, quæ tulistis ad me e patriis terris. Stetimus adversus validæ* ejus *arma, et conseruimus manus: credite* mihi *experto, quantus attollat clypeum, quo impetu vibret hastam. Si terra Idæa produxisset duos tales*

---

pinnis Rom. *allis* (pro *alis*) Medic. Pierii.—273. *heu damna* Parrhas.—274. *clamosis* Oudart.—275. *Hæc eadem* Zulich. *superanda* Goth. tert., sicque aliquot Pier., inter quos Rom., *Hæc adeo mihi jam superanda*.—276. *Tempore, quo* pr. Hamb. pro var. lect. Bigot. et Goth. sec. et tert.—278. *Nunc vero* Dorvill. et ed. Ven. apud Burm. *Nec* Ven. et Goth. pr.—279. *diruta* Rom. et alii Pier. alter Hamb. et ed. Mediol., quo in binis spectat: *dirupta*. Tum *est* in fine aliquot Heins. et Burm., sicque Goth. sec.—280. *laterque* Leid. *laborum* vel *malorum* cod. Kœler.—281. *portastis* vett. edd. cum codd. nonnullis. Sed monuit Pier. in Rom. et aliis esse, quod delicatius sit, *portatis;* hoc edi cœptum a Commelin. Sic quoque Medic. et Heins. potiores. *p. huc apportastis* Leid. *desertis* Parrhas. pro *defertis*.—283. *manum* Menag. pr. v. sup. x, 876. In Dorvill. post h. v. sequebantur vss. 336 usque ad 352.—284. *insurgat* Nonius in *experiri*.—286. *Achaicas* Menag. sec. *ad umbras*

NOTÆ

276 *Cœlestia corpora*] Venerem in vola manus Diomedes vulneraverat, Iliad. v. 336. Martem in imo ventre, 857.

280 *Lætorve malorum*] Græca forma, supra 126.

283 *Contulimusque manus, &c.*] Adulatur hic heroi suo Virgilius: quanquam enim adversus Diomedem stetit, Iliad. v. 225. tamen huic minime fuisse parem constat ex eo, quod ab eodem in coxa vulneratus ictu lapidis fuit, fuissetque adeo interfectus, nisi Venus auxilio filii adfuisset, 311.

284 *In clypeum assurgat*] Ipse attollat clypeum suum. Sic Æn. XII. 729. 'Alte sublatum consurgit Turnus in ensem, Et ferit.'

285 *Idæa Terra*] *Troas*, ubi mons

Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Graium
Hæsit, et in decimum vestigia retulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. Coëant in fœdera dextræ,
Qua datur; ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime, regis
Audisti, et quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati; variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu, saxa morantur
Cum rapidos amnes, fit clauso gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.

viros præter eum; Trojanus prior intulisset bellum urbibus Argivis, et Græcia doleret mutatis fatis. Quamdiu tardatum est circa muros pertinacis Trojæ, victoria Græcorum substitit manu Hectoris et Æneæ, et retro tulit pedem in decimum annum. Ambo erant *illustres animis, ambo bellica fortitudine: iste superior* erat *religione. Dextræ* vestræ *conveniant in fœdera, siquidem* id *conceditur: sed cavete, ne arma vestra congrediantur* cum illius *armis. Audivisti simul, rex optime regum, et quæ sint* ejus *responsa, et quis sit* ejus *sensus* de *tanto bello. Vix legati ea* dixerant; *et varium murmur diffusum est per ora turbata Italorum: veluti quando saxa coërcent fluvios torrentes;* tunc *obstructo alveo murmur editur, et propinquæ ripæ*

Parrhas.—287. *lugeret Græcia campis* sec. Rottend.—288. *certatum est* Apronianus emendarat in Mediceo, perperam. *cessatum est*, inquit Heins., optime exprimit tarditatem belli. Apud Senecam patrem Suasor. II, p. 22 cum laudatus esset Abroni Silonis versus: *belli mora concidit Hector:* subjiciuntur hæc: *notate præ ceteris, quanto decentius Virgilius dixerit hoc, quod valde erat celebre:* Quicquid apud...victoria Graium hæsit. *Messala aiebat, hic Virgilium debuisse desinere: quod sequitur:* et in *decimum vestigia retulit* annum, *explementum esse. Mæcenas hoc etiam priori comparabat.* Assentiendum arbitror Messalæ. Idem hemistichium fere jam supra intexuerat lib. IX, 155. Tandem *est* abest sec. Voss. et pr. Hamb. *victoria tantum* Oblong. Pierii. In Erf. v. 290 ante 289 legebatur.—290. *v. distulit* Vratisl. et Dorvill. *victoria redegit* Menag. pr.—293. *concurrent* Medic. a m. pr.—294. *rex o. regum* vulgg. edd. et codd. non modo infimi ævi, ut Dorvill. Goth. pr., sed et Romanus a pr. m. Obtulit tamen *regis* Pier. e Rom. et al. Adde Medic. et al. Heins., nec tamen hoc repositum video nisi a Pulmanno.—296. *variusque* vel *validusque* Scheffer. *varius super ora* qu. Moret.—297. *tremor* pr. Hamb. Bigot. Goth. tert. *fremur* sec. Rottend. Firmat *fremor*, de quo nemo dubitet, Burm. ex Æn. X, 96 sqq.—298. *fit clauso* veterrimi Pierii et Heinsii, qui recepit; vulgo, *clauso fit*. Tum aliquot Pier. et Sprot. *it clauso*.—299. In

NOTÆ

Ida, Æn. II. 801. *Inachias*, Argivas, nus, Æn. I. 239. Æn. VIII. 286. *Dardanus*, Troja-

Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt,
Præfatus Divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros assidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente Deorum
Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant
Prælia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem, si quam ascitis Ætolum habuistis in armis,
Ponite; spes sibi quisque. Sed hæc, quam angusta, videtis.

fremunt aquis strepitantibus. Statim atque animi sedati et ora tumultuantia composita fuerunt; rex precatus Deos incipit e summo solio: Equidem, o Latini, et cuperem, et utilius fuisset deliberare prius de summa rerum: non vero *convocare concilium tali tempore, cum hostis premit muros. Facimus bellum difficile, o cives, cum stirpe Deorum, et hominibus invictis: quos nullæ pugnæ debilitant, et* qui etiam *superati non possunt abstinere ab armis. Si constituistis aliquam spem in exercitu Ætolorum advocato, deponite* eam: *unusquisque* sit *sibi* sua *spes; sed*

---

crepitantibus nil variant codd., expectes tamen *strepitantibus*.—300. *pacati* Vratisl. et pro div. lect. pr. Hamb. cum Goth. tert. *tepida* Zulich. *rabida* aliquot Pier. et Goth. sec. Sed *ora trepida* sunt trepidantium. *quierant* Rom.—301. *rex dixit* Zulich. *jussit* Goth. tert.—302. *equidem* e libb. Heins. pro, *quidem*. *hos summa* pr. Hamb. a m. sec. *Latinis* Montalb.—303. *melius fuerat* Goth. pr.—304. *consilium* aliquot Pier. duo Goth., ut v. 234. *adsidet* Heins. recepit: sic Rom. et Medic. Pierii, Gud. et quinque alii Heins.; vulgo *obsidet*, eadem vi, sed vulgarius.—306. *Injustisque* Goth. tert.—307. *p. decedere* Oblongus Pier. *bello* Goth. tert. et Acron ad Horat.—308. *adscitis* e Rom. Medic. et ceteris præstantioribus Heinsius reposuit, pro vulg. *accitis*. conf. inf. v. 473. XII, 38.—309. Veteres Grammatici Servius, Donatus, Priscianus, Marcianus Capella distinxere: *Ponite spes sibi quisque:* ut sit, *deponite*. Sed melior interpunctio jam antiquitus obtinuit: nec aliter Apronianus instituit, idque sequuntur vett. edd. Quod facere præstat etiam propterea, ut breve tempus constet ultimæ in *ponite*: disjuncta voce, cui duplex consona initium facit; quandoquidem hoc unicum est exemplum similis positus verborum et syllabæ brevis ante dupli-

NOTÆ

301 *Præfatus Divos*] Notat Turnebus veteres, præcipue Romanos, id solenne habuisse; ut antequam verba publice facerent, Deos precarentur, et frequenter orationum exordia ab invocatione Deorum sumerent. Talia fuere exordia omnia Catonis; talia Ciceronis ac Demosthenis nonnulla.

302 *Ante equidem*] ORATIO Latini duas habet partes. I. Exponit hostilium virium magnitudinem, cui suarum tenuitatem opponit. II. Proponit conditiones pacis tres: aut terras Æneæ assignandas, si sedere hic velit; aut naves ædificandas, si malit alio abire; denique oratores ad eum mittendos cum regiis muneribus.

305 *Cum gente Deorum*] Æneas a Jove per Venerem ortus, Trojana gens a Jove per Dardanum, Æn. I. 239.

308 *Ætolum*] Diomedis sociorum, in Apulia sedentium, supra 243.

Cetera qua rerum jaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quenquam incuso. Potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quæ sit dubiæ sententia menti,
Expediam, et paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,

videtis, quam tenuis spes *illa* sit. *Quo casu rerum* nostrarum *cetera concussa jaceant, omnia* denique *sunt ob oculos et in manibus vestris. At neminem accuso: fuit* vobis *fortitudo, quæ potuit esse maxima: pugnatum est tota mole regni. Itaque exponam, quis sensus jam sit incertæ menti* meæ, *et ostendam paucis* verbis: *advertite animos. Est mihi vetustus ager, vicinus fluvio Tyrrheno,*

---

cem consonam hujus naturæ. Horatium minus castum et religiosum esse in collocatione hac verborum vitanda, jam ab aliis est observatum. Occurrit apud illum: *olente in fornice stantem* I Serm. 2, 30. *velatamque stola* v. 71. *Sæpe stylum vertas* I, 10, 72. Ante σκ nec Homerus brevem servare dubitavit, ut ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ. Dawesius Misc. crit. pag. 4 immutatum volebat: *Ponite: quisque sibi spes.* Alias argutias Metricorum nolo repetere: videat, qui volet, Dorvill. ad Chariton. p. 184. Melius Burgess. ad Dawes p. 6 divinavit, male suppletum esse versum, cum poëta tantum apposuisset *Ponite.* Et hoc verissimum.—310. *Cetera quæ* codex ap. Pier. *percussa* aliquot Pier. et Heinsiani, et Goth. tert.—311. *manus nostras* Franc.—313. *regnum* ed. Ven. Burm.—314. *Hinc adeo* sec. Rottend. *dubiæ quæ sit* Dorvill.—315. *et* multis abest apud Burm.—316. *mihi* vel *qui* Zulich.—

NOTÆ

316 *Est antiquus ager, &c.*] Duplex est de hujus agri situ opinio. I. Donatus, quem sequitur Cluverius, agrum illum metitur ad littus maris: a Circæo monte, qui terminus fuit Latii, tempore Tarquinii Superbi, orientem versus, adusque Tybrim, qui terminus Latii fuit ad occidentem. Firmat inde hanc opinionem Donatus, quod Tuscos dicat aliquando sedisse circa Ufentem fluvium, huic monti Circæo vicinum; hunc itaque *Tuscum* fluvium hic a Virgilio appellari: deinde quod constet apud omnes; *Rutulos*, Turno subditos, spatio illo contentos fuisse; et *Aurunceos* montem Circæum proxime attingere; et *pinetum*, seu locum pinu consitum, circa Circæum esse. At tribus ex capitibus minime probabilis hæc sententia videtur mihi. Primo, quod per *Tuscum amnem* a Virgilio semper intelligatur Tybris, Ge. I. 499. Æn. VIII. 473. Æn. X. 199. Secundo, quod ager ille sic extensus complecteretur regnum universum Turni, cujus angustias descripsimus Æn. VII. 705. immo et multo latiora spatia: at quantumvis dicantur Rutuli fuisse Latinis conjuncti, aut etiam subditi; certe verosimile non est, Latinum regem homini extero regnum obtulisse, quod consanguinei Turni ditionem totam absorberet. Tertio, cum urbs Laurentum, caput Latinæ ditionis, in qua tum concilium habebat Latinus, a Tybri vix distaret leucis tribus, sive millibus paulo plus septem; et reliqua agri illius pars ad usque Circæum millia plusquam quadraginta haberet ad orientem: sane ager ille dici non potuit a Latino *lon-*

Longus, in occasum, fines super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, et celsi plaga pinea montis,
Cedat amicitiæ Teucrorum; et fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus;
Considant, si tantus amor, et mœnia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem
Est animus, poscuntque solo decedere nostro;

protenus in occidentem, ultra terminos Siculos. Aurunci et Rutuli colunt, et vertunt aratro colles asperos, et utuntur *sterilissimis eorum locis* ad *pascua. Tota illa regio, et tractus pineus alti montis detur amicitiæ Trojanorum: et statuamus justas conditiones fœderis, et admittamus* eos *socios in regnum* nostrum. *Quiescant* illic, *si tanta* est *cupiditas, et struant urbes. Si* vero *voluntas est* ipsis *adire alias regiones et alios populos, et* si *possunt abire e terra nostra: struamus*

317. *in occasu* sec. Moret.—318. *Arunci* passim in codd. legitur, quod adeo Ge. Fabricius præferre voluit, perperam.—320. *Hic* Franc.—324. *Si in alios fines* vel *leges* Zulich. *aliamve* aliquot ap. Burm. cum Goth. sec.—325. *poscuntque* sec. Moret. et Bigot., idque jam Heinsio placuit, etiam Waddelio et Cuninghamo: et valde utique arridet. Languet enim alterum, *possunt*, si vel maxime ad fata revoces: si per fata facere liceat, ut Servius voluit. Adde, quod *possunt* paulo insolentius positum ante jam occurrebat

NOTÆ

gus in occasum; sed omnino *longus in ortum.* II. Servius, quem sequor, agrum metitur ab urbe Laurento Tybrim versus, quo fere loco Trojam suam novam Trojani jam condiderant. Atque ita erit *Tusco proximus amni*, nempe Tybri: erit *longus in occasum*, sive ad occasum Laurenti urbis: immo, ne angustiæ agri objiciantur, ultra Tybrim in occasum porrigetur; siquidem *Siculi* primi omnium Italiæ incolæ, qui deinde *Sicani* dicti sunt, ultra Tybrim multas antiquitus tenuerunt urbes, in quibus numerat Dionysius, *Alsium*, et *Cære*, in eodem tractu maritimo ultra Tybrim. Igitur erit ager ille, *longus fines super usque Sicanos*, id est usque ad fines illos, quos veteres Siculi tenebant, priusquam a Pelasgis et Aboriginibus inde pulsi, *Siciuiam* insulam occuparent, unde *Sicani* dicti sunt, Æn. VII. 795. Quin etiam *Aurunci Rutulique serere* potuerunt: non veri quidem *Rutuli*, qui fixerant sedem ad orientem Laurentinæ ditionis, Æn. VII. 795. nec veri *Aurunci*, qui suam fixerant ultra Circæum, Æn. VII. 54. sed quædam eorum reliquiæ, quæ circa Tybrim remanserant: hunc enim tractum a Tybri ad Circæum variis temporibus varios habuisse colonos, qui sese invicem alias in regiones expulerint, testatur Plinius l. III. 5. 'Latium antiquum, a Tyberi Circeios usque, observatum est millium passuum quinquaginta longitudine. Colonis sæpe mutatis, tenuere alii aliis temporibus: Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.'

Bis denas Italo texamus robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Præcipiant; nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant, et fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos;
Munera portantes aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

ipsis *ligno Italico viginti naves, aut plures si possunt implere: tota materies jacet prope aquas: ipsi præscribant numerum et formam navium; nos suppeditemus æra, operam, et nautica* omnia. *Insuper placet, centum oratores Latinos e præcipuo genere ire, ut exponant* Trojanis mea *dicta, et jungant fœdera: et* placet eos *præferre manibus ramos pacificos, portantes dona eboris, et talenta auri, et sellam*

v. 307 *nec victi possunt absistere ferro.*—326. *robora* Goth. tert.—327. *implere* sec. Moret. et pr. Hamb. pro var. lect. *volunt* Menag. pr.—328. *numerosque* Sprot.—330. *ferunt* a m. pr. Gud. *firmant* pr. Hamb.—331. *Latini* plerique Pier. et quatuor apud Burm., minus bene.—332. *ramum* Moret. sec.—333. *eborisque aurique* vulgg. edd., nec modo inde ab Ald. tert. ex Naugerii emendatione, verum jam ex ed. pr. At vett. edd. una cum codd. omnibus id habent, quod Heins. revocavit. *eboris talenta* per se recte dici possent: æstimatur enim ebur ac venditur ad libram. Verum h. l. non appenditur *ebur*. Aiunt ad *sellam* curulem spectare vs. sequente: implicita itaque inter se collocavit (per chiasmum illustrare solent grammatici) *auri talenta et eboris sellam*. Mutavi autem interpunctionem, quam Burm. parum commodam intulerat hanc: *Munera portantes aurique, eborisque talenta, Et sellam, regni, trabeamque, insignia nostri*. Pierius distinguere malebat: *M. ...eborisque, talenta Et sellam n.* Tum *talentaque* ex Medic. Heins. receperat. Mihi nihil dum satis placet; præstat tamen ad sensum meum lectio ante

NOTÆ

326 *Italo roborc*] *Robur*, pro quocumque duriore ligno sumitur, Ge. I. 162.

329 *Navalia*] Vulgo *navale* locus est ubi stant naves. Hic, vel locus est ubi ædificantur; vel potius instrumenta omnia, quæ ad navium fabricam pertinent. De *talentis*, Æn. v. 112.

334 *Sellam, &c.*] *Sellam curulem:* ita dictam deinde a Romanis, non quod a *Curibus* Sabinis inventa esset, nam Florus testatur Tarquinium Priscum ab Etruscis eam accepisse; sed omnino *a curru:* nam vetus auctor apud Gellium l. III. 18. testatur, 'Senatores, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi: in quo curru sella esset supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur.' Utebantur autem ea reges primo, tum consules, censores, prætores, et ædiles curules: hanc etiam Romani regibus amicis muneris loco mittebant, ut Porsenæ apud Dionysium, Masinissæ apud Appianum et Livium. Erat illa *eburnea*, seu potius cœlato ebore contecta: tum incurvis pedibus, unde a Plutarcho in Mario dicitur ἀγκυλόπους, *incurvipes*. De *trabea*, toga regia et consulari, Æn. VII. 188.

Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
  Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens; genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras:
  Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,

et togam, notas nostri imperii. Vos *deliberate in commune, et subvenite rebus fractis. Tum idem Drances infestus, quem gloria Turni pungebat occulta invidia et stimulis acerbis; abundans divitiis, et abundantior eloquentia; sed manus* ejus erat *iners* ad *bellum:* tamen *reputabatur non vanus auctor* in *consiliis, potens factionibus; maternus splendor dabat illi genus illustre, a patre habebat ignotum* genus: *surgit, et accusat his verbis* Turnum, *augetque invidiam: Suades, o bone rex, rem ignotam nemini, nec indigentem voce nostra. Omnes fatentur se cognoscere*

Heins. vulgata: *muncra portantes, eborisque, a. t.*—336. *Tunc* al. *infessus* pro *infestus* Ven. In toto versu nitorem desidero: *idem infensus, quem.* Servius: Drances *idem,* videlicet, qui supra apud Æneam egerat. Hoc facere impedit appositum *infensus.* Mollior, puto, exiret oratio, si sic scriptum esset: *Tum Drances, idem, infensum quem gloria Turni...agitabat.* Ex libris nil notatum video.—337. *que* abest Franc. et Goth. tert.—338. *et* a Parrhas. abest. *linguæ melior* legisse videri potest Servius: nam laudatur ab eo non modo vs. 441 lib. I *lætissimus umbra,* ubi *umbræ* eum legisse probabile fit; sed et Sallustii II Hist. *fructuum pabulique lætus ager.* Atque sic emendabat quoque Marklandus in Epistola critica pag. 121, et Cuninghamus Silii simile dictum: *fati melior* lib. v, 333 advocat. Docte ita loqui poëtas nemo dubitet. Sed idem exemplum ab indocto homine aliunde ascribi potuit, et ambitiosum esset putidumque, tales delicias ubique sectari velle. Tandem *frigida bellum* sec. Rottend.—339. *non futilis actor* aliquot Pier.—341. *ferebant* Rom. Gud. a m. sec. alter Mentel. a m. pr. et Hugen., quod verum arbitror: præfero saltem; recepit etiam Brunck.—342. *auxerat* Goth. tert. *agregat* Dorvill.—344. *te scire* Dorvill. a m. sec.

NOTÆ

335 *Consulite in medium*] Id quod est in communem utilitatem. Ge. I. 127. 'In medium quærebant.'

339 *Futilis*] Vanus, loquax, inutilis, nihil continens, qui sibi credita statim effundit. Translatio est, juxta Servium, Donatum, Lactantium, a vase *futili* dicto: cujus os latum et patulum, fundus angustus et acutus erat: ita ut in terra depositum stare non posset, sed statim in latus effunderetur. Hoc utebantur in sacris Vestæ, quia iis sacris aquam in terra deponi nefas erat.

340 *Seditione*] Factionibus, captandis vulgi animis.

343 *Rem nulli obscuram, &c.*] ORATIO Drancis quinque habet partes. I. Dicit, omnes ideo tacere, quia Turnum timent. II. Unum se profitetur ex omnibus audacter in Turnum dicere pro re publica, quam ille temeri-

Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troia tentat
Castra, fugæ fidens, et cœlum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenæis

quid postulet sors gentis nostræ; *sed verentur dicere. Concedat licentiam loquendi, et deponat tumorem* ille, *cujus propter omina adversa et funestu studia (dicam enim vero, quamvis mihi comminetur arma et necem) videmus tot lumina ducum periisse, et urbem universam jacere* in *dolore: dum* ille *oppugnat castra Trojana confidens fugæ, et* dum *armis minatur cælo. Unum præterea, optime regum, unum addas istis muneribus, quæ multa imperas ferri et dici Trojanis: nec vis cujusquam te impediat, quominus,* cum sis *pater, tradas filiam illustri genero et splendidis nuptiis, et con-*

—345. *Quid fortuna petat* Medic. Gud. a m. sec. et multi alii ap. Heins. et Burm. cum Goth tert. Altera lectio vett. edd. obsidet, et merito præfertur: *ferat* est postulet, ejusque interpretatio, *petat*, ut Burm. quoque censet. *populis et* Sprot.—347. *ob augurium* ap. Priscian. lib. XIV, vitiose haud dubie. *auspicium infandum* Leid. *infaustum auspicium* Parrhas.—350. *Considisse* Zulich. *in luctum* alter Mentel. *in luctus* Parrhas. *in luctu* Leid. et quinque alii ap. Burm. cum Goth. sec. *Troica* alter Hamb. sed sunt *Tρόϊα. captat* Leid. —351. *fuga f.* Rom.—352. *mittis* Franc.—353. *dicique* Heins. secundum Pierium ex Rom. Medic. et omnibus præstantioribus: pro vulgari *duci*, quod in Ald. sec. receptum: docuit Heins. et ad h. l. et sup. ad lib. v, 486, *dicere* in his et similibus esse promittere. Proprie est designare munus et destinare.—354. *ullius sententia* Bigot. et pr. Hamb. pro var. lect. cum Goth. tert.—355. *gnatam* Rom. et al. *egregius* Goth. tert. *que* abest Dorvill.—

NOTÆ

tate ac fuga sua pene evertit. III. Censet pacis conditionibus ceteris hanc etiam adjiciendam, ut Lavinia conjux Æneæ detur. IV. Orat Turnum, ne patiatur privati commodi rationes publicis rationibus obstare. V. Denique orat, ut si bello abstinere nolit, privatam contentionem, non publico periculo, sed privato certamine dirimat: quod ab Ænea proponitur.

345 *Dicere mussant*] *Mussare*, est *muto* proximum esse; submissa et parum distincta voce, quasi timide ac dubitanter loqui; *obmurmurare*. Hic *timere, vereri.*

347 *Cujus ob auspicium*] Quia bellum administratur nutu et auspiciis Turni; non Latini, qui rerum habenas eam in rem deposuerat Æn. VII. 600. et forte felicioribus auspiciis bellum suscepisset, si suscipiendum duxisset.

351 *Fugæ fidens*] Carpit fugam Turni: cum a Junone, non tamen sponte, subductus est e pugna, Æn.

Des, pater, et pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quod si tantus habet mentes et pectora terror:
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso;
Cedat, jus proprium regi patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis, o Latio caput horum et causa malorum?
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne; simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en, supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi
Vidimus, ingentes et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur

firmes hanc pacem perpetuo fœdere. Quod si tanta formido Turni *occupat animos et pectora* nostra; *obsecremus ipsum, et precemur ab ipso veniam:* precemur, *ut permittat regi, et relinquat patriæ jus suum. Cur toties propellis miseros cives in manifesta pericula, o tu qui es Latinis origo et causa calamitatum illarum? Nulla est salus* in *bello: omnes flagitamus* a *te pacem, o Turne, et simul pignus certissimum pacis* Laviniam. *Ego, quem tu existimas tibi infensum, et* vero *non curo esse, ecce primus accedo supplex: miserere tuorum, depone iram, et ejectus recede. Satis vidimus vadium, fugati* ab Æneā, *et* satis *vastavimus arva spatiosa. Aut si gloria* te *excitat, si contines pectore tantas vires, si denique tibi cara est* hæc *aula* quam

---

356. *Das* pr. Moret. *hanc* deest Ven. *huic* Franc. *f. firmes*, quod longe melius, habent Rom. et alii Pier. Medic. a m. sec. cum aliis multis Heins. et Burm., item Goth. sec. *finges* sec. Rottend. a m. pr.—357. *mentes* Rom.—358. *obtestamur* Gud. a m. pr. *rogemus* Zulich. *precemur* sec. Rottend.—359. *proprium* vel *patrium* Zulich. *patriæque* quam commode memoretur, non dicam: accipiendum de populo Latinorum et de salute publica. Latinus in filiam, ejusque conjugium quicum vellet jungendum, jus habebat duplex: et tanquam pater, et tanquam rex. Igitur non *patriæ* sed *regique patrique* videtur legendum. Nullus tamen codex hoc præfert, nisi unus Goth. tert., in quo *patri* est, sed forte lapsu verius quam judicio. Contra Servius Asprum primum monuisse narrat, ut interpungatur post *Cedat*.—360. *Qui* Goth. tert.—361. *a Latio* Franc. pro *ah! laborum* Moret. qu. v. sup. VII, 481.—362. *pacem bello te* Dorvill. *pacem deposcimus* ed. Ven. Burm.—364. *Primus age* Ven. *fingis obesse* alter Menag. *inesse* Ven.—365. *et supplex* Franc. *veniam* Zulich. a m. pr.—366. *funere f.* Reg. et Parrhas., qui et: *fusus abi; at funere fuso* Gud. a m. pr. Mentel. tert. *funera fusis* Medic.—367. *despoliavimus* Gud. a m. pr.; at *desolare* non improbandum: cf. Gronov. Obss. IV, 21.—

NOTÆ

x. 659. De *hymenæis*, nuptiis, Ge. III. 60.

359 *Cedat, &c.*] Si adeo Turnum timemus, ut nullus ausit de eo conqueri: ne queramur, ne vi agamus; sed precemur ipsum, saltem sinat ut rex et patria rei communi libere consulant pro suo jure.

Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est:
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux,
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.

Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi

ambis *in dotem, aude, et securus oppone pectus adversum contra hostem. Nempe, ut uxor regia detur Turno, nos fundamur campis, animæ ignobiles, turba insepulta et indefleta. Nunc vero tu, si est tibi virtus ulla, si habes quicquam patriæ fortitudinis, contuere* ex *adverso* illum *qui te appellat. Violentia Turni accensa est his verbis: dat gemitum, et emittit e profundo pectore verba ista: Semper quidem, o Drance, copiosa tibi est facultas loquendi, tunc cum belli exigunt opus: et senibus*

368. *At si* Goth. sec.—369. *aut si* Medic. *at si* pr. Hamb. *est* abest Ven. —370. *aversum* Rom. *fer fidens* Franc. *fer pectora in h.* alter Mentel. a m. pr. et Exc. Burm.—371. *Si licet* Dorvill.—372. *infleta inhumataque* Ed. pr. Burm.—373. *Sternemur* Donatus et Pierii Mediceus, tum pars Heinsianorum, cum ed. pr. Burm., sed vetustiores omnes tuentur id, quod inde ab Aldd. editur, *Sternamur*. Tum *Etiam tu* editum ante Heinsium: sicque Servius legit, et explicat *Eia*, nam est hortantis adverbium hoc loco. *Et tu jam* ed. pr. Burm.—374. *Martis quid* Goth. tert. *solum adspice* Waddel. emendat apud Burm.—375. *Quid v.* Gud. et Rottend. tert. a m. pr. Supplet Leidensis: *audacem solum te in prælia dura.*—377. *rupitque* Parrhas. et Paris. cum Goth. tert. *imo e pectore* pr. Mentel. a m. pr., aut, ut Burmanno videbatur, *imo a p. imo de pect.* alter Hamb., at in sec. Moret. deerant voces: *has imo.* —378. *Longa q.* Zulich. a m. sec. *Drance semper.* Ordo ex libris Pier. et Heins. pro vulgari: *semper Drance:* quem Rom. tuetur. Tum *Drances* Goth.

NOTÆ

372 *Inhumata infletaque turba*] Privata funebri honore: quod apud veteres miserrimum fuit, Æn. VI. 325.

375 *Qui vocat*] Supra, 115.

378 *Larga quidem, &c.*] ORATIO Turni duas habet partes præcipuas, quarum prima refellit Drancem; secunda caput, de quo deliberatur, attingit. I. Refellit criminationem temeritatis et fugæ, primo vanam Drancis eloquentiam per ironiam illudendo; secundo commemorando facta sua, cædem Pallantis, Bitiæ, &c. II. Timorem Drancis de Trojanorum virtute conceptum elevat, ironice exaggerando: aitque, nunc Græcos ipsos, Achillem, Diomedem, coram Trojanis trepidare; flumina ipsa retro ab iis fugere, &c. III. Simulatum de se timorem Dranci adimit, profitendo se tam ignavo sanguine maculari nolle. Atque hæc prima pars orationis est. IV. Concedit ad eas pacis conditiones abeundum, si res desperata sit: quanquam forte mori tum gloriosius foret. V. Ostendit rem adeo non esse desperatam, ut potius integra sit; cum auxilia sibi multa supersint; cum victoria Trojanis admodum cruenta fuerit, damnumque par; cum

Tum, cum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger mœrorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropæis
Insignes agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet; nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors

convocatis primum interes: sed aula non est implenda verbis, quæ magnifica excidunt tibi impune; dum propugnacula murorum cohibent hostem, nec fossæ redundant sanguine. Itaque tona vi *eloquentiæ*, quod *tibi consuetum* est; *et tu*, o *Drance, accusa me timoris; quandoquidem tua manus edidit tot cumulos cadaverum Trojanorum, et passim illustras campos trophæis. Licet tibi explorare, quid valeat virtus ardens: scilicet hostes non erunt nobis petendi procul, undique circumdant muros.* An *ibimus contra* illos *oppositos* nobis? *cur moraris? an fortitudo bellica semper erit*

pr. Zulich. et ipse Medic., sed est ὁ Δράγκη.—379. *Tum* ab Heinsio. Vulgo: *Tunc.*—380. *complenda* Franc. *implenda* Goth. tert.—381. *detinet* Medic. et alii Heins. et Pier. cum binis Goth. *destinet* Rom.—382. *Agger mœrorum:* scripturam recepit e codd. Heins. cf. sup. ad lib. x, 24 et 144. Editum vulgo: *murorum*, quod Rom. tuetur. In Medic. et Mentel. pr. a m. pr. *Aggere mœrorum.* Porro *fossas* ap. Priscian. lib. VIII legi Pierio observatum. At v. sup. ad x, 24. Illud vero multo minus probandum, quod Canterus VI Nov. Lect. 8. conjecit, et a Cerda repositum video: *et inundant s. f.*, postulante, ut ait, sententia. A qua utique aberravit. Nam est: Magna loqueris, dum adhuc muri ab hoste te tutantur et fossas nondum sanguis inundat, h. urbs nondum oppugnatur; quod exquisitius altero modo extulit: *nec inundant sanguine fossæ: ut inundant* absolute sit dictum. *nec* supplendum ex antec. *dum*, ut sit *necdum.*—383. *sona* Vratisl. *eloquio solito* plerique Pier. (excepto Romano) et aliquot Heinsiani cum Goth. tert. et Erf. Sed *solitum tibi* elegantius; variata oratione, pro: ut soles. Sic *εἰωθὸς* absolute interponitur, et alia. *meque furoris* Montalb.—384. *Arguito D.* pr. edit. Burm. et Erf. *Drances* etiam hic aliquot. v. ad v. 378. *quando tot* Heins. e grammaticis et scriptis. Vulgo: *tot quando.* Tum *cædis acervos* Quintil. lib. IX, 2, ut sup. x, 245. XI, 207, h. e. cæsorum.—385. *Teucrum tot tua* sec. Moret. *tua tela* Zulich. a m. pr.—386. *Insignes* tres Heins. *Insignis tot agros* Zulich. *Insignis campos* duo Rottend. Ita fuere de syllaba *is* male soliciti. *quod* Zulich. a m. pr. *Sparsit quid* Sprot. pro var. lect. *invida* c. Goth. tert.—387. *libet* Menag. pr. *non l.* pr. Hamb. et Goth. sec. *longo* Exc. Burm.—388. *Quær. vobis* Zulich. a m. sec. *circumdant* aliquot Pier. et Burm. et Ald. pr., nam tertia *circumstant* cum cett. vett. edd.—389. *Imus in adversos?* interroga-

NOTÆ

adhuc bellum in ortu ipso sit atque initio, ideoque facile mutari possit fortunæ vicissitudine. VI. Auxiliis Diomedis, quæ desunt, opponit auxilia quæ adsunt quamplurima, Messapi, Tolumnii, Camillæ. VII. Denique offert se pugnæ singulari.

385 *Tropæis*] Supra, 7.

Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Tybrim
Sanguine, et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere septus.
Nulla salus bello. Capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ; contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt,

tibi in superba lingua et istis pedibus fugacibus? An *ego fugatus* sum, o *ignavissime? an vero ullus accusabit me* quod *fusus* fuerim: *qui considerabit Tybrim inflatum crescere sanguine Trojano, et universam domum Evandri extinctam esse cum sobole, et Arcadas spoliatos exercitu? Bitias et vastus Pandarus non sic experti* sunt *me, et mille alii quos* uno *die victor dejeci ad Inferos, clausus muris et circumdatus munimentis hostilibus. Nulla* est *salus* in *bello*, ais? *ominare talia, o insane, homini Trojano, aut rebus tuis. Itaque ne desinas commovere omnia magno timore, et extollere potentiam nationis bis superatæ, contra* vero *minuere potentiam Latini. Nunc etiam principes Myrmidonum reformidant arma Trojana? nunc*

tionem Heinsius quoque firmat. Ego non desiderem. *Imus* pro *Quin imus*, quod sæpe apud Comicos. Et Homericum Ἀλλ' ἴομεν.—391. *nequicquam armis terrebimus hostem* suppleverat Medic. a m. pr. *nunquamne sines fallacia verba* Leid.—392. *haud quisquam... Arguet ἀνοφατικῶς* Donatus. *haut* etiam Erf. *an qu.* Leid. cum Goth. *an merito quisquam* Parrhas. *aut quisquam* ed. pr. Burm.—393. *Arguit* Oudart.—394. *tota cum stirpe* tres Heins.—395. *Proc. Deos* Goth. pr. *exhaustos* Oudart. et pr. Hamb. pro. var. lect. *exustos* Goth. tert. *Arcades* cum eodem Dorvill.—396. *Aut ita ... misi?* ed. Ven. Burm. *et Pand urguens* Medic. a m. pr.—397 *Et quo* Franc.—399. *N. manus.* Goth. sec. —400. *Proin* Oudart. Sed nec hoc nec *Proinde*, quod v. 383 præcessit, nunc suaviter repetitur.—402. *et contra* Goth. pr.—403. *tremescunt* scribunt Rom.

NOTÆ

394 *Evandri Procubuisse domum*] Occiso Pallante ab ipso Turno, Æn. x. 442.

396 *Bitias et Pandarus*] Portæ Trojanæ custodes, quos interfecit Turnus cum in eam urbem insiluit, Æn. ix. 708. et sequentibus.

399 *Capiti cane, &c.*] *Canere*, vatum proprium est, et futura prædicentium; et sensus est: Jacta infaustum illud omen in Trojanos, in te ipsum; quod nempe nulla, neque his, neque tibi per bellum salus sit.

402 *Bis victæ*] Primum ab Hercule, deinde a Græcis Æn. iii. 476.

403 *Nunc et Myrmidonum, &c.*] Iro-

Nunc et Tydides, et Larissæus Achilles:
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas. 405
Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus, et formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextra hac (absiste moveri)

etiam Diomedes, etiam Larissæus Achilles? fluvius etiam Aufidus retro fugit mare Hadriaticum? eodem *ipso* tempore, *quo scelestus* ille *accusator simulat se timidum adversus meas rixas, et exasperat metu* suo *accusationem* suam. *Desine turbari, nunquam perdes talem animam hac manu* mea: *maneat tecum et stet in illo*

pæne omnes Pier. Mediceus et alii Heins. conf. Heins.—405. *Amnis ad H.* Parrhas. et Dorvill., ex interpretatione. *Omnis et* conj. Cuningham. *r. f. Appulus* conj. T. Faber, perperam.—406. Locus Quintil. IX, 3, 14 est: *Alia commendatio vetustatis est* (de schematibus loquitur), *cujus amator unice Virgilius fuit: Vel cum se pavidum* — Cum non appareat, quo in verbo archaismus lateat, Heins. post Matium suspicatur scriptum fuisse *contra mis*, quod veteres pro *mei*. Alia est Gesneri ad e. l. sententia, excidisse aliquid in Quintiliano, idem tamen putat esse in usu voculæ *rei* vetustatem quærendam: cum sit pro *etiam*, *adeo*. In fine *jactat* Bigot. et Goth. tert., sicque apud Quintil. l. c.—407. *acervat* passim scribitur: etiam in binis Goth. ex morte superiorum sæculorum. conf. Pier.—408. *subsiste* Goth sec. *dextra ac assiste* Dorvill.—410. *et* abest Mentel. pr. et Goth. tert. *magna*, quod Heinsius intulit, Romani lectio est, quam aliquot alii Pier. Menag. pr. Sprot. Moret. sec. et ipse Gudianus firmant, quem miror hic deserere Mediceum, qui alteram familiam ducit: *magne pater:* ut vulgo editum; quod Donatus interpretatur,

NOTÆ

nice metus inanitatem exaggerat. Dic, ut nobis timorem incutias, Myrmidonas, Diomedem, Achillem timuisse arma Trojana: qui nunquam illa timuerunt. *Myrmidones*, Thessali vel Æginetæ, Achillis milites, Æn. II. 7. *Phrygia*, ubi Troas, Æn. I. 385. *Tydides*, Tydei filius Diomedes, supra 243. *Larissæus Achilles*, Thessalus, Æn. II. 197.

405 *Amnis et Hadriacas, &c.*] Dic ipsos etiam fluvios, Trojanorum metu, retro aquas egisse. *Aufidus*, nunc *Lofanto*, fluvius Italiæ, in Hirpinis nascens, inter Apuliam, Dauniam, et Peucetiam, in mare Adriaticum fluens, celebris Cannensi prælio, quo circa ejus ostia Romani ab Annibale victi sunt. *Hadriacum*, vel *Hadriaticum*, vel *Hadrianum* Mare, vel *Hadria*, pars est Mediterranei Maris: a promontorio Salentino, quod superius est Italiæ cornu, in sinum influens, Italiamque ad septentrionem alluens, unde *mare superum* vocatur. Huic nomen ab *Hadria* urbe et fluvio in tractu Veneto, supra Padi ostia, sub extremum sinum, ad latus occidentale: nunc dicitur sinus ipse *Golfe de Venise*, ab urbe Venetiis. Scribitur, vel sine aspiratione *Adria*; vel, ut in plerisque omnibus antiquitatis monumentis, cum aspiratione *Hadria*.

407 *Artificis scelus*] Pro *scelesto artifice*. Sic apud Comicos frequenter. Terent. Andr. III. 5. 1. *Ubi illic scelus est, qui me perdidit? crimen* item, pro criminatione seu accusatione, supra, 122.

408 *Dextra hac*] Quæ consuevit fortes occidere, non ignavos. Sic Cæsar ad Metellum, apud Lucanum l. III.

Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum:
Oremus pacem, et dextras tendamus inertes.
Quanquam, o, si solitæ quicquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique supersunt;

tuo *pectore. Jam redeo ad te et* ad *tuam deliberationem*, o *magne pater. Si nullam deinceps constituis spem in nostris armis; si sumus tam destituti, et omnino periimus* ob *exercitum semel fugatum, et* si *fortuna nullam habet vicissitudinem: precemur pacem, et porrigamus manus exarmatas. Tamen, o si restaret* nobis *aliquid virtutis pristinæ, ille* videretur *mihi felix* in *laboribus, et virtute præstans præ ceteris; qui, ne cerneret quicquam tale, semel procubuit moriens et momordit ore tellurem. Si* vero *nobis restant vires, et juventus adhuc illæsa, et urbes ac nationes Italæ* ad *subsidium; si* vero *præterea victoria*

et bini Goth. agnoscunt: nam alter *magna* habet. *revertar* Leid.—412. *deserto* Hugen. *et si semel* alter Hamb. *et simul* Gud., sicque ed. pr. Burm., male. conf. mox v. 418.—413. *neque* Heins. e scriptis pro *nec. regressus* alter Hamb. *recursum* Leid. Laudat Burm. not. ad Ovid. VI Met. 450.—414. *reddemus* Zulich. a m. pr. *inertis* recepit Heins. e Rom. aliisque Pier. suisque melioribus, quoniam videbat nervosius esse et plus artificii præ se ferre, quam vulgatum *inermes*, quod Servius quoque habet. cf. sup. ad X, 595, ubi eadem varietas, et inf. v. 672.—415. Non puto male aliquis aposiopesin statueret, et distingueret: *Quanquam o! si solitæ quicquam virtutis adesset*—(sc. quisquamne sustineret hoc facere?) Tum pergit: *Ille mihi*. Sic sup. lib. v. 195 *Quanquam o!—sed superent, quibus hoc, Fortuna, dedisti.*—416. *ante oculos* apud Rufinian. de Schem. Lex. pag. 247. *fortunatusque malorum* Hamb. alter.—418. *simul* Zulich. a m. pr. ed. Ven. Burm. et qui paulo majoris est auctoritatis cod. Rom. Sicque conj. Burm. ad Anthol. Lat. T. I, pag. 88. Præferet tamen vulgatum qui cogitet sententiam esse: præstat semel mori. *memordit* aliquot Pier. et Leid. conf. Gell. VII, 9.—419. *Quin et* Montalb. pro var. lect. *Sunt et opes* ed. Ven. et Dorvill. a m. sec. *vobis* Goth. tert.—420. *Itali p.* Goth. tert.—422. *suntque*

NOTÆ

135. 'haud unquam jugulo se polluet isto Nostra, Metelle, manus; dignum te Cæsaris ira Nullus honos faciet.'

415 *Quanquam, o, si, &c.*] Si funditus occidimus, petamus pacem: tamen, vel ita quoque, si quicquam haberemus virtutis, deberemus mortem majori felicitati ducere, quam pacem: ut ille Mezentius, qui ab Ænea occisus est, Æn. X. sub finem.

416 *Fortunatus laborum, Egregius animi*] Græca locutio, supra 73. *Læta laborum.*

Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine; sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas: cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis ævi
Retulit in melius; multos alterna revisens
Lusit et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus et Arpi:
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces; nec tarda sequetur

contigit Trojanis cum multo sanguine, si *sunt illis suæ mortes, et par clades in omnibus: quare ignavi deficimus in primo ingressu* belli? *cur tremor invadit membra ante* sonitum *buccinæ? Tempus, et multiplex motus annorum instabilium vertit plurima in melius: Fortuna alternatim revisens decepit plurimos, et rursus constituit* eos *in firmo* statu. *Ætolus et Arpi non erunt nobis subsidio: sed erit Messapus, et fortunatus Tolumnius, et ductores quos tot nationes miserunt: nec parvus honos*

---

illis Rom., suavius utique, probantque Pier. et Heins., nec tamen receptum. *sint illis* pr. Hamb., f. pro *sin*, ut conj. Heins. *illi* quoque legi monuit Servius et ex eo Jul. Sabin., ut sit pro *illic*, sicque Leid. a m. pr. et edd. aliquot.—424. *Deficimur* Montalb., eleganter, judice Heinsio, quem v. ad Ovid. Epp. v. 150.—425. *variusque labor*, quod Macrob. et Nonius agnoscunt, quodque Bruncknius retraxit, ante Heins. legebatur, qui Rom. Medic. et ceteros meliores codd. secutus est: et recte, primo, quod verborum et epithetorum collocatio inde exit poëtica: *varii labor mutabilis ævi*; cum *varius labor mutabilis ævi* minus doctum sit; tum, quod dictum est hoc ipsum elegantius: *varii labor mutabilis ævi*: ut sit *ærum varium*, quo varia fortuna jactamur. *labor mutabilis* h. mutatio laboris, ærumnæ. *bellique labor* aliquot Pier. *variisque* Dorvill.—426. *multosque* Medic. a m. sec. *m. mutata* r. Schol. Horat. ad I Od. 34. *recusos* Franc.—427. *in solio* alii apud Ursin. Zulich. et Parrhas. *in solito* sec. Rottend. et a m. sec. Dorvill., perperam. *in solido* est in integro, in incolumem statum, in integrum restituit.—429. *Tolonius* Parrhas. *Tholonius* Goth. tert.—430. *non* edd. nonnullæ. *nec tarda* tanquam elegantius recepit secundum Ge. Fabricium Heinsius ex Servii auctoritate: cui Ven. et pro var. lect. Menag. accedebant: cum Goth. sec. Ceteri codd. omnes tuentur vulgatam: *nec parva. nec tanta* Exc. Burm. *sequentur* Bigot. Versum laudat Schol. Statii ad VI. Theb. 910, ubi *sequitur* explicat: concedit illi, datur.—

NOTÆ

423 *In limine primo*] Vix dum inito bello.

424 *Ante tubam*] Antequam decretoria pugna tubarum sonitu indicta sit.

428 *Ætolus et Arpi*] Diomedes Argyripæ conditor, supra 243.

429 *Messapus, &c.*] Dux aliquot Etruscorum, invulnerabilis, Æn. VII. 691. *Tolumnius*, augur, qui fœdus disturbabit, Æn. XII. 258. et in eo tumultu occidetur. *Felix* dicitur ob peritiam et felicitatem auguriorum. De *Latio*, et *Laurentibus* agris, Æn. VII. 54. 63. De *Camilla*, duce Volscorum, Æn. VII. 803. et infra 535.

Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentes ære catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto;
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quicquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra; vel magnum præstet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Æneas vocat. Et, vocet, oro.
Nec Drances potius, sive est hæc ira Deorum,

comitabitur congregatos e Latio et campis Laurentibus. Est etiam Camilla, ex illustri gente Volscorum, ducens agmen equitum et turmas fulgentes ære. Quod si Trojani me vocant unum ad pugnam, et id vobis *videtur, et tantum noceo publicæ utilitati: victoria non adeo fugit aversata* meas *istas manus, ut abnuam audere quicquam pro spe tanta. Ibo virtute* mea *adversus* Æneam: *quamvis ille præ se ferret magnum ipsum Achillem, et haberet arma paria* Achilleis, *fabricata manibus Vulcani. Ego Turnus, nemine majorum inferior virtute, devoveo hanc vitam vobis et Latino socero. Æneas me poscit unum? et* vero *precor,* ut *poscat* me unum: *potius quam* ut *Drances morte pereat* mecum, *si talis est ira Deorum* ut pereamus;

431. *delectas* Parrhas. *dejectos* Gud. a m. sec. cum aliquot aliis Heinsii, ut ad Trojanos referatur. In Mediceo versum hunc postponi sequenti notat Burm., quod apud Fogginium non ita se habet.—433. *et* deest Dorvill. De toto versu dubito an huc translatus sit ex lib. VII, 804.—434. *Quo si* Rom. *Quos si* Hugen. *me Teucri solum* in Pierianis aliquot. *in certamine* Mentel. pr. et Franc. vid. sup. v. 221.—439. *patria i. arma.* duo Burm.—440. *Illa licet* pr. Moret. *Ire l.* Parrhas. *libet* Bigot.—442. *Devoveo* vett. edd. et deinceps vulgatæ. *Devori* Heins. e Pier. et suis omnibus. *Devivo* Rom. *Æneas solum* alter Hamb. *Solum Æneas vocat?* cum interrogatione Ge. Fabric. nec male. Ut nunc est, supple *Devovi*, si *Æneas vocat. orat* Hugen. *omen* sec. Rottend.—443. *sive hæc est* Franc. et Goth. tert. *cura d.* Montalb.—445. *Olli inter*

NOTÆ

433 *Florentes ære catervas*] *Fulgentes:* metaphora, de qua Ge. II. 6.

437 *Tanta pro spe*] Vel victoriæ; vel Laviniæ; vel laudis inde colligendæ, quod solus privato periculo communem salutem pepererim.

439 *Vulcani manibus*] Et habebat quidem Æneas, quod ignorabat Turnus, arma Veneris rogatu a Vulcano fabricata, Æn. VIII. 370. Quemadmodum Achilles arma item rogatu Thetidis ab eodem obtinuerat, apud Homerum, Iliad. XVIII. 369.

443 *Nec Drances potius, &c.*] Invitavit Drancem ut secum in hostes irrueret, socius laudis et periculi, 380. Nunc orationem quasi retractans ait: Æneas me solum vocat: et vere id opto, potius quam ut Drances aut laudis aut periculi mei particeps sit.

Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes; castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, et arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt; fremit arma juventus;
Flent mœsti mussantque patres. Hic undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras:
Haud secus, atque alto in luco cum forte catervæ
Consedere avium, piscosove amne Padusæ

aut referat gloriam, *si virtus aut gloria est* hic consequenda. *Illi rixantes discrebant hæc inter se de rebus ambiguis: Æneas movebat* loco *castra et exercitum. Ecce nuntius currit magno tumultu per domum regiam, et replet urbem magno metu,* dicens: *Trojanos ordinatos* in *aciem, et exercitum Etruscum descendere e fluvio Tybri per tota arva. Statim turbatæ* sunt *mentes, et commota pectora plebis, et furor excitatus non levibus stimulis. Tumultuantes corripiunt arma manibus, juventus fremens* flagitat *bellum, patres plorant queruntur que tristes: tum ingens clamor effert se undique in aërem* cum *multiplici discordia. Non aliter ac cum forte turmæ avium sederunt in profunda sylva; aut* cum *rauci cycni emittunt cantus in*

---

sese d. ed. pr. Burm. *variis* Parrhas. *dubiis dum rebus* conj. Burm.—446. *acieque* Ven. *movebant* Dorvill. *vocabat* pro var. lect. Oudart.—447. *per r. castra* sec. Moret.—448. *que* abest Oblongo et Parrhas. *inplent* Hugen.—449. *aciem* Voss., ut *instructos aciem* græcismo dictum sit. *a* abest Medic. a m. pr.—450. *decedere* Hugen.—451. *turbati animo* Rom. *confusaque* Parrhas.—452. *non*, pro, *haud* Bigot. et Goth. tert. *aures* Montalb.—453. *manu* Heins. e scriptis non tam reposuit, est enim communis edd. lectio, quam potius vitium, puto, editionis Dan. Heinsii expulit, in qua est *manus*. Idem conj. *manus trepidæ*, Voss. alter *metu tr.*—454. *Hinc v.* plures Heins. *Sic* Dorvill. *Tunc* Goth. sec.—455. *Dissensu* tert. Rottend. *magnus vario* vett. edd. ap. Pier., idque revocavit Cuningham. e Ms. Bersmanni. *ad auras* Medic.—456. *in* abest Goth. tert. et Exc. Burm. *cum fronte* alter Hamb.—457. *Considere* Hugen. et tert. Mentel. cum Reg. *amni* Parrhas. *piscosoque* plures ap.

NOTÆ

449 *Tiberino, &c.*] Æn. VIII. 330. *Teucros*, Æn. I. 239. *Tyrrhenum*, Æn. VIII. 479. *Mussant*, obmurmurant, supra 345.

457 *Amne Padusæ*] *Padus*, maximum Italiæ flumen, de quo Ge. I. 482. ostiis quidem septem in Mare Adriaticum defertur, sed duobus antiquissimis: quorum septentrionale dicitur *Volana*, hodie *il Po di Volano*; meridionale, *Padusa*, hodie *il Po d'Argenta*. Vocat *stagna*, propter diffusas

Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Corripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capessant:

piscoso fluvio Padusæ, inter aquas garrulas. Nempe, o cives, inquit Turnus, arrepta occasione, convocate concilium, et otiosi prædicate pacem: dum *illi irrumpunt in regnum armati. Nec plura effatus, proripuit se, et celer exportavit se ex alta domo. Tu, ait,* o *Voluse, significa turmis Volscorum* ut *armentur: duc etiam Rutulos: Messape, et Coras cum fratre, explicate per agros equites in armis. Pars defendant ingressus urbis, et occupent turres: reliqua multitudo ferat arma mecum,*

Burm. *piscosæve* Oudart.—458. *nivei* Moret. qu. et Vratisl. *loquacia* firmant vetustissimi Rom. Medic. et al. *loquencia* vel *loquentia* pars codd. Pier. et Goth. tert., sicque codd. Servii ad Ecl. VIII, 22, quæ varietas et alibi occurrit. *liquentia* Bigot. et ed. Ven. apud Burm. cum Dorvill. *liquacia* pr. Moret., quo apparet, omnia hæc esse a librariorum stupore profecta. conf. sup. ad IX, 679. Interpolatum est in aliis *stagna sonantia* ap. Pier. et in Sprot.—459. *o juvenes* Schol. Statii lib. VII Theb. 612. *arrecto* Goth. tert.—460. *et* deest qu. Moret. *sequentes* Bigot.—461. *ad tecta* ed. pr. Burm. et Goth. sec. *in tecta* Schol. Statii VII Theb. 612. *ruant* e libb. suis et Pier. prætulit Heins., pro vulgato *ruunt*, quod et ipsum suam vim habebat.—463. *Tum* ed. Ven. ap. Burmann. *Volsce* eadem, cum Dorvill. et ed. Mediol. Fuit Valeriæ gentis familia *Valesorum*. *dice* alter Hamb. *maniplos* Gud. a m. pr.—464. *Duxit ait* Ven. et Goth. tert. *Dixerat* Bigot. Tum *Equitem* e Medic. et aliis egregie restituit et defendit Heins. Agnoscit et Servius. Vulgg. secundum Romanum *equites*, et plerumque junctim: *Rutulos equites*.—465. *Corax* Goth. pr. *Latiis* Erf., nec ipsum male. *effundite* Franc.—466. *firmant* pr. Hamb. et

NOTÆ

paludis in morem circa ostia Padi, et variis fossis confluentes aquas. *Amne Padusæ;* ut *urbem Patavi*, Æn. I. 251.

463 *Maniplis*] *Manipulus* erat certus militum numerus, qui sub eodem signo pugnabat. Erat Romuli tempore militum centuria; postea duas centurias cepit. Sic dicitur, ex Varrone, quia *minima manus* sive turba militum erat: ex Vegetio, quia *junctis manibus*, id est, simul pugnabant: melius ex Ovidio, Aurelio Victore, Donato, &c. quia pro signis et aquilis, Romuli tempore, habuerunt fasciculos fœni, pertica suspensos: fasciculi autem illi dicuntur *manipuli* quod manum impleant.

464 *Equitem, Messapus*] Sic interpungimus et legimus, post Servium et Donatum: ut Volusus ducat Rutulos, et simul moneat Volscos ut sub ducibus suis pugnæ se parent; Messapus vero, Coras, et ejus frater Catillus, de quibus Æn. VII. 672. ducant equites. *Messapus*, nominativus est pro vocativo; ut Æn. VIII. 77. 'Hesperidum fluvius regnator aquarum Adsis,' &c. Æn. XII. 192. 'Socer arma Latinus habeto.'

Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt;
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Æneam, generumque asciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona
Matronæ puerique; vocat labor ultimus omnes.
Necnon ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,

qua parte *jussero*. *Confestim ex urbe tota curritur ad muros. Ipse pater Latinus abrumpit concilium et magna exorsa, et turbatus luctuoso tempore, differt* ea in aliud; *et accusat se plurimum, quod non ultro admiserit et urbi adoptaverit generum, Trojanum Æneam. Alii faciunt fossas* ante *portas, aut supponunt stipites et saxa: rauca tuba dat signum sanguineum* ad *pugnam. Tunc matronæ et pueri circumdederunt muros multiplici cœtu: extrema necessitas invitat omnes. Regina quoque* cum *ingenti comitatu matrum vehitur ad templum et supremam arcem Pal-*

Ven., qui et *capessunt* habet. *firmet* aliquot Heins., inter quos a m. pr. Gud., qui idem cum Erf. *capessat*, hoc quidem cum Medic., qui idem a m. sec. *firmet* habet.—467. *qui* Bigot. *qua jubeo* Vratisl. et Goth. sec., male. vid. Not.—469. *Consilium* Reg., sic et alii hic et sup. 460. *pater ipse* Medic. a m. pr. pr. Moret. et Goth. tert. *magnum* Medic. a m. pr.—470. *tr. t. pectore* vett. edd. Mutavit, puto, primus Naugerius in ed. Ald. tert., ut sit *tempore*, hocque codd. consensu firmat.—471. *quod non* Gud. Ven. Mentel. pr. a m. pr. Exc. Burm. *quod non deceperit* Erf. *acceperat* Bigot.—472. *generumque asciverit urbi*. Sic constanter legitur et distinguitur. Erit adeo *urbi*, in urbis ac regni utilitatem. Parum commode. Suspicor fuisse *qui non acceperit ultro Dardanium Æneam generumque asciverit: urbis Præfodiunt alii portas.* Sic utique lenior procedit oratio.—473. *Perfodiunt* tres ap. Burm. *ac s.* Goth. tert.—474. *Subjiciunt* lect. varians vett. edd. ascripta, quam Catrœus recepit: scilicet deterius pro exquisitiore. *Bello signum dat* Moret. qu.—475. *Tunc* ante Heins. vulgg. —476. *labor vocat* Parrhas., sicque Cuningham. edidit.—477. *Nec non et* Leid. *magnasque ad* ed. pr. Burm.—478. *corona* tert. Goth., sed *caterva* in marg.—

NOTÆ

467 *Jusso*] *Jussero*. Sic frequenter in duodecim tabulis, apud Cicer. de legibus, &c. *præcepsis*, pro *præceperis: rupsis*, pro *ruperis: rapsis*, pro *rapueris*. Sic *faxo*, pro *fecero; faxim*, pro *fecerim*. Turnebus l. xv. c. 15.

477 *Palladis arces*] Templa Palladis vulgo in arcibus, quia Pallas inventrix dicitur arcium: Ecl. II. 61. 'Pallas quas condidit arces Ipsa colat.' Dona ferunt ipsi, *peplum*, Æn. I. 484. Cultum vero Palladis reliquorumque Deorum Laurentes a Græcis acceperant, qui frequentes consederant in meridionali Italiæ parte, quæ inde diu *magna Græcia* dicta est.

Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, et templum thure vaporant;
Et mœstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens, præses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus.
Jamque adeo Rutulum thoraca indutus aënis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro;
Tempora nudus adhuc; laterique accinxerat ensem;

ladis, portans munera: et prope comes est *Lavinia puella, causa tantæ calamitatis, et submittens formosos oculos. Matres sequuntur, et implent templum vapore thuris, et e porta sublimi emittunt voces luctuosas:* O *virgo Tritonia, potens in armis, præsidens bello, rumpe* tua *manu arma Trojani prædatoris, et dejice illum humi præcipitem, et disturba sub altis portis. Turnus ipse ardens armatur ad pugnam: et jam armatus* secundum *loricam Rutulam* erat *asper squamis æreis, et texerat auro tibias, adhuc detectus* secundum *caput; et alligaverat gladium lateri;*

480. *Causa mali tanti atque oculos* vett. edd. et, quamvis Pierius ejiciendum τὸ *atque* monuerat, etiam seqq. vulgg. Itaque Heinsius expulit secundum codd. Hiatum, quem toties librarii ferre nequivere, explevere Montalb. et Parrhas. *tantique.* Majorem dubitationem facit, quod in Rom. erat: *Causa malis tantis:* sic Donatus et pars codd. Heins. cum Regio et Goth. tert., nec vero alter fuit in libro, unde Mediceus descriptus erat, nam in hoc a pr. m. fuerat: *mali tantis.* Itaque rationes potiores conspirant in hoc, scriptum a Marone fuisse: *Causa malis tantis oculos d.* Tandem Cuningham. emendabat *Tanti causa mali.* Sed poëtam dedecet semper eosdem numeros sectari. *oculis d. decoris* sec. Rottend. *oculos d. decores* alt. Voss.—481. *tura* Mentel. pr.—482. *de pectore* aliquot Pier. et Heins. cum Goth. tert. *de limine* etiam Serv. agnoscit. Sed vid. Not.—483. *belli præses* ordo in vulgg. ante Heins., quem revocavit Cuningham.; adeo difficile est quicquam in his probare, quod non alius improbet factum. *præsens* nonnulli, etiam apud Serv., sicque Medic., sed a sec. m., cum aliis Heins. et ed. pr. *et Saturnia v.* Parrhas. a m. sec.—484. *Fr. m. templum* Goth. tert.—485. *Sterne solo pronum* Parrhas. *et portis* ed. pr. Burm. *portisque* vel *pontisque* Leid. *sub ipsis* ap. Macrob. v Sat. 3, sicque a m. sec. pr. Hamb.—486. *in* aberat Gud. *in funera* pr. Hamb. a m. pr.—487. *rutilum thoraca* Macrob. v, 20. vi, 7 et Gellius ii, 6 agnoscunt, et sic Romanus, duo Rottend. et Hamb. alter. Sed alterum doctius. *inductus* ap. Pier. codd. quod cum voc. *rutilum* prætulit Wakef. quia et alibi occurrit *induceræ* pro *induere*, sup. v, 379. viii, 457 et *rutilantia arma* sup. viii, 529 et ap. Tu-

NOTÆ

483 *Armipotens Tritonia*] Palladis nomen, Æn. ii. 171. Præses autem fuit urbium, artium, belli, &c. De *Phrygia*, ubi Troas, Æn. i. 385.

488 *Squamis, suras*] De *squamis* loricæ corio superadditis, Æn. iii. 467. *Sura*, pars est tibiæ carnosa, quæ cum toto crure ocreis vestitur.

Fulgebatque alta decurrens aureus arce;
Exultatque animis, et spe jam præcipit hostem.
Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis,
Tandem liber, equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut, assuetus aquæ perfundi flumine noto,
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians; luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit; quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo, et Æneadum promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:

et splendebat aureus exiliens e summa arce; et gestit animo, et spe jam præoccupat hostem. Qualis equus postquam ruptis retinaculis fugit stabula, demum liber et frustra patente campo; ille aut vadit ad pascua et greges equarum; aut solitus lavari noto fluvio aquæ exilit, et collo alte erecto petulans fremit, et crines errant per cervicem et per humeros. Cui Camilla, sequente turma Volscorum, obvia occurrit, et regina descendit ex *equo sub ipsis portis; quam tota turma imitata, descendit ad terram relictis equis; deinde* Camilla *dicit ista: Turne, si* animus *generosus habet jure aliquam in se confidentiam, audeo et polliceor obstare exercitui Trojanorum, et sola procedere obvia adversus equites Etruscos. Permitte me experiri manu prima discrimina pugnæ: tu pedes mane ad muros, et tuere urbem. Turnus* respondet *ad*

citum Hist. v, 13.—490. *aureus*. Si tamen thoraœm æreum indutus fuit, ut v. 487 dixerat, nunc non *aureus* sed *aereus* fulgere debuit. Tum displicet in his versu. quinque quinquies repetita copula *que*.—491. Deficit versus Goth. sec. Vellem majoris esset auctoritatis codex! *præripit* Vratisl. conf. sup. lib. x, 277 et sæpe al.—492. *adruptis* Reg.—493. *pratoque* Dorvill. *potitur* aliquot Pier., quod non præferam cum Catrœo. *ab alto* Goth. tert. a m. pr.—494. *impastus* aliquot apud Burm.—495. *equæ* Bigot. *profundi* Ven, *fl. toto* Zulich. a m. pr. et ed. pr. Burm. *nando* pr. Hamb.—496. *cervicibus altis* sec. Rottend. *altum* malebat Cuninghamus: scilicet ut poëta nihil variet; semper idem sequatur!—497. *luduntque comæ* Oudart.—498. *cui grege Volscorum* Sprot.—500. *Disiluit* aliquot codd. et ed. pr. Burm.—501. *deflexit* alter Hamb.—502. *sui meriti* Goth. tert. *audacia* Ven.—503. *et* deest Gud. pr. Mentel. et sec. Moret. *turbæ* Bigot. et Goth. tert. *turmis* Rom. et Donatus.—505. *ten-*

NOTÆ

498 *Volscorum acie*] Qui jam vocati a Turno per Volusum fuerant, 469. De *Volscis*, Æn. VII. 803. De *Tyrrhenis*, Æneæ sociis, Æn. VIII. 479. De *Camilla*, eorum duce, infra 535.

Tu pedes ad muros subsiste, et mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite sylvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis;
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,

ista, hærens oculis in terribili puella: O virgo, gloria Italiæ, quas conabor dicere, quas referre tibi *gratias? sed jam, quandoquidem animus ille* tuus *est supra omnia* pericula, *divide mecum periculum. Ut fama et missi observatores faciunt fidem, Æneas callidus præmisit equites levis armaturæ,* qui *vastarent agros: ipse, accelerans per deserta alta montis* superato *jugo, accedit ad urbem. Meditor insidias belli, in curva semita sylvæ, ut occupem militibus armatis angustias bifidas. Tu, signis conjunctis, occurre equitatui Etrusco. Messapus ardens erit tecum, et cæteræ*

tare spicula Goth.—506. *obsiste* Hugen.—507. *horrenda virgine* Medic. a m. pr., idem a m. pr. *fixis*, etsi *oculos* præcesserat. *oculos fixos* pr. Voss. et pr. Moret. cum Hugen., unde Heins. conj. *oculis... fixis*. Sed præstat recepta lectio, *oculos fixus*, et errorum causæ satis patent. *fixit* editio, qua Pier. utebatur: h. e. Ald. pr. vel alia, quæ inde fluxit, sicque Sprot. et pr. Hamb. pro var. lect. *fixus* emendatum a Naugerio Ald. tert.—508. *grates* Rom.—509. *Quasque* Ven.—510. *Ista* volebat Heins. *super: at m.* (in Foggin. *superat*) Medic. a m. pr.—514. *superans* revocatum ab Heins. e Medic. et ceteris præstantioribus; sic et vett. edd. Prima est edit. tert. Ald., in qua receptum video *properans*, quod Rom. et alii Pieriani exhibebant: sicque Goth. tert. Exquisitius tamen alterum. *superas* alter Menag. *jugum superans* alter Hamb., quæ vulgaris, ut inf. v. 906, est structura; sed exquisitior: *jugo*, superior evadens, superato jugo, conf. sup. ad lib. II, 207. *advenit* Oudart. *in urbem* aliquot Pier., probante Heinsio.—515. *belli:* hic distinguebat Zulich. *convexa* Leid.—516. *Ut binas* Vratisl. *armato ut binas* ed. pr. Burm. *obsidem* Leid. et Goth. tert. *obsidant* Mediol. ed. et Lutat. ad Stat. I Theb. 609.—517. *accipe* ed. pr. Burm.—519. *Tiburni* Heins. invexit, nescio quam bene:

NOTÆ

515 *Furta belli, &c.*] *Insidias:* dicitur quippe *furtum*, quicquid clam fit, Æn. v. 588.

515 *Convexo*] *Concavo*, aut saltem *curvo*, Æn. I. 314.

517 *Tyrrhenum equitem*] Qui præmissus erat ab Ænea, per planos campos.

518 *Messapus erit, &c.*] Cum equitibus aliquot *Etruscis*, quorum dux erat, Æn. VII. 691. *Turmæ Latinæ*, sive *Rutulæ*, sub Voluso, supra 464. *Tiburni manus*, copiæ Tiburtinæ, a Tiburno heroë ac conditore designatæ,

Tiburnique manus: ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in prælia dictis
Hortatur, sociosque duces; et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi
Armorumque dolis; quam densis frondibus atrum
Urget utrimque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus:
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ;
Sive instare jugis, et grandia volvere saxa.

væ Latinæ, et turmæ Tiburtinæ: sume tu quoque munus ducis. Sic dixit, et similibus verbis animat Messapum, et duces socios ejus *ad pugnam; et* ipse *vadit in hostem. Est vallis flexu sinuoso, apta fraudibus et insidiis belli; quam nigra latera premunt utrimque spissis foliis: trames parvus ducit illuc, et meatus arcti atque ingressus difficiles ferunt* ad eam. *Super eam, in speculis et in supremo cacumine montis, sternitur planities incognita et perfugium tutum: sive velis descendere ad pugnam,* a *dextra et sinistra* parte; *sive imminere e verticibus, et dejicere vastos*

---

cum idem sup. lib. VII, 671 *Tiburti* reliquerit, ubi similis varietas occurrebat: quanquam *Tiburni* et illo loco præferendum arbitror. Addit vir doctiss., *Tiburni manus* ad Tiburnum fluvium Tibur alluentem esse referendum. An Anienem Tiburnum esse voluit? Tiburnum conditorem Tiburis, Deum vel heroëm indigenam, novimus omnes: vid. sup. Exc. ad VII. Secutus autem est Heinsius vetustiores suos cum Donato: quibus accedebat pars Pier., Mediceus tamen a sec. m. *Tibvrtique* habet, idque Romanus firmat et Servius cum aliis codd.; adde tres Goth. et edd. vett. et Aldd. Tum pars codd. distinguit: *T. manus ducis: et tu*, male.—521. *pergit* vel *tendit* pr. Hamburg. *in hostes* vel *hostis* nonnulli.—522. *vallis* vulgo editum: atque sic codd. pars; et revocavit id Cuninghamus; nec male. *valles* Heins. recepit e vett. codd., ut Medic. et al., item Rom. et parte Pier. Firmant et Grammatici Probus et Servius. Si verum est, poëtam ita scripsisse, quod valde dubito, non, quod aiunt, ob metri necessitatem, sed antiquitatis studio id fecisse dicendus. Nam *valles* et *vallis*, ut *vulpes* et *vulpis*, et sic alia. Metro alias in *vallis* metuendum non erat: cum ultima in cæsuram incidat.—523. *d. fr. autem* Exc. Burm., non infelici lapsu.—524. *utrumque* Parrhas. et Goth. tert. *quo* Heins. e suis vetustioribus et Pier., etiam Serv. pro vulgato *qua*, quod tamen multo accommodatius: Servio quoque agnitum. *quam* ed. Junt.—525. *fremunt* Bigot. *f. premunt*, inquit Heins. Mox vs. 526 præponebatur huic in Regio.—526. *is* aberat Rom. *e speculis* Gud. a m. pr. Mentel. pr. et Goth. sec.—527. *P. inculta* Sprot. *immota* Parrhas. vid. ad Ge. III, 416, quod Burmanno se probabat, ut esset a belli tumultu immunis. *recessus* plerique Pier., inter quos Rom. et Medic. a m. sec. cum Goth. pr., quod jam Serv. damnavit. *vocesus* ed. Mediol.—528. *concurrere* aliquot Burm.; sic vero *pugna* esse debebat. *pugnis* pr. Hamb. pro var. lect.—529. *aut gr.* Dorvill. *evolvere* sec.

NOTÆ

fratribus ejus Catillo et Cora ducibus.

522 *Valles, accommoda*] Servius ait antiquum nominativum sing. esse *valles*.

Huc juvenis nota fertur regione viarum;
Arripuitque locum, et sylvis insedit iniquis.
  Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat, et has tristis Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequicquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. Neque enim novus iste Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prælia belli,
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.

lapides. Juvenis Turnus *vadit* illuc *per spatia itinerum* sibi *cognita, et occupavit locum, et constitit in locis* illis *asperis. Interim in cælestibus sedibus* Diana *filia Latonæ alloquebatur Opim, unam e comitibus puellis, et* e *turba* sibi *sacra; et ore mæsto proferebat hæc verba: O virgo, Camilla vadit ad bellum asperum, et frustra tegitur nostris armis, dilecta mihi præ cæteris: nam hic amor non novus contigit* mihi *Dianæ, flexitque animum* meum *improvisa dulcedine. Metabus, ejectus regno per invidiam et* ob *potentiam ferociorem, cum exiret* e *veteri urbe Priverno, fugiens per medias pugnas belli, asportavit sociam exilii infantem, et appellavit* eam *Camillam,* de *nomine matris Casmillæ, mutata parte* nominis. *Ipse ferens* eam *ante se*

Mentel. *involvere* Leid. *vulnere* Rom.—531. *Arripiuntque* sec. Moret. *insidit* Hugen. *sedit* Montalb.—532. Ὦπιν. *Opem* alter Hamb. *Opin* apud Macrob. v, 22.—533. *sacris sociaque c.* Rom. *socia sacrisque* Hugen. *sociis sociaque* Goth. sec.—534. *tristi* Heins. e Rom. et aliis Pier. (quibus adde Goth. pr. et sec.), pro vulgato: *tristes*, vel *tristeis*, ut in Aldd. et al. At *tristis* Medic. et Macrob. v, 22 cum Donato, quod et ipsum Heinsius prætulisse videtur, et nunc revocamus cum Brunckio. Judicium nostrum puta eo niti, quod *tristis voces* plus gravitatis epicæ habet; alterum *tristi ore* Ovidii elegantia dignum. *Latoida* alter Hamb., pro *Latoia* putat Heins. vel *Letoia*.—535. *ad* abest Ven.—537. *Nec* alii. *enim* abest binis Burm. et uni Goth. *novus* decrat Dorvill.—538. *subitoque* a m. pr. Medic., perperam. vid. Heins. ad 111, 225. *subitique* Montalb. At pro *que* malim *ve: subitave;* nec novus amor est nec subitus.—540. *Privernum* Serv. ad VIII, 803. Ita et *urbem* legendum, quod in Exc. Burm. erat.—542. *vocari* Parrhas. *locavit* Gud.—543. *Casmillæ* editum Pierius memorat: sc. in Ald. pr. At *Casmillæ* editum in

NOTÆ

534 *Latonia*] Diana, Latonæ filia, Ecl. III. 67.

539 *Ob invidiam*] Vel subditorum in se; vel suam, ut explicuimus de Mezentio, Æn. X. 852

540 *Priverno, &c.*] *Privernum*, urbs Volscorum, circa Pomptinas paludes et Amasenum fluvium, paucis aliquot leucis a mari distans: ejus ruinæ hodie visuntur juxta oppidum *Piperno*. *Amasenus*, hodie est *Toppia*, Æn. VII. 794. in extrema Nota. De *Volscis*, ibidem, et 803.

Ipse, sinu præ se portans, juga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugæ medio, summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix hæc sententia sedit:
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto;
Huic natam, libro et sylvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ;

in *sinu*, *quærebat longa cacumina sylvarum secretarum; arma infesta urgebant undique, et Volsci discurrebant circumjectis militibus. Ecce*, in *medio fugæ*, *Amasenus tumens exundabat altis ripis, tanta pluvia effuderat se e nubibus. Ille, meditans enatare, retinetur amore infantis, et timet dilecto oneri: ægre tandem fixum est hoc consilium* illi, *omnia secum raptim expendenti. Alligat filiam inclusam cortice et sylvestri subere huic* telo, *quod telum grande gestabat forte manu robusta, firmum nodis et ligno exsiccato* utpote *bellator; et circumnectit aptam mediæ hastæ; et*

---

alt. et hinc in ceteris. *Carmillæ* Gud. a m. pr. *quas millæ* codd. ap. Pier. Verum arbitror esse: *Casmilæ*, ad quod accedit Dorvill. *Casmile*, infimi tamen loci codex: idem in suis membranis reperit Brunck. et recepit: nisi potius, inquit, *Cadmilæ* poëta scripserit: ut Κάδμιλος apud Lycophr. 162 est Ἑρμῆς. quæ Bœotica ibi fertur esse pronuntiatio. At Italica fuit *Casmilus*. *mutata* jam. ed. Ald. tert. dederat cum aliis vetustioribus nostris. At Egnatiana et aliæ *mutilata:* ut et Pierius editum legebat: quod Burmanno magis placebat: quia una litera extrita est *s*. Debetur hoc inventum Benedicto philologo in edit. Junt. 1520, qui eam lectionem vetustos codd. et bona ingenia agnoscere ait. Videtur tamen *mutata* poëticam orationem magis decere: et *mutilatio* sub illo tanquam genere comprehensa est; tum tuetur id consensus codd. vetustiorum omnium.—545. *bella v. s.* ed. pr. Burm.—546. *pendebant m. V.* Sprot.—547. *f. in medio* alter Mentel. et Scheffer. *fuga e media* tert. Rottend. *habundans* in codd. passim, ut et alibi. *ab undis* Parrhas. et Exc. Burmann.—548. *tantis* Erf.—550. *Tardatus* Sprot.—551. *Versanti subito:* distingnit Ge. Fabric. cum aliis, etiam Valken. ad Ammon. p. 67: in subitis enim cogitationibus animum difficulter consilium capere aut rem expedire. Vix tamen satis placet: *Omnia versare subito.* Ita *celeriter* dicendum fuisset. Præstat igitur altera ratio: cum omnia secum versasset, *subito vix hæc sententia sedit*, ut nova ratione *subito vix* junxerit: ut *vix tandem* eo devenerit, *subito* tamen consilium hoc arripuerit. Nam *subito victrix sententia sedit*, quod quis mecum conjiciat, esset ornatius forte, quam locus fert, vim autem illam non haberet.—552. *ferebat* a m. sec. Medic. et Goth. sec.—554. *Hic* Hugen.

NOTÆ

552 *Robore cocto*] Ligno duriore, ad fumum exsiccato. Ge. I. 175. 'Et suspensa focis explorat robora fumus.' De *robore*, ibid. 162.

554 *Libro et subere*] *Liber*, cortex interior et tenuis. *Hoc suber*, arbor

Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,
Diva, tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere undæ; rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urgente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviæ de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum et solis exegit montibus ævum.
Hic natam, in dumis interque horrentia lustra,

evibrans hastam *illam grandi dextera, sic loquitur ad cælum: Diana virgo, benefica cultrix sylvarum, ipse pater* infantis *hanc tibi consecro famulam; fugit hostem per aëra, tenens primum tua jacula: o Dea, obtestor te accipe hanc tuam, quæ jam creditur dubiis ventis. Dixit* hæc, *et jacit hastam libratam reducto brachio: aquæ sonuerunt: fugit misera Camilla super velocem fluvium in hasta stridula. Metabus vero, numerosa turba jam propius imminente, projicit se in flumen, et victor extrahit e glebis herbosis hastam cum infante,* quæ erat *donum* jam sacrum *Dianæ. Nullæ urbes exceperunt eum domibus, nullæ muris: neque ipse se subdidisset iis* ob *asperitatem* morum: *traduxit vitam pastoritiam et secretis in montibus. Illic inter*

Huc a pr. m. Rom. pr. *gnatam* Leid. *gratam* Sprot.—557. *hanc* abest Dorvill.—559. *hostem supplex* Goth. sec.—560. *d. c. armis* sec. Rottend.—561. *abducto* Oudart. *contentum* pr. Menag. tert. Mentel. Par.—562. *sonuere auræ* conj. Burm. Qui enim undæ, inquit, *sonuere?* Scilicet graviter commotus aër aquæ superficiem impellit et undæ fremitum movet; quid? quod transvolans jaculum sibilum vel strepitum facit in aëre, quem ipsi amni tribuere potuit.—564. *propius magna* aliquot Burm. *jam* aberat Medic. et Goth. pr. —566. *de c. tollit* Gud. et Exf.—567. *non ullæ m.* Goth. pr. *montibus* alter Hamb. *urbis* Ven.—568. *Excepere* Sprot. *ille* Zulich.—569. *et* aberat Oudart.; et melius abesset. Sed quot alia non essent delenda, si hæc ratio valeret! Sustulit Brunckius et reposuit pro eo *at* Wakefield, nec improbo factum. *solus* Parrhas. *P. in sævis* ed. pr. Burm. *ævom* Rom.—570. *Hic* edd. Aldd. et hinc omnes, quas vidi, etiam Nic. Heinsii priores. Nec

NOTÆ

crassissimi ac levissimi corticis, *liége.*

566 *Donum Triviæ*] *Camillam:* vel, quam Triviæ quasi dono salvam recipiebat; vel, quam ipsi Triviæ quasi donum voverat. *Trivia,* Dianæ nomen, quia colebatur in triviis, Æn. IV. 511.

568 *Manus dedisset*] *Consensisset, cessisset.* Adagium est, ex iis desumtum, qui pugna victi, aut manus ligandas præbent, aut iisdem protensis mortem deprecantur.

570 *Lustra*] Cubilia ferarum in sylvis, Ge. II. 471.

Armentalis equæ mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto;
Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena;
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum. Sola contenta Diana,
Æternum telorum et virginitatis amorem

vepres et inter latebras sylvarum *horridas, alebat filiam uberibus equæ gregalis et lacte ferino, premens ubera in labris* filiæ *tenellis. Et statim atque infans fixit gressus primis plantis pedum; oneravit manus* ejus *telo acuto, et alligavit arcum ac sagittas humero parvulæ. Pro aureo* ornatu *capillorum, pro vestitu pallæ defluentis, pellis tigridis pendet e capite per tergum. Jam tunc libravit manu molli jacula puerilia, et agitavit fundam tereti loro circa caput, et prostravit gruem Strymoniam vel cycnum candidum. Matres plurimæ in Etruscis urbibus frustra desideraverunt illam* in *uxorem filiorum* suorum: *contenta* cultu *solius Dianæ, foret pudica perpetuum amorem virginitatis et armorum. Vellem* ut

nisi in ed. Burm. probatum *Hinc*: merito iterum ejectum.—572. *teucris* pro *teneris* Franc., stupore librarii. *immulcens* pr. Hamb. *numera* Goth. tert.—573. *plantas* Medic., sed a m. pr.—574. *Institerat* pr. Hamb., tum *armavit* omnes Pier. et Heins. potiores: adde Burm. et Goth. sec. ac tert. cum Erf. Retinetur tamen *oneravit* inde ab Aldo editum, tanquam elegantius; inprimis cum de tenellæ puellæ manibus sermo sit; quandoquidem credere licet, pœtam maluisse id, quod venustius esset. Agnoscit quoque Servius. In Sprot. erat *firmavit*. *jaculis acutis* pr. Hamb. et ed. pr. Burm.—575. *ex humero parvo* Goth. tert.—576. *vittæ* pro *pallæ* Oudart.—577. *a* abest aliquot Burm. *pendunt* duo ejusdem. *terrent* Hamb. alter a m. sec.—581. *Multæ jam f.* sec. Moret.—583. *v. honorem* pr. Moret., et ipsum non male. Sed *colere amorem*, ut fovere, servare: studium armorum et virginita-

NOTÆ

571 *Armentalis equæ*] Quæ gregatim inter armenta versabatur. *Lacte ferino*, equino: nam equum vocavit *ferum*, Æn. II. 51.

576 *Crinali auro, &c.*] Vel reticulo aureo, quo virgines complecti capilles solebant: vel acu crinali, qua capilli discernuntur: vel alio quolibet aureo capitis ornatu. *Palla*, pallium muliebre, apertum ac talare, Æn. IX. 166.

580 *Strymoniam gruem*] Quia frequens est id genus circa Strymonem, Macedoniæ fluvium. Æn. X. 265.

582 *Nurum*] Uxorem filii, *bru*.

Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape et ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicumque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube cava miserandæ corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa leves cœli delapsa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis;

non fuisset perculsa amore *talis belli, aggressa oppugnare Trojanos: nunc esset mihi dilecta et una e meis comitibus. Age vero,* o *Nympha, siquidem premitur fatis crudelibus, descende cœlo, et adi regionem Latinam, ubi funestum proelium miscetur auspiciis adversis. Accipe hæc, et extrahe* e *pharetra vindicem sagittam. Quisquis læserit vulnere corpus* mihi *dicatum,* sive fuerit *Trojanus, sive Rutulus, simul hac* sagitta *mihi solvat pœnas sanguine: ego deinde nube cava inferam sepulcro cadaver miseræ Camillæ et arma non direpta, et restituam* illam *patriæ.* Sic *dixit* Diana: *at illa* Nympha *delapsa per levem aërem cœli insonuit, inclusa obscuro nimbo* secundum *corpus. Sed interim omnis multitudo Trojana accedit ad muros* Laurenti, *et duces Tusci, et omnis acies equitum, distincti in turmas* certo *numero:*

---

tis.—584. *corrupta* Vratisl., perperam. *corripi militia,* exquisite pro vulgari, corripi cupidine, studio militiæ.—586. *Cura mihi* Goth. tert., elegantius vulgato; sed isti codici non tantum tribui potest, ut vulgata mutetur. Tribuit tamen ei hoc Wakef. ut in carmen reciperet.—587. *V. a. nunc quanquam f.* ed. pr. Burm. *quando equidem* Rom. *urgentur* Hugen. et pr. Moret. a m. pr. *urgemur* olim alicubi editum fuisse ex Pierio apparet, sed omnes, quas habemus, edd. vett. *urgetur* exhibent. *fatis...iniquis* aliquot Pier. et Heins. cum Goth. tert. cf. sup. ad lib. I, 672.—588. *invisa* Rom.—589. *ordine* alter Hamb. a m. pr. *pugnæ* Goth. pr., ut *committatur* ipsa Camilla; sed perperam.—590. *Hoc* ed. pr. Burm. *Hanc* ejus Exc., male. v. Not. *victricem* Mentel. pr.—591. *Hanc* Goth. pr. *Ac* sec.; utrumque etiam in Pierianis occurrebat. *sacra* Sprot. *violaret* Mentel. pr. *violavit* Parrhas., ut inf. 848.—592. *Italusque* Rom., tum Medic. et alii tres Heinsii, minus bene.—593. *miserabile* pr. Hamb.—594. *Intemerata* Franc. *cumulo* Zulich. *tumuloque patriisque* Ven.—595. *Dixit et illa* Medic. et Ven. *Dixerat: illa* Goth. sec. *delapsa* Heins. primus *e* Medic. et aliis: inter quos duo *dilapsa.* Vulgg. leg. *demissa.*—596. *Insonuitque nigro* pr. Hamb. *Advolat et virgo* Franc. *I. longo c.* Zulich. a m. pr. *tegmine* Goth. tert. Sed *turbine* recte, de nube obscura, ut jam alibi factum vidimus, et Homericum νέφος, νεφέλη.—597. *muris tectisque propinquant* citatur a Valerio Probo in Arte. Τὸ *propinquant* impense placebat Heinsio. v. ad lib. X, 238.—598. *Etrurique* vel *Etruri* multi apud Heins. et Burm., librariorum utique inscitia; etsi dubitari vix potest, ab initio *Etrurs*

Compositi numero in turmas. Fremit æquore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis,
Huc obversus et huc; tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Necnon Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillæ,
Adversi campo apparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.

equus subsiliens fremit toto campo, et obluctatur conversus arctis habenis huc et illuc: tum campus horrescit undique ferreis hastis, et arva resplendent excelsis armis. Messapus quoque, et Latini veloces, et Coras cum fratre, et equitatus virginis Camillæ, apparent contra oppositi in *campo; et immittunt longe hastas brachiis contractis, et conjiciunt spicula; et fervet adventus hominum, et hinnitus equorum. Et jam uterque* exercitus *steterat, progressus intra jactum teli: erum-*

et *Etruriam* fuisse; et temporis successu alterum in *Etrusos* et *Etruscos* abiisse. Prima pronuntiatio *Turseni* et *Tursi* fuisse videtur, inde *Truri, Trusi, Etrusci*, et molliore sono *Tusci, Tuscia*. Vid. Comment. Soc. Gott. T. III, P. II, p. 38.—599. *Compositi* Zulich. *in* abest binis Burm. et Goth. tert. *in turbas* idem et Sprot. *in turmis* Parrhas. *in turmas numero* duo Burm.—600. *pulsat* Ald. (pr.) *spumat* Tan. Faber emendat, perperam; nam *habenis pugnat* est contra habenas pressas luctatur, quod Burm. illustrat: ut *μάχεσθαι τιν.* —601. *conversus* Medic. Gud. Sprot. et Leid. (cum Erf.), quod minus placere, Heinsius monet. *conversus adhuc* Franc. *jam late* pr. Hamb.—604. *Corax* Goth. sec. et hic. conf. VII, 672.—605. *hastasque reductas* Medic. a m. pr. et Sprot.—606. *Protendunt* potiores codd. omnes, edd. vett., et recte: nam, etsi reducta dextra tenetur hasta, tamen ea protenditur, prominet, inprimis si cogites infra mediam fere partem eam manu teneri. *Prætendunt* tacite irrepsisse in Burmannianam editionem, non consilio receptum videtur. Nam Heins. non admisit, nec illud nisi in Medic. a m. pr., tum in Menag. sec. Moret. tert. et Leid. ac Zulich. reperit scriptum. Pierius tamen antiqua pleraque exemplaria ita legere ait: nec est cur illud per se improbet aliquis. Nam *prætendere, προτείνειν*, ad idem fere redeunt. *Projiciunt* Goth. sec. Tandem *librant* emendandum esse pronuntiat Jo. Schrader. Nam nondum emittunt, adeoque nec *vibrant*. Herm. Arnzen. Epist. crit. p. 72. videtur accipere neutraliter *spicula vibrant*. ut IX, 769 *vibranti gladio*.—607 *et fr.* alter Menag. Neminem video ad hunc versum offendisse. Videntur igitur alii expeditiorem rationem habuisse quam equidem exputare possum. Nam, quid *fremitus equorum ardescit* sit, obvium quidem est; sed velim doceri, quid sit:

NOTÆ

599 *Numero in turmas*] *Turmæ*, proprie erant equitum, et capiebant equites vulgo triginta, Æn. v. 553. in Notis.

604 *Ala Camillæ*] Vegetius: *Alæ dicuntur equitum*, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegunt acies. Atque ita sumitur *ala* apud Virgilium. Ostendit tamen Lipsius de militia Rom. l. II. 7. *alas* etiam quandoque de peditibus dici: et vulgo de copiis, sive equestribus, sive pedestribus sociorum, quæ ad latera aciei collocabantur.

Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, frementesque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, cœlumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum

punt in *repentinum clamorem, et concitant equos frementes; simul sparguntur undique tela frequentia, more nivis, et cœlum tegitur tenebris. Statim Tyrrhenus et ardens Aconteus concurrunt connixi hastis oppositis, et primi magno strepitu faciunt*

Adventus virum ardescit. Potest abstractum videri positum pro concreto, ut sit pro: *viri advenientes, propius accedentes*, exardescunt. At hoc jejunum est, et loci splendorem, qui summus est, offuscat. Dicam igitur: utriusque agminis, quo propius jam invicem turmæ accedunt, incessum concitatiorem esse solere, idque designari per *adventum virorum ardescentem*. Egregia sententia! vereor tamen, ut satis commode verbis concepta videri possit: non enim adventus, sed in adventu gressus, ingressus, exardescit. Suspicetur aliquis vitium inesse ex una litera, quam copula invexit, et leg. *adventuque, virum fremitusque ardescit equorum;* h. et adventu, cum utrimque propius accederent, fremitus virorum equorumque ardescit, h. increscit, major fit. Aut, ut magis niteat oratio: *Adventuque virum, fremitus ardescit equorum:* quo propiores fiunt, eo magis equi fremunt. Si tamen hæc comparo cum lectione vulgata, malo in ea ferre, quod durius et audacius dictum videri potest, et id tenere, quod in notis apposui: *adventum* innuere strepitum adventantium. Illustrat poëta sententiam quodammodo infra vs. 910 *Et sævum Æneam agnoscit Turnus—Adventumque pedum flatumque audivit equorum.*—608. *inter* Goth. tert. *iter* Ven. *intus i. leti* Franc.—609. *Substiterant* duo Hamb. et Scheffer. Zulich. Leid. et Exc. Burm., quod magis etiam obscurat orationem; nam non agmina, sed agminum progressus substitisse dicitur. *rumpunt* Goth. tert. *furentis* Zulich. Parrhas. Par. et ed. pr. Burm. *furentisque* Rom., tum Medic. pr., sicque Goth. et sec. *furentesque* vett. edd., usque ad Aldinam tertiam a Naugerio castigatam; inde *frementes* recte præferri cœpit.—610. *fundit* Zulich. a m. pr., unde Heins. conj. *fundi.*—612. *adversi* vett. edd., sicque Rom. cum aliis; et ipse Mediceus, ad Fogginii quidem fidem, cum trinis Goth. *adversus* Franc. Sed *adversis* elegantius. Habet jam Ald. pr. *versis* ed. pr. Burm. *Achonteus, Acontheus, Acontes*, in codd. Est Ἀκοντεύς.—613. 614. *Connixti* pr. Hamb. *Connexi* pr. Moret. et ed. Mediol. *occurrunt* Bigot. et Goth. tert., quos jam toties in eandem lectionem consentire vidimus. *ruina Dant sonitum ingenti* Moret. sec. et qu., quo Heins. Mediceum alludere arbitratur, in quo *ruinam* et *sonitum*. Probabilius est, istam Moretanorum lectionem confectam esse ex simili lapsu: etiam Gud. a m. pr. *ruina Dant sonitum ingentem*, et *ruina Dat sonitum* Parrhas. *sonitum* etiam Exc. Burm. Quod autem ad sententiam verborum attinet, video utique accipi hoc, etiam a Burmanno: *dant ruinam*, id est, cadunt cum magno sonitu. Nec dubitare licet, *dare ruinam*, vulgo ita dici. Verum h. l. significatum hunc habere nequit; si enim nunc uterque cadunt, ineptum esset, mox Aconteum excussum præcipitari v. 615...617. Igitur verius arbitror, quod in Notis posui, esse simpl. pro ruere; irruunt viri mutuo impetu, et hastis elusis ipsi equi confligunt adversis pectoribus.—614. *Dat* Franc. *præfractaque* vett. edd.

NOTÆ

612 *Tyrrhenus*] Hic non gentile nomen, sed proprium est principis alicujus viri, ex Æneæ aut Tarchontis exercitu.

Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Aconteus,
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies, versique Latini
Rejiciunt parmas, et equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt: princeps turmas inducit Asylas.
Jamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam

impetum, et feriunt pectora equorum impulsa pectoribus. Aconteus dejectus in modum fulminis, aut molis impulsæ per *machinam, corruit procul, et effundit vitam in ventos. Exercitus* Latini *confestim territi* sunt; *et Latini conversi opponunt* retro *scuta, et reflectunt equos ad muros. Trojani persequuntur, primus Asylas immittit agmina. Et jam attingebant portas; et iterum Latini emittunt clamorem, et retorquent colla* equorum *facilia. Trojani fugiunt, et revertuntur habenis omnino immissis. Quale* est *mare, quando excurrens æstu reciproco, modo volvitur ad terras, et spumans effundit undam super rupes, et perluit ultimas arenas sinuando*

tum Aldd. et inde vulgatæ. *perfractaque* ex Rom. Medic. et aliis jam Pier. notavit, et ex Medic. a m. sec. aliisque Heinsius. Sic quoque tres Goth. *perfectaque* a m. pr. Medic. et Gud. *perfossaque* tert. Moret. *quadripedantum* scriptum passim in codd. Pier., ut in Rom., ut et alibi. *quadripes* ut *quadrijugi*. cf. Burm. ad XI, 875.—615. *Expulsus* Bigot.—616. *tormenti* Medic., sed a m. pr. *aut torto* Goth. tert. *actus* Gud. a m. pr. et pr. Menag.—617. *dispargit* Leid. *spargit* Goth. pr. et ed. Mediol. *disparsit* alter Mentel. *dispersit* a m. pr. Gud.—619. *Dejiciunt* sec. Moret. *palmas* Goth. tert., perperam. Mos in fuga clypeos in tergum rejiciendi notissimus. *ad m. versant* alter Hamb. *torquent* ed. Mediol.—620. *invasit* vett. edd., quod tamen in solo Menag. pr. et Exc. Burm., quodque miror, in Colotiano, occurrebat. *invadit* Leid. Contra Rom. et omnes Pier. Medic. et omnes Heins., Gothani quoque, *inducit*, quod jam Ald. tert. exhibere cœpit, et quod unice verum: turmas in hostem inducit. *Asillas, Asilas, Asillus*, aberratt.; accedit *asellus* librarius. In Virgilio est Ἀσύλας.—621. *versique* Pierius in ora codicis notaverat.—624. *procumbens* pars codd. Heins. et Burm., tum ed. Ven. Burm. cum Goth. sec. et tert. Adde Rom., sed perperam. conf. sup. ad V, 204.—625. *ad terram* pars codd. cum Rom. et vett. edd. *ad terras* Aldd., sicque Medic. aliique. *unda* Medic. cum aliis ap. Burm. *superjacet unda* duo alii: sed *superjacit undam* doctius, h. jacit undam super copulos: præpositione ad verbum retracta: ut fere Græce dicas: σκοπέλους τ' ὑπερέβαλε κῦμα sc. πόντος. Scopulos autem minores ante oculos habere necesse est. Nam, si majores fuerint, tum ἀμφὶ ἄκρας Κυρτὸν ἐὸν (κῦμα) κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην, fractus

NOTÆ

617 *Præcipitat*] Pro *præcipitatur*. Ut Æn. I. 108. 'Tum prora avertit,' pro *avertitur*.

619 *Rejiciunt parmas*] In tergum, ut sese a persequentium jaculis in fuga defendant. *Parmas*, scuta brevia, rotunda, et undique *paria*.

Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, et æratam quatiens Tarpeia securem,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threiciæ cum flumina Thermodontis

securim. Arcus aureus, et sagittæ Dianæ sonant ex humero ejus. Ipsa quoque verso arcu defigit sagittas fugaces, si aliquando sedit fugata in tergum. Sunt *vero circa* eam *selectæ sociæ, et virgo Larina, et Tulla, et Tarpeia intentans aeream securim, Italæ* puellæ, *quas ipsa divina Camilla elegit sibi* quasi *honorem, famulas* in *bello et bona pace. Quales Thraciæ Amazones, quando legunt fluenta Thermo-*

---

quatit Parrhas. *indefensa* Franc. et Goth. pr. ac tert., male.—652. *ex humeris* Rom. *erat arcus* Donat., ex interpretamento.—653. *recedit* alter Hamburg. —654. *derigit* Rom. et Medic.; Burm. laudat Lambin. ad Lucret. VI, 838.— 655. *Et circum* Gud. et alii Heins. *jactæ* pr. Moret. ex *lectæ* pr. Goth., sphalmate. *Laurina* Goth. sec.—656. *Telaque* ap. Priscian., male. *securem* Heinsius reposuit, monente eodem Grammatico, et assentientibus Gud. et sec. Mentel. At conf. inf. 697. *securim* tuetur Rom.—657. *aura* Rom. et Vratisl. *Diva* passim scriptum in codd. Pier. Heinsii et binis Goth. et Erf., sic et Medic. a m. pr.—658. *pacisque bonæ* vett. edd. nostræ omnes; tum *bonas* emendatum in ed. Ald. pr. et sec.; at *bonæ* revocatum in Ald. tert. et hinc ductis; donec prior lectio *bonas* iterum obtineret e Commelin. Pulm. Steph., quam meliorem lectionem habent meliores Heins. cum Mediceo; agnoscitque eam Arusianus Messius. *bonæ* tamen tuetur Rom. cum aliis Pier. Heins. et Burm., ac binis Goth., tum agnoscit Servius. *bono* Franc. *belloque* Oudart. *ministrans* Franc.—659. *Threicio* Exc. Burm., *Threicia* vitium operarum ed. N.

NOTÆ

652 *Arma Dianæ*] Venatoria: sagittæ in pharetra, bipennis, hastilia.

654 *Spicula converso, &c.*] More Parthorum, quos ea arte celebres diximus, Ecl. I. 62.

657 *Dia Camilla*] Græca vox δῖα, *generosa, præstantissima, divina:* quia Dianæ Deæ consecrata, supra 557. Sic apud Homerum Helena vocatur δῖα γυναικῶν, 'præstantissima mulierum.'

658 *Pacisque bonas, &c.*] Multi codices habent: 'pacisque bonæ bellique ministras.'

659 *Quales Threiciæ*] De Amazonum gente ac nomine, Æn. I. 321. 494. Nunc de patria et sede. I. Constat Amazonum sedem non fuisse in *Thracia* propria et *Europæa*, quæ Macedoniæ confinis est; sed in septentrionali minoris Asiæ littore, quod Ponto Euxino alluitur: urbemque regiam ab ipsis illic conditam fuisse *Themiscyram*, non longe a Thermodonte fluvio: eisdemque paruisse totum illum tractum, qui deinceps Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociamque complexus est. Ita Herodotus, Pausanias, Diodorus Siculus, &c. II. Constat e Xenophonte, Exped. l. VI. tractum illum ipsum tulisse quoque *Thraciæ* nomen, nempe *Asiaticæ*. III. Habemus ex iisdem auctoribus, præcipue Diodoro, Amazonas, circumflexo

Pulsant et pictis bellantur Amazones armis: 660
Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum, aspera virgo,
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis? 665

dontis, et pugnant armis pictis: sive circa Hippolyten, sive quando bellicosa Penthesilea redit in *curru, et magno tumultu ululante muliebres turmæ gestiunt scutis lunatis. O bellicosa virgo, quem primum, quem ultimum sternis hasta? aut quot spargis humi corpora moribunda? Primo Eumenium patre Clytio: cujus oppo-*

Heins. *Thermodoontis* vulgg. passim edd., item vett. codd., etsi jam emendatum dederunt Naugerius et Egnatius. Res nunc nota est, esse *Thermodontis* a Θερμώδων, *ontos*. cf. Apollon. II, 972. Tentaverat nonnulla in h. l. Wakefield Sylva crit. Vol. III, p. 94, quæ tamen mox ipse damnasse videtur. —662. *magnumque* u. conj. Cuninghamus. —663. *scutis* ex Medic. laudat Heinsius: sed a Fogginio *peltis* proditum videmus.—664. *primo* Goth. tert. —665. m. *pectora* Sprot., perpetuo errore.—666. *Eumenium* Ald. pr. et hinc

NOTÆ

Euxini littore tum orientali tum etiam septentrionali, trajectoque Tanai fluvio, maximam Sarmatiæ Asiaticæ et Europææ subegisse partem: deinde, cum ab Hercule ac Theseo nativis in sedibus bello appetitæ et victæ essent; occupato in Libya Hercule, bellum eas Græcis intulisse, transmisso scilicet Bosphoro Cimmerio: indeque per Thraciam Europæam, Macedoniam, ac Thessaliam, aperuisse sibi aditum ad ipsam Atheniensium arcem, quam aliquandiu tenuerunt. Tamen hinc pulsæ sunt a Theseo, ut probant iis in locis multa, tum Thesei victoriæ, tum Amazonum cladis monumenta: earumque reliquiæ intra pristinos Pontici littoris fines servavere: deinceps formam aliquam imperii, usque ad Trojani belli tempora; cum Penthesilea, nativo odio Græcis infesta, Trojanis auxilium tulit, et ab Achille aut Pyrrho sub belli finem occisa est. Tum etiam adusque Alexandrum magnum perstitere, ad quem Thalestris Amazonas trecentas adduxit, ex Diodoro et Q. Curtio.

659 *Thermodontis*] Legunt quidam *Thermodoontis*, ut *Hippocoontis:* ita ut priores syllabæ tres dactylum efficiant. At omnino quadrisyllabum est, *Thermodontis:* ubi priores syllabæ tres longæ, cum ω in secunda syllaba, quæ ideo breviari non potest: scribitur enim Θερμώδων, non Θερμόδων; et Cappadociæ fluvius est, in oram Euxini meridionalem influens; nunc *Permon*.

661 *Hippolyten*] Thesei uxor fuit, dicta ab aliis *Antiope:* ex qua Hippolytum filium suscepit, insidiis Phædræ novercæ deinde sublatum. Hanc bello Herculis Amazonico Theseus, vel dono Herculis acceperat, vel dolo ipse rapuerat: bello deinde Attico adversus Amazonas, ab illis pro viro pugnans occisa est. Plutarchus in Theseo, Diodorus, &c. De *Penthesilea*, quæ ob virtutem filia Martis credita est, Æn. I. 494.

663 *Lunatis peltis*] Scutis brevissimis, in formam Lunæ mediæ præcisis.

Eunæum Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lirim, Pegasumque super: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inermem,
Præcipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden; sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque;
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,

siti pectus patens transfodit longa hasta ex *abiete. Ille corruit vomens fluenta sanguinis, et mordet terram sanguinolentam, et moriens agitat se in sua plaga. Deinde Lirin et Pagasum præterea: quorum alter dum collabens equo succidente retrahit habenas: alter dum succurrit, et porrigit cadenti dexteram lentiorem, repente et simul concidunt. Adjicit iis Amastrum Hippotæ filium: et imminens insequitur propius hasta, et Tereum, et Harpalycum, et Demophoontem, et Chromim: et quot jacula vibrata manu virgo intorsit; tot homines Trojani corruerunt.*

cett. edd. usque ad Commelin., qui e Palat. dedit *Eunæum:* erit igitur Εὐναῖος, quod aliunde non memini. At Εὔνηος inter heroum nomina notus est, qui idem Εὔνεως, et Εὐνεὺς, Jasonis f. v. ad Apollod. p. 183 et ad Hygin. f. 15. Interea *Eunæum* maxima pars codd. defendit apud Pier. et Heins.; adde tres Goth. Etiam e vett. edd. nonnullæ, ut Ven. 1486, *Euneum*. aliæ *Eumenium*, Serv. *Eumeneum*, non male. Alias aberratt. codd. vide ap. Burm. Etiam *Glycio*, *Clycio*, *Clythio* aberratt., a Κλύτιος.—667. *longo* pr. Mentel. *t. a. corpus* duo Burm. conf. modo ad v. 665.—668. *movens* un. Burm. *vovens* duo alii.—669. *se* aberat Franc. *in* deerat plerisque Pier. et nonnullis Heins. *in verbere* pr. Hamb. *in sanguine* Goth. tert., et sic Macrob. IV, 6, sed, ut bene monet Heins., *sanguinis rivi* præcesserant, male etiam Pontanus e cod. Britannico reponi voluit, *in sanguine mersat*. Burmannus laudat Drakenb. ad Silium v, 577. Scilicet is locum vindicat ex imitatione Siliana: *et versantem in vulnere sese Transigit*.—670. *Lirim* Heins. secundum Medic. et alios. Vulgo: *Lirin*. *Pagasum* tuentur omnes fere; alii *Phagasum*, *Pegasum*. In sec. Moret. *Phaganim*. *Pagasus* etiam ap. Silium occurrit lib. v, 410.—671. *Suffuso* vel *Suffusso* magna codd. pars, etiam Rom. et Medic. a m. sec., item tres Goth., invectum et in edd. Ald. tert. et al. De *pedum suffusione* Servius cogitabat.—672. *et dext.* duo Goth., ad sonum magis gratum. *inermem* Heins. e codd. reduxit: pro vulg. *inertem*. cf. sup. ad x, 595.—673. *Amastram* pr. Hamb. et alter *Amastrum*. Tum *Hippodatem*, *Hippodaten*, aberratt. libb. Est *Hippotæ* f. Ἱπποτάδης.—674. *Thereaque* multi apud Heins. et Goth. tert., non male, a Θηρεύς. *Harpalcem* Dorvill. *Chromimque*, quod jam edd. Ald. habebant, Heins. e Medic. et ceteris revocavit, pro *Chromin*. At Rom. (quem tamen *Chromin* exhibere testatur Bottarius) et alii Pier. cum Montalb. *Chromumque*. Goth. pr. et tert. *Chronumque*. tres Burm. *Cromimque*. Versus e Gr. Τηρέα θ' Ἁρπάλυκόν τέ γε, Δημοφόωντα Χρόμιν

NOTÆ

667 *Abiete*] Hasta ex *abiete* arbore, *sapin*.

Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis,
Agrestesque manus armat sparus. Ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Trajicit, et super hæc inimico pectore fatur:
Sylvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum

Ornitus venator procul excurrit in *armis insuetis et equo Apulo: cui pellis extracta juvenco pertinaci tegit latos humeros; magnus rictus gutturis et genæ lupi cum dentibus candidis operuerunt caput; et sparus rusticus armat manum: ipse excurrit in mediis turmis, et supereminet toto capite. Illa perfodit hunc interceptum, non enim difficile* erat *disturbato agmine: et hostili animo hæc ait super* illum: *existimavisti, o Etrusce, te venari feras* in *sylvis: venit dies, qui ulciscatur verba vestra fœmineis armis. Tamen referes umbris parentum* tuorum *gloriam hanc non exi-*

---

re.—677. *Ornytus* recte; Ὄρνυτος; sic quoque Rom. Donatus: *Ornutus.* In codd. fere *Ornitus:* sicque edd. vett. At Pier. in sua invenisse videtur *Orphitus.*—678. *Ignotus* Gud. *Hyapige* passim codd. et edd. vett. *Iaspide* pr. Hamb. *Iapide* alii apud Burm. cf. sup. ad v. 247.—682. 683. *Agrestesque* Heins. *Agrestique* Hugen. *palus* Goth. tert., interpolate, pro *sparus. catervas V. in medias* aliquot Pier. et Sprot. *Victor in m.* Bigot. *est* in fine abest Medic. a m. pr.—684. *nec enim* duo Goth. *a. fuso* pro var. lect. Oudart.—685. *super hoc* Franc., male. Est enim: *hæc fatur super,* insuper, ἐπί.—686. *Silvis et* Rom. *Silvisne, T.* ad membranarum suarum fidem recepit Brunck. (conf. Not. p. 530), non male: modo non metrum violaret. Tum *ne* sexcenties in interrogatione omittitur.—687. *quæ v. dies* Oudart. *nostra* Ven. *fides* Bigot.—688. *redarguerit* Heins. reposuit sola auctoritate Prisciani et codd. Scheff. et Menag. pr. Et est sane hoc ad elegantiæ sensum venustius, quam *redargueret;* etsi diligentissime ad grammaticorum præcepta sit dictum: *advenit dies, qui redargueret. unum tamen* Parrhas. *partum* idem et vulgg. edd., sed nonnullæ tantum: vitio haud dubie operarum: quod jam

NOTÆ

677 *Phrygii*] Trojani, e Phrygia, Æn. I. 385.

678 *Equo Iapyge*] Ex Apulia, quæ *Iapygia* dicta est: Æn. VIII. 710. et supra 247.

682 *Sparus*] Telum est rusticanum, a *spargendo* dictum: hoc fere constat. Cujus porro formæ, dubitatur: Festus vult parvissimi generis esse jaculum, quod facile spargatur: Servius recurvum, in modum pedi pastoralis.

686 *Tyrrhene*] Orte e Tyrrhena gente.

687 *Vestra Verba*] Quibus fortitudinem vestram intemperanter jactatis. De *Manibus* parentum, Ge. IV. 469. Æn. VI. 743.

Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protinus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrum
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et lævo dependet parma lacerto;
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem;
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti

quam, te *occisum esse hasta Camillæ. Continuo* occidit *Orsilochum et Buten, duo maxima corpora Trojanorum: sed Buten acumine* teli *transfodit adversum, inter cassidem et thoracem, qua collum equitantis micat, et* qua *parma descendit infra humerum sinistrum; fugiens* vero *et circumacta magnum in orbem fallit Orsilochum, interius secans gyrum, et persequitur* eum qui prius eam *persequebatur. Deinde assurgens altius bis impingit validam securim per arma et per ossa* huic

in ed. Ven. 1544 in manus incurrit.—689. *M. hinc* idem Parrhas. *M. hæc* tres Moret. *referas* Parrhas. *bello c. C.* ed. pr. Burm. *manibus c. C.* Medic. Pierii.—690. *Orchilochum, Horsilecum, Horsiloam,* aberratt. Est Ὀρσίλοχος. —691. *Butem* Zulich. *Buthen* ap. Rufinian. *adversum* vett. edd. et inde vulgatæ cum codd. parte. Sed præstantiores Pierii et Heinsii omnes *aversum;* sicque Rufinian. et Macrob., quocirca Heinsius recepit. Buten enim fugientem, at Orsilochum ipsa fugiens obtruncavit Camilla. Adde graviorem rationem, quod vulneris locus vss. 692. 693 aversam corporis partem satis declarat. Vulnus infertur supra sinistrum humerum, in ipsam cervicis vertebram, quæ attollitur paululum in capite prominente, qualis habitus sedentis est. Variasse adeo poëta videri debet vulnus Hectori ab Achille illatum Iliad. X. 324 sqq. et Cycni vulnus ab Achille acceptum ap. Hesiod. Sc. Herc. 416....420. Utraque loca sedulo comparanda. Ex his ipsi poëtæ mentem assecuti sumus. *adversa cuspide* unus Pier. et Leid. *jam versum* Franc. *a cuspide* Hamb. alter. *fixit* Heins. cum melioribus, etiam Pierii, pro vulgato *figit*.—692. *intus* Franc.—693. *Invenit* pro *Lucent* apud Rufinian. de Schem. Lex. p. 241.—696. *Dum v.* Zulich. et Rottend. sec. Sed præteriere Heins. et Burm. varietatem aliam magis memorabilem: *valida securi.* Ita Medic. Pierii: et Julius Sabinus hæc habet: "Apronianus legit: *valida securi congeminat vulnus.*" (In Mediceo tamen, quem Fogginius excusum dedit, emendatio illa non subnotata est) "Æmilius (sic pergit ille: qui *Æmilius* qui sit, equidem adhuc ignoro) legit: *validam securim congeminat;* sic est distinguendum in *congeminat:* ut postea sit: *vulnus r. o. c.*" Equidem, si illam lectionem probandam susciperem, jungerem: *securi insurgens congeminat* sc. ictum, vulnus: quod et per se intelligitur, et statim repetitur. *perque ora viri* pr. Moret. *securem* Gud., ut sup. v. 656.—697. *exsurgens* Rom. et alii Pier. Medic. et alii Heinsii potiores: itaque recepit ille pro vulgato: *insurgens,* quod et ipsum bonum. conf. XII, 902. Sed varietatem hanc jam

NOTÆ

693 *Parma*] Supra 619. *Lacerto*, Æn. v. 422.

atque ambitu reflectens sese. Æn. v. 170.

695 *Gyro interior*] Breviori spatio

Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque aspectu territus hæsit
Appenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque, ubi se nullo jam cursu evadere pugnæ
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit;
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te cominus æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri:

homini roganti et multum precanti: plaga spargit vultum calido cerebro. Occurrit illi, et stetit stupefactus improviso visu bellicosus filius Auni incolæ Apennini, non ultimus Ligurum, quamdiu fata permittebant ei *fallere. Ille autem, cum videt se nullo cursu posse subducere se prælio, nec expellere reginam imminentem: incipiens consulto agitare dolos mente et solertia, dicit ista: Quid tam illustre est, si* cum sis *femina, confidis equo robusto? relinque celeritatem* equi, *et propius committe te mecum planæ terræ, et paru* te ad *certamen pedestre: mox cognosces, cui*

aliquoties vidimus.—698. *Congeminat vulnus: calido* distinguebat Oudart. Similem interpunctionem repererat Servius, mutilatus admodum etiam ad h. l. et sic legerat auctor Epitomes Iliados (vulgo Pindari Thebani nomine notus) 866. *Ora rigat moriens*, sc. sanguine. *ore* alter Menag. *ossa* alter Hamb. *arma* ed. pr. Burm. *cruore* Ven.—699. *huc* Bigot. *aspectus* ed. D. Heins.—700. *Appenninicolæ* scribendum esse bene monuit Brunck., saltem ex communiore usu, *Appeninus* pro *Apenninus*. An prima in ullo Latino poëta correpta occurrat, ignoro, nec vacat quærere. At Dionys. Perieg. 343 Ὄρος—Ὄφρα τε καλήσκουσιν Ἀπέννιον. *Euni* Goth. tert. *Anni* Ven. et Franc. Burmannus bene remittit nos ad Silium VI, 109, ubi: *tellus lacrymabilis Auni* ex h. l. et similis varietas. Provocat ad Silium etiam Julius Sab., qui alios *Arnum* hunc perperam dixisse notat, et versum recitat *Apenninicolæ regnata antiquitus Anno*. Locus est ex lib. V, 7, sed ibi legitur: *vada Faunigenæ regnata antiquitus Anno*. Agitur de Thrasymeno lacu: ut adeo Arnus ibi opportunius heros ἐγχώριος esset, quam Aunus Liguriæ.—702. *Is ubi* vett. edd. et codd. *evadere pugna, pugnam, pugnæ* legitur: et *pugna* quidem vulgata erat lectio usque ad Commelin., qui e Palat. reddidit *pugnæ*, quod sequitur Pulman. Deseruit iterum Stephanus. *pugnæ* græca forma dictum, e Rom. aliisque laudavit Pierius, et uno suo probavit Ge. Fabric. et ex suis iterum Heins. conf. sup. ad X, 441. IX, 99. Tandem *pugnam*, quod et ipsum exquisitum, habebat unus Oblongus Pierii, atque aliquot Heins. et Burm. cum Goth. sec.—703. *advertere* Medic. sed a m. sec. emendatum.—707. *Crede solo mecum* Goth. tert. *pugnaque* sexto casu plerique Pieriani.—708. *ventura*

NOTÆ

700 *Appenninicolæ*] De *Appennino*, monte Italiæ, Liguriam a septentrione ambiente, Æn. XII. 703. De *Liguria*, Æn. X. 185. Monet autem Cato Ligures esse fallaces.

706 *Fugam*] Cursum celerem. Sic Æn. I. 321. de Harpalyce Amazone, 'volucremque fuga prævertitur Eurum.'

Jam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit. At illa furens, acrique accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.

laus inanis inferet damnum. Sic *ait: illa vero furens et commota aspera indignatione, dat equum sociæ, et stat in armis paribus, pedes, et interrita ense stricto atque scuto splendente. Sed juvenis existimans se victorem esse fraude, aufugit ipse, nulla* est *mora, et abripitur fugax habenis detortis, et talo ferrato impellit*

Bigot. et pr. Hamb. *feret* Medic. Pierii et Mentel. pr. *laudem* recepta in impressis est lectio, quæ et ipsa inter Apronianas, h. e. probatas Apronio Rufo, referri potest; est enim ab emendatrice manu ascripta Mediceo, qui a pr. m. habebat *fraudem*, quod ipsum Rom. exhibebat diserte, cum qu. Moret. Dorvill. a m. sec. et Goth. sec. et quinque Heinsii pro div. lect. In Gud. erat *pœnam.* in Rottend. sec. *pœna*, ex interpretamento. Servius egregie: "*fraudem:* hæc est vera et antiqua lectio, ut sit sensus: pedes congredere, jam cognosces, cui inanis jactantia afferat pœnam; nam fraudem veteres pœnam vocabant." "Si autem *laudem* legimus, erit sensus: agnosces, cui inanis gloria afferat laudem." Etiam Donatus agnoscit: "Experiundo, inquit, cognosces, quis debeat jure meritoque laudari." Reliquerunt rem in medio Heins. et Burm. Rationem, qua controversia decidi debet, non videntur animadvertisse viri docti. Scilicet epitheton: *ventosa* gloria melius convenit in *fraudem*, h. pœnam, quam κενοδοξία, vana et inanis jactantia, affert. Contra in altera lectione jejunior est sententia, etiamsi sic, ut facere necesse est, expedias: videbis, cui, h. e. an tibi vana gloria afferat victoriam. In Obss. misc. Vol. I, p. 22 Vir doctus distinguebat: *Jam nosces, ventosa, ferat cui gloria laudem;* satis jejune.—709. *Dixerat* Goth. tert. *accensa* vel *adcensa* Rom. et alii Pier. et omnes vetustiores Heinsii, qui recepit. Vulgo: *incensa*, quod pr. Goth. solus exhibebat, isque recentissimus.—710. *assistit* vulgo editum, inde ab Ald. sec., sicque codd. pars, ut bini Goth. et Oblongus Pierii cum quatuor Heins. Sed reliqui vetustiores omnes Pierii et Heinsii cum Ald. pr. *resistit* legebant; ut resistere sit restare, stare, ut Ge. IV, 424. Æn. IV, 76. *insistit* erat in Leid. *sistit* Dorvill. *paribus se sistit* conj. Heins.—711. Nemo conj. *parva p.*—712. *Et j.* Franc. *vixisse* emendabat Cerda, perperam. *dolos* a m. pr. Zulich. *advolat* Goth. tert. et multi scripti et edd., vitiose. *evolat* Leid.—713. *conversusq.* Menag. pr.—714. *Quadripedemque* Pierii codd. etiam hic. *ferrato calce* edd. inde ab Aldo usque ad Commelin. et pauci scripti apud Pierium cum Goth. pr. Sed potiores *ferrata*, quod et Grammatici defendunt.—715. *Ligur* in sua edit. lege-

NOTÆ

708 *Laudem*] *Fraudem* veram et antiquam lectionem esse contendit Servius; et sensum esse: Cognosces cui jactantia damnum afferat.

711 *Pura parma*] Juxta Servium, *nuda* et absque rerum gestarum figuris: quia, inquit, tunc primum in bella descenderat. Juxta Donatum, *expedita* et absque pondere. Juxta interpretationem a nobis jam traditam, Æn. VI. 560. *nitida, lucida, tersa.*

Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frænisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico ex sanguine sumit.
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor et vulsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum sator atque Deorum
Observans oculis summo sedet altus Olympo.

velocem equum. Fraudulente Ligur, et frustra elate superbo animo: frustra callidus adhibuisti astutiam patriam: nec illa *astutia reducet te salvum Auno doloso. Virgo hæc loquitur, et ardens pedibus velocibus prætergreditur cursu equum, et correpto fræno opposita pugnat, et sumit supplicium ab hostili sanguine.* Tam facile, *quam facile accipiter, avis dicata* Marti, *ex alta rupe persequitur alia columbam altam in aëre, et tenet correptam, et dilaniat unguibus acutis: tunc sanguis et pennæ evulsæ decidunt ex aëre. Sed genitor hominum et Deorum non quiescit sublimis in supremo cælo* quasi *nullis oculis videns ista. Pater* ille *excitat*

rat Pier.; at *Ligus* inde ab Aldo ubique obtinet, sicque scripti et vett. Grammatici: ex *Λίγυς*. *armis* aliquot Pier. et Sprot.—717. *Nec fors te* nonnullos legere, tradidit Cerda. *perferat* tert. Mentel. et tert. Goth. *proferet* Ald. pr. *Anno* Ven. *uno* Goth. tert. vide ad v. 700.—720. *a sanguine* vulgg. ante Heins., qui *ex s.* secundum Pier. et præcipuos suos reposuit, ut inf. XII, 949. *pœnas i. et s.* Franc. *ex s. poscit* ed. pr. Burm. *sumpsit* Bigot. Sprot. et a m. pr. Hamb. pr. cum Goth. tert.—721. *facilem* Sprot. *ancipiter* alter Hamb. *adcipiter* et *atcipiter* scribebant alii Pier. Wakef. ex ingenio *accipiter saxo* aut *sacer ales:* ut hic sit aquila. Antequam in ipsa poëtæ verba hoc inferret, nam conjicere licebat, consulendi erant historiæ naturalis auctores, qui docent *aquilam* (chrysaëton) Jovis alitem, non facile columbam petere; *accipitris* vero proprium id esse; unde et *palumbarius* dictus. Pariter constat vulgo, accipitrem fuisse inter alites augurales.—722. *in n. volantem* Schol. Horat. Cruqn. ad Od. I, 37, memoriæ vitio, etsi *volantem* pro avi poëta dicere poterat.—723. *Compressamque* pars Heins. codd., ut alibi solet. *Convulsamq.* Ven.—724. *Tunc* alii. *evolsæ* Rom. et Schol. Statii Theb. III, 537. *pennæ* Menag. pr. et Parrhas.—725. *hoc* Ven. *hoc ullis* Vratisl.—

NOTÆ

715 *Ligus*] Sic habent pleraque vetera exemplaria; et sic olim in usu fuisse, probat adjectivum *Ligusticus*, inde derivatum. Nec magis absonum est *Ligus, Liguris;* quam *lepus, leporis; vetus, veteris.*

721 *Accipiter....sacer*] *Epervier*, avis rapax; ideo Marti sacra. Latinum nomen e Græco deductum, *ὀξύπτερος, celeriter volans:* Gallicum nomen e Germano, ut placet Scaligero et Vossio.

Tyrrhenum genitor Tarchonem in prælia sæva
Suscitat, et stimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarcho
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans; reficitque in prælia pulsos.
Quis metus, o nunquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quo ferrum, quidve hæc gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, et plenæ pocula mensæ;

ad durum certamen Tarchontem Tyrrhenum, et commovet ejus *iram non levibus stimulis. Itaque Tarchon inter strages et acies recedentes impellitur equo, et exhortatur equitatum variis sermonibus, appellans unumquemque nomine* suo, *et revocat ad pugnam fugientes: O Tyrrheni, nunquam* satis *dolituri! o semper ignavi! quis timor, quæ tanta segnitia incidit animis* vestris? *Fœmina dispergit* vos *vagos, et fugat has turmas? cur gestatis manibus ferrum, et cur hæc arma inania? Tamen non estis ignavi ad voluptates et ad pugnas nocturnas, aut ad expectandas epulas et compotationes mensæ opimæ, quando tibia curva*

727. *Tarchonem*, quod et Romanus tuetur, Heins. refinxit. v. sup. ad VIII, 506. Vulgo, *Tarchontem:* duo *Tarchonta;* alii *Tarconem*, v. Pier. Parrhas. *carentem in prælia* tum Bigot. *in prælia servans.*—728. *injicit* bene Heins. ex Moret. et Menag. pr. Addit Burm. Hugen., sed graviorem auctoritatem jam Pierius dederat Romanum et Oblongum Mss. Vulgo: *incitat* legitur. Tum Heins. conj. *incutit iras.*—729. *cædentia* nonnullæ edd. vulgares, vitiose. *Tarcho* ut VIII, 506 pro *Tarchon*. cf. inf. 746 et Heins.—730. *vanisque* pr. Moret. *irritat* conj. Heinsius. *instigat vocibus iras* Gud. *halas* Vratisl. et Rom.—731. *ad pr.* Macrob. VI, 1, qui ex Furii Annal. laudabat versus (quos vide in Not. ad h. l.), in quibus est: *reficitque ad prælia mentes.* Sed *in* sæpe alias vidimus poëtam sectari, ubi vulgo *ad* poni solebat. *in prælia fusos* Bigot. —734. *pallentes* tres ap. Burm., perpetuo lapsu. *pallentis* Mentel. pr. *agitatque hæc* Franc. *agitat atque a.* ed. pr. Totus versus exciderat Goth. tert. —735. *quove* Zulich. et alter Hamb. a m. sec., et *quodve* a m. pr. *quidve hæc* Dorvill. *gerimus* meliores libri et pars edd. vett. cum ed. Commel. et hinc ductis; at in aliis: *geritis*, minus bene, et hinc corrupte *gentis* aliquot Heinsiani.—736. *nocturnave* Leid.—737. *induxit* in nonnullis vulgatum: sed *indixit* Heins. vindicat, et jam ante in edd. extabat. E codd. unus Leid. *inducit* a m. pr., et a sec. *indicit.*—738. *Expectate* codd. fere omnes, etiam optimus quisque Pier. et Heins. cum Servio: et sic Ald. pr., mendose tamen. *expec-*

NOTÆ

730 *Alas*] Equitatum, 604.

732 *O nunquam dolituri*] O qui nunquam acceptis injuriis movemini, ut fortes decet, ad justam ac dignam ultionem. *Palantes*, vagos, Æn. X. 674.

737 *Tibia Bacchi*] Bacchanalia intelligit et epulas Baccho sacras ad sonitum tibiæ, ut cetera Deorum sacra. De *Baccho*, Ecl. V. 29. De *tibiis*, Æn. IX. 618.

Hic amor, hoc studium; dum sacra secundus haruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios, moriturus et ipse,
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert,
Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor: cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus æquore Tarcho,
Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, et partes rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
Sustinet a jugulo dextram, et vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit:

Bacchi indixit choreas: hic est *amor* vester, *hæc cura: dummodo favens aruspex nunciet sacrificia, et hostia opima invitet in profundos lucos. Hæc locutus, ipse etiam moriturus impellit equum in medios, et minax immittit se adversum Venulo: et constringit dextra* manu *hostem detractum ab equo, et magno impetu concitatus abripit* eum *ante sinum suum. Clamor erigitur ad cœlum, et Latini omnes converterunt oculos. Tarchon ardens volat campo, portans hominem et* ejus *arma: deinde abrumpit ferrum e suprema* ejus *hasta, et quærit partes apertas, quibus inferat plagam mortiferam. Ille contra obluctans repellit* ejus *dextram a gutture suo, et evitat vim viribus. Et sicut, quando fulva aquila volans alte portat serpentem raptum, et illigavit* ei *pedes, et hæsit unguibus; serpens vero vulneratus*

---

tare (sc. non segnes) primæ statim edd. inde ab Ald. sec., sicque Goth. pr. et tert. *aut pl.* tres Burm. et vett. edd.—739. *Hic amor, hoc studium* in parenthesi dictum recte notat Servius. *dum sacrosanctus* Goth. pr. *haruspex* Medic.—740. *vocat* duo Burm. et Schol. Horat. I Od. 37.—741. *effatur* Montalb. *ita fata* Bigot. *in* abest binis Burm. et Goth. tert. *in medio* Zulich. *m. m. in hostes* Gud., uti sup. IX, 400 legi vidimus. *ut ipse* Barth. ad Stat. V Theb. 623 e cod. optimo laudat.—742. *se adversum* Goth. tert. *offert* Rom. Medic., aliique Pier. et ex Heinsianis Gud. cum tribus aliis et Zulich., quibus adde Goth. tert. cum Donato, perperam: cum de vi et pugna agatur, ut jam Burmann. monuit.—743. *Direptumque*, male, vulgg. et h. l. cf. ad X, 475.—744. *Egregium a. s.* Rom.—745. *ad cœlum* tres Heins.—746. *ingens* Franc. *Tarcho* Medic. v. sup. 727.—747. *cum* Ven. et Goth. tert. *illius* alter Hamb.—748. *Distrinxit* ed. pr. *Defigit ferra* Vratisl. et Parrhas.—749. *ferit* sec. Rottend. *illa* alter Hamb.—750. *dextra* Leid. *vis v. hæsit* ed. pr. Burm.—752. *Fert avis* Schol. Horat. Cruqu. IV Od. 4. *dapes atque* Goth. pr. *ac*

NOTÆ

739 *Haruspex*] Qui ex inspectis hostiarum visceribus futura prædicit: quæ ars propria Tyrrhenorum, Æn. VIII. 498.

746 *Æquore*] Planitie campi, Æn. II. 780.

750 *Vim viribus exit*] Active, ut Æn. V. 438.

Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus urget obunco
Luctantem rostro; simul æthera verberat alis:
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarcho
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem jaculo et multa prior arte Camillam
Circuit, et, quæ sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo;
Hac Arruns subit, et tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat;
Hac juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; et certam quatit improbus hastam.

convolvit sinuosas spiras, et rigescit squamis sublatis, et altus assurgens sibilat ore: illa rostro incurvo non minus premit obnitentem, et *simul quatit aërem alis: non aliter Turchon gaudens aufert prædam e turma Tiburtinorum: imitati exemplum et eventum ducis* sui *Tyrrheni irruunt. Tunc Aruns, addictus morti, prior currit circa celerem Camillam* cum *sagitta et multa solertia: et explorat quænam fortuna sit commodissima. Quacumque virgo ardens immittit se medio exercitu; Aruns sequitur* eam *hac parte, et occultus considerat incessum* ejus: *qua revertitur illa victrix, et refert pedem ab hoste: juvenis clam deflectit illac habenas expeditas. Undique percurrit hos aditus, et jam hos aditus, et omnem circuitum, et librat*

---

viribus h. ed. pr. Burm.—753. *et, ac,* alii. *fumosa* Bigot.—754. *hæret* duo Burm. *scamis* Zulich.—755. *assurgens* ed. pr. Burm. *obunco* Heins. dedit e melioribus suis et illustravit. Eo alludunt alii, in quibus *abunco.* Vulgo editum *adunco,* quod et Romanus agnoscit.—756. *summum æthera* Ven.—757. *ex sanguine* Zulich. a m. pr. *ex agmine raptam* Serv. ad VIII, 9, ubi quidam *Tiburti.*—758. *eventum exemplumque* aliquot codd. Heins. et edd. vett., minus bene. *eventus* autem h. l. pro successu.—759. *Arruns* Heins. ex optimis codd. scripsit et illustravit, pro *Aruns.* In scriptis fere *Arrons* occurrit. conf. Pier. ad v. 814.—760. Ne *et* delendum putes, vide Notam.—761. Hunc versum post vs. 763 *Hac A. ... lustrat* collocabat Goth. sec.—762. *Quo* aliquot Pier. *se cuique* Bigot. *ferens* pars Pier. et Heins., varietate fere perpetua. *ferox* a m. pr. videbatur habuisse Mentel. pr. Sed h. l. *furens* recte, utpote in pugna; unde inf. 781 *cæca* et *incauta.*—763. *Huc* sec. Moret. *armis subit* ed. Mediol.—765. *celeres furtim* aliquot Heins.—766. *atque hos* Gud. et pr. Menag. *hos jamque* Moret. tert. *jamque hos abitus* pars libb. Pier. et Heins. et Erf., et probabat hoc Pierius cum Ulitio apud Heinsium. Sic quoque Donatus legerat. *jamque hos habitus* in binis Burm. *Hos abitus jamque hos aditus* alter Voss.—767. *circuitu*

NOTÆ

757 *Tiburtum*] Quorum inter principes erat Venulus. De *Tibure,* urbe Latii, Æn. 630.

759 *Mæonidæ*] Tyrrheni, e Mœonia sive Lydia orti. Æn. II. 781. Æn. IV. 216.

Forte sacer Cybelæ Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis, aënis
In plumam squamis, auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati

malignus hastam inevitabilem. Forte Chloreus dicatus Cybele et quondam sacerdos, procul splendebat conspicuus in *armis Phrygiis: et impellebat equum spumantem, quem tegebat pellis compacta squamis æreis auratis* in modum *plumarum. Ipse conspicuus ferrugine et purpura externa, vibrabat Lycio* arcu *corneo sagittas Cortynias: arcus auratus sonat ex humeris, et galea aurea est* huic *vati: præterea*

Goth. sec.—768. *satus Cybele* aliquot Pier. *sacer Cybelo* Medic. Pierii cum Donato: Medic. et alii Heinsiani cum trinis Goth. Eandem varietatem supra lib. III, 111 vidimus. Cum *Cybelus* mons Phrygiæ sit, vix *sacer Cybelo* cuiquam placere potest, nec magis tamen: *sacer Cybelæ...olimque sacerdos;* etsi Cybelæ consecratus a puero esse potuit, ut Camilla Dianæ sup. 559 sqq. Proclive esset, cum Pierio et Cuninghamo refingere: *satus Cybelo,* in monte Cybelo natus. Sed hoc idem significat lectio meliorum librorum: *satus Cybele:* nam et montis id nomen fuit. Nec aliter Servius legit, etsi alterum ejus scholio præscriptum est. Porro *Choreus* Medic., tum Macrob. v, 1 et alii codd. apud Burm., ut auctoritate adeo præstet. Nec aliter Jul. Sabin. At *Celoreus, Chioreus, Cereus, Cloreus* aberratt.—771. *Implumem* Goth. sec. et tert. *squamis* Zulich. *squalis* a m. pr. Goth. *auroque inserta* Ald. (pr. et sec., nam emendatum a Naugerio) cum Goth. pr., quod poterat juvare eos, qui in structura verborum hærebant. Sed vid. Not.—773. *Cortinia* passim codd. et h. l.—774. *ex humero* Gud. et alii Heinsiani, cum Goth. sec., ut inf. 844.

NOTÆ

768 *Sacer Cybelæ*] Alii legunt, *Sacer Cybelo:* alii, *Satus Cybelo;* ne idem sit *sacer et sacerdos.* Nugæ: potest enim quis sacer esse dicatusque per votum numini, non per sacerdotium: ut Camilla, quæ tamen Dianæ sacerdos non erat. De *Cybelo* monte Phrygiæ et *Cybele* Dea Deorum matre, Æn. III. 111.

770 *Aënis In plumam, &c.*] Non militibus tantum, sed et equis etiam loricæ quandoque fuerunt: et ii proprie dicebantur *cataphracti.* De iis ita Sallustius apud Servium: 'Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.' Igitur lorica equi erat ex pelle sive corio, cui insertæ erant æreæ laminæ, in modum squamarum incisæ; erant autem squamæ illæ, non rotundæ quidem ac vulgares; sed oblongæ, ita ut ad plumarum formam potius accederent: neque ex ære simplici, sed aurato. Æn. III. 467.

772 *Peregrina ferrugine et ostro*] Ostro, sive purpura Iberica, ferruginea et subnigricante: de qua Æn. IX. 582. De *ostro,* Ge. II. 506.

773 *Lycio Gortynia, &c.*] Species pro genere. Arcus enim insignes e cornea materia, e Lycia Asiæ regione, de qua Æn. IV. 143. Sagittæ item ex urbe Cretæ insulæ *Cortyna,* vel *Gortyna,* Ecl. VI. 60.

Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troia, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur; totumque incauta per agmen
Fœmineo prædæ et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis cum tandem tempore capto
Concitat, et Superos Arruns sic voce precatur:
Summe Deum, sancti custos Soractis Apollo,

strinxerat in nodum fulvi auri chlamydem croceam carbasinam et ejus *plexus crepitantes. Pictus acu* secundum *tunicam et barbara tegmina crurum. Puella, sive ut appenderet templis arma Trojana, sive ut venando incederet in aureis* spoliis *captis, sequebatur cæca hunc unum ex omnibus certantibus in prælio: et imprudens flagrabat per totum exercitum muliebri cupiditate prædæ et spoliorum. Cum denique tempore captato Arruns vibrat jaculum ex insidiis, et orat Deos his verbis: Supreme Deorum Apollo, præses sacri Soractis, quem præcipui colimus, cui ignis e*

erat arcus Medic. et Leid., minus eleganter.—775. *sonatque crepantes* Parrhas. —778. *Tunc virgo* Menag. pr.—781. *Certa s.* Parrhas. *incauta* jam in vett. edd. fuit: ut in nostra, Ven. Norimb. et aliis, tum in Egnat. Firmavit lectionem auctoritate sua Ge. Fabricius. In aliis, etiam Aldd. usque ad Commelin., *incensa* legitur: quod et codd. nonnulli habent; sed recentiores, uti et Goth. tert. et Erf.—782. *Fulmineo pede* Parrhas.—783. *tum* Dorvill. *et* Franc. *cunctantem* Goth. pr. *t. rapto* Parrhas. *cauto* Goth. tert.—784. *Concitat* e melioribus Pierianis et suis restituit Heinsius, pro vulgari: *Conjicit*, quod ex interpretamento venit; etsi *Concitat* ad ipsum motum librantis telum referri potest.—785. *sacri* pr. Hamb. *custos sci* Zulich., solenni scripturæ compendio, pro *sacri*, quod Burm. quoque monuit.

NOTÆ

775 *Cassida*] Nomen primæ declinationis, deductum ex accusativo nominis tertiæ: *cassida, cassidæ;* a *cassis, cassidis, cassidi, cassida:* quod et apud Propertium reperitur l. III. 11. 15. Sic apud Varronem, teste Nonio, *compeda*, a *compes; chlamyda*, a *chlamys:* apud sacros scriptores nostros, *lampada*, a *lampas*. *Croceam:* tinctam croco flore, *safran*.

777 *Tunicas, et barbara, &c.*] De *tunicis*, Æn. IX. 616. *Tegmina crurum:* sunt ocreæ non vulgari quidem Græcorum aut Italorum, sed Barbarorum more: hoc est; ut videtur plerisque, Phrygum, qui primi acu pingere repererunt. Paulo tamen aliter visum explicandum illud Æn. II. 504. 'Barbarico postes auro.'

780 *Certamine pugnæ*] Sic Lucret. l. IV. 841. Sic et Æn. II. 780. *Maris æquor*.

785 *Soractis*] *Soracte* vel *Soractes*, mons in Etruria in agro Falisco, ad occidentalem ripam Tybris, ad septentrionem Romæ nunc, *Monte di S. Sylvestro*. Ibi lucus et templum Apollinis fuit. Plinius l. VII. 2. 'Haud procul urbe Roma, in Faliscorum agro, familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apol-

Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur; et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna;
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias, pulsæve tropæum
Virginis, aut spolia ulla peto. Mihi cetera laudem
Facta ferent. Hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.
Audiit, et voti Phœbus succedere partem
Mente dedit; partem volucres dispersit in auras.
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem ut patria alta videret,

pinu alitur in cumulum; et cui nos *cultores, securi religione, calcamus plantis multas prunas per mediam flammam: concede,* o *pater omnipotens, hanc ignominiam deleri nostris armis. Non peto exuvias, aut trophæum, aut ulla spolia victæ puellæ: reliqua facta mihi præstabunt gloriam: revertar* libenter *inglorius in urbem patriam, dummodo hæc funesta pestis moriatur vulnere a me* inflicto, *Apollo audivit: et concessit* ut *pars voti animo succederet, partem dissipavit in leves ventos. Concessit precanti* ut *occideret morte improvisa Camillam turbatam: non*

cf. Burm. Sec. Anthol. Tom. I, p. 126.—786. *primum* Oudart. et Exc. Burm. *pruneus* Gud. a m. pr., male. Burmannus laudat Heins. ad Silium v, 179.—788. *premimur* conj. Heins. *vestigia prima* Goth. tert.—790. *Patrem* appellari Apollinem, novum non est; convenit omnibus Diis: at *pater omnipotens* de Apolline mirationem facere potest; et quod antea 785 *summe Deum;* etsi *summi Dii* passim occurrunt. *Armipotens* conj. Burm., quod nesciret, an alius Apollini id epitheton dederit. At *Junonem omnipotentem* ipse Maro dixit sup. IV, 693, et VII, 428; et h. l. multo magis hoc in Arrunte ferendum, quod paulo ante v. 785 *summum* Deum eundem Apollinem appellarat, adjecto: *Quem primi colimus.* Non male igitur Servius ex affectu colentis hæc dicta ait. *p. triumphum* alter Hamb.—791. *ut spolia* Franc. *haud s.* Goth. pr.—792. *ferent* revocavit, codicum quoque suorum auctoritate, Heinsius; quod et in edd. erat; nec *ferant*, quod Plerio placuerat, nisi in recentt. primum, puto, in Pulman. *dura* ed. pr. Burm. *modo dum* Parrhas.—793. *Pulsa* miror nemini displicuisse post v. 790 *pulsæ. cadet* Bigot. *patrias urbes* e codd. suis et Pier.; adde Goth. sec. et tert., Heinsius. Vulgo: *patriam urbem.*—794. *et votis* tres Heins. *Phœbus voti* apud Macrob. v, 3. *et dextris rebus s.* Zulich.—795. *partim* Ven. et duo Moret. cf. sup. v, 187. *disparsit* ed. Junt. *disperdit* Dorvill.—796. *in subita* alter Hamb. *turb. voce* Oudart.—797. *Ad-*

NOTÆ

lini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur, et ob id perpetuo Senatusconsulto militiæ aliorumque munerum vacationem habent.' Addit Servius ex Varrone, sacrificulos illos, per prunas ambulaturos, medicamento aliquo solitos sibi plantas tingere. *Aruns* igitur ex illis Hirpis Etruscis fuit, et equitibus Tarchontis. *Pineus ardor*, sunt prunæ, e pinu succensa excitatæ.

793 *Inglorius*] Nulla cæde nobilis: hanc enim cædem esse ignotam volo.

Non dedit; inque Notos vocem vertere procellæ.
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos acres oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque auræ
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli:
Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. Fugit ante omnes exterritus Arruns,
Lætitia mixtoque metu; nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,

concessit ut nobilis patria cerneret eum reversum, et nubes dispulerunt vocem in ventos. Itaque statim atque hasta librata manu edidit stridorem per aërem; agmina converterunt animos, et omnes Volsci direxerunt oculos ad reginam. Ipsa nullatenus animadvertit aut aërem impulsum, *aut stridorem, aut jaculum veniens ex alto, donec jaculum appulsum ad mammam præcisam infixum est, et profunde immissum hausit virgineum sanguinem. Sociæ festinantes accurrunt, et suscipiunt reginam cadentem: Aruns præ ceteris stupefactus, fugit, gaudio et timore mixtis: nec jam ultra audet fidere hastæ, nec occurrere armis virginis. Et quemadmodum aliquis*

---

nuit, at reducem ut patria alta vid. Zulich.—798. *Nec d.* Goth. pr.—799. *ubi m.* Medic.—800. *oculos acres animosque* Leid. *animos alacres* Vratisl. *Convertere animos acies*, h. copiæ, vett. edd., ut Ven. 1484. 1486. 1495 et seqq., etiam Egnatiana recensio; item Norimb., quod Heinsium fugisse miror. Burmannus tantum hoc monuit: "*acies* legere alios ait Cerda." Quæ prima *acres* habeat, apud me Aldina prima est cum cett.—801. *Nihil illa* aliquot Pieriani, unde Catræus mutuatus est, et pr. Menag. *neque* Heins. et libb. pro *nec*. Tandem *auras*, quæ vetus secundi casus forma fuit, ut *Maia, Maias, pater familias*, legerat Asper, et eam antiquam lectionem esse Servius testatur. Adde Pompon. Sabin. In Pierianis tamen ea codd. non occurrebat, nec in Heinsianis, præterquam in pr. Moret. altero Menagio, Venetoque (quibus adde Dorvill. et Goth. pr., qui sunt inter recentissimos), tum in tribus aliis pro div. lectione; eoque alludebat Gud., in quo *aura*. In Mediceo *auris* esse Burm. notat: quod a Fogginio observatum non est. Etiam vett. edd. *auras* habent, ut Mediolan. Ven. 1484. 1486 et al. cum Egnat.; primum mutatum video in Aldd. pr. et rel. *neque ante* Goth. tert.—802. *æthere cœli* Goth. tert.—803. *Hasta per* Goth. tert. *expertam* Rom. *exortam* Goth. pr. *perlapsa* Goth. sec. *mamillam* sec. Rottend.—805. *comitem d.* Hugen. *cadentem* Leid.—806. *Stetit* Zulich. *Fuit* ed. Dan. Heinsii. *exterritus armis* Goth. tert.—807. *mœstoque metu* Rom. Forte ortum *mesto* ex *misto*. *mixtaque* Goth. pr.—808. *concurrere* sec. Rottend. et Dorvill, cum Goth. pr.—809. *prius quem* Ald. pr. cum Goth. pr. *turba inim. sequatur* Zulich. Forte

NOTÆ

798 *Notos*] Speciem pro genere: ventos meridionales pro quibuslibet ventis. Ecl. II, 58.

809 *Ille lupus*] Ille frequenter abundat in comparationibus. Æn. X. 707.

Continuo in montes sese avius abdidit altos,
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, sylvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex æqualibus unam,
Alloquitur; fida ante alias quæ sola Camillæ;
Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum

lupus, pastore aut magno juvenco interfecto, memor facti sui *audacis, recipit se in montes excelsos* extra *viam positus, priusquam jacula hostilia assequantur* ipsum: *et reflectens caudam supponit* eam *trementem utero, et adit sylvas: non aliter Arruns turbatus subduxit se ex oculis, et gaudens ob fugam miscuit se meditis armatis. Illa moriens educit manu jaculum: sed cuspis ferrea hæret ad costas inter ossa profundo vulnere. Concidit pallida, concidunt oculi frigidi morte: color olim rubicundus deseruit vultum. Tum moriens sic alloquitur Accam unam e sociis, quæ sola Camillæ fidelis* erat *præ ceteris, cum qua* solebat *communicare curas suas: et sic loquitur ista: Acca soror, potui huc usque* pugnare: *nunc dura plaga me in-*

ne bis telorum in binis verss. mentio fiat. *sequuntur* Gud.—810. *abrius* pr. Moret. *obvius* Goth. tert. *sese auus* Goth. sec. *abdidit avius* Zulich. *aptos* Goth. tert.—811. *magno que* edd. apud Pier., qui e codd. *ve* commendat.—812. *remulgens* Gud. et Mentel. pr.—813. *subjectat* sec. Moret. *pavitans* Zulich. *uterum* Hugen. *silvisque* sec. Menag.—814. *obdidit* Zulich. *Aruns* v. sup. ad v. 759.—815. *fugæ* maluit Heins. Alterum hemistichium a cod. Zulich. aberat.—818. *Labitur et sanguis* Donatum legere videri notarat Pier., hoc arripuit Catrœus; Camillam enim non nisi paulo post vs. 827 de equo defluere; perperam utique; nam exilis et jejuna illa est lectio. Et *labitur* dictum est, ut centies, de ipso conatu et initio actionis. *examinis* Vratisl. *frigida telo* alii apud Servium, et pro div. lect. Menag. pr., male.—819. *calor* Leid. et duo Goth. *ossa* tres Heins. et Leid. cum Goth. tert. *relinquit* tres alii.—821. *fidam* Medic. a m. sec. *Acca* Latinum nomen est; nota Acca Laurentia, Faustuli uxor.—822. *Quicum* ubique edd. *Quacum* plerique Pier. et Heinsiani fere omnes (excepto Mediceo, Gud. a m. pr. et tert. Rottend.), cum Goth. sec. et tert. et Erf., quibus suffragatur Arusianus Messius. Tum ellipsi suppleta interpolatum in ed. Ven. Burmanni: *Quicum partiri curas solita: atque ita fatur*, et in Dorvill. ac Bigot. cum Goth. tert. *Quacum partiri curas solet, atque ita fatur.* Tandem Burm. conj. *atque huic ita fatur.*—823. *potui* vel *valui* alter Hamb.—824. *ex tenebris*

NOTÆ

815 *Contentus fuga*] Præter allatam interpretationem, potest hæc etiam afferri: *Concitatus fuga, contendens fugam;* a *contendo.*

Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera; dejecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum,
Tyrrhenique duces, Evandrique Arcades alæ.
At Triviæ custos jamdudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.

terficit, et omnia circum nigrescunt caligine. Fuge, et fer ad Turnum hæc ultima monita: succedat mihi *ad pugnam et avertat Trojanos ab urbe: denique vale. His prolatis, simul dimittebat habenas, non sponte labens in terram: tum frigida dissolvit se paulatim toto corpore, et demisit colla incurva caputque morte victum, abjiciens arma: et vita dolens cum gemitu abit in tenebras. Tunc autem vastus clamor suboriens verberat astra aurea: prælium inhorrescit occisa Camilla. Irrumpunt conferti: simul omnis multitudo Trojanorum, et ductores Tusci, et equitatus Evandri Arcadis. At Opis exploratrix Dianæ jamdudum sedet sublimis in summis montibus,*

Leid. *increscunt* Oudart.—826. *que* aberat Mediceo Pierii; idem in plerisque reperierat *urbi*, quod doctius. Laudavit jam Burm. ex Ge. III, 155 *Arcebat grævido pecori*, h. a pecore. At idem Maro alterum sæpe numero adhibuit: *Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.* Brunck. utrumque amplexus est: *Trojanos arceat urbi.*—827. *Simul hæc dicens* ed. pr. Burmanni, et Goth. sec.—828. *non sponte ruens* sec. Rottend. conf. sup. v. 236, et III Ge. 524. *Cum frigida* Zulich. et Goth. tert. *Et fr.* malebat Faber propter vs. 832.—829. *solvit* Mentel. pr. *se pectore* pr. Hamb.—830. *ponit* ed. pr. Burm. *relinquunt* (sc. illam) alii apud Servium legebant, inter quos Probus fuisse videtur. *reliquit* Rom. et alii Pieriani cum Donato.—831. *venit i.* Goth. pr. *umbris* sec. Rottend. v. inf. XII extr.—832. *immensum surgens* malebat Heins. *serpens* Franc. *venit a. c.* Goth. pr.—834. *Concurrunt* Rom. et alii Pier. Voss. cum Sprot. et Bigot. ac Goth. sec. tert. *omnes* ed. pr. Burm.—835. *Tyrrhenumque duces* ex solo Mediceo reposuit Heins., quod ipsi nervosius videbatur. Sed, cum *Teucrum copia* præcessisset, potuit poëta maluisse variare: *Tyrrhenique duces* quod vulgo legitur. *Evandrique Arcadis* edd. Ven. et Mediol. apud Burm., et omnes aliæ veteres et recentiores; nec *Arcades* illatum, nisi a Commelino, defensum ab Heinsio e scriptis potioribus, cum quos ipse habebat, tum Pierianis. cf. XII, 551.—837. *interrita.* Hoc vocabulo adjecto me non magnopere delectari lubenter fateor. Aut enim alienum, aut otiosum

NOTÆ

835 *Alæ*] Equites, supra 604.
836 *Triviæ*] Dianæ, quæ colebatur in triviis. Æn. IV. 511.

Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam;
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema jam in morte; neque hoc sine nomine letum
Per gentes erit; aut famam paticris inultæ.

et immota aspicit prælium: et cum inter medios clamores juvenum certantium procul vidit Camillam affectam tristi morte; et suspiravit, et emisit hæc verba ex intimo pectore: Heu virgo! tulisti supplicium nimis crudele, conata bello aggredi Trojanos: nec profuit tibi derelictæ inter vepres coluisse Dianam, aut tulisse humeris nostras pharetras. Tamen Dea tua non te relinquet jam ingloriam in suprema morte: neque hæc mors erit absque honore inter populos, nec feres famam non vindicatæ. Nam

est. Ut saltem adjuves quodammodo, dicendum est, exprimi tantum hoc, quod tuta, e tuto loco, pugnam prospicit Opis; aut, cum alias vel solo armorum strepitu et pugnæ aspectu terreri soleant puellares animi.—838. *Atque* Leid. *juvenum medio* Menag. pr. *juvenem* Bigot. et Goth. tert. *juvenem medio in clamore furentem* Gud. *in* etiam Junt. ed. abest. *Juvenes* sunt αἰζηοί, bellatores.—839. *mulctatam* Pierius in suis invenerat: sicque tres Heins. At Mediceus cum qu. Moret. et Leid. *mulcatam*, quod etiam ex vet. cod. laudat et defendit Guellius. *mutatam* Franc. et Parrhas. Jam de his vocibus satis accurate actum passim a viris doctis. Laudat Burm. Arntzen. ad Aurel. Vict. Vir. Ill. c. 51, Drakenb. ad Liv. III, 67. *mulcatam* h. l. Heins. intulerat; jure suo retraxit Burm. *multatam*, quod jam inde ab Aldd. legebatur. Nec enim aliter dicitur quam: multari pecunia, exilio, morte, ut vel Lexica docent. *m. in morte* Sprot.—840. *Ingemit et dedit has* Dorvill.—843. *Hoc tibi* Donatus legisse visus Ge. Fabricio. *Dianæ* Vratisl.—844. *gestasse* aliquot Pier. et membranæ Brunck., qui id reposuit. *sagittas* Medic. cum nonnullis aliis et binis Goth. aberravit.—845. *reliquit* Heins. recepit, ex Romano Pierii, Mediceo aliisque suis. Sic ex decreto Dianæ res jam constituta habetur. *relinquit* aliquot Pier. et tres Heins. *relinquet* vulgo legitur: sic quoque tres Goth. cum Erf.—846. *jam* abest Sprot. *in* abest quinque Heins. et alteri Goth. *nec* al. *numine* Medic. Pierii, et pars Heins.—847. *Per gentes eat*

NOTÆ

839 *Multatam*] Aliqui legunt *mulcatam*. Differunt vero *multare*, et *mulcare*: quod *multare* est a voce Osca vel Sabina, *multa*, quæ pœnam pecuniariam a judice irrogatam significat, ut notant Festus et Varro; et per translationem, quamlibet aliam pœnam: *mulcare* autem Latina vox est, quæ significat *verberare*, a *mulceo*, quod est *mollio*: quia quod verberatur, mollitur: hinc Vulcanus dictus est *Mulciber*, a verberando ferro. Vide Germanum Valentem, et Vossium.

843 *Desertæ in dumis*] De vita Camillæ in sylvis, supra 539. et sequentibus.

Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;
Hic Dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. Tunc etiam telis moriere Dianæ?

quisquis læsit vulnere tuum corpus, solvet id *nece merita. Fuit sub excelso monte magnum sepulcrum Dercenni, veteris regis Laurentini, ex aggesta terra, et tectum umbrosa ilice. Dea formosissima collocat se primum illic celeri impetu, et ab excelso tumulo circumspicit Aruntem. Quando aspexit illum coruscantem armis et vane superbientem, ait: Cur discedis in diversam* partem? *huc fer gradum, huc veni moriture: ut recipias mercedem dignam Camilla. Tunc morieris sagittis* ipsius

conj. Heins., non ineleganter. *patiaris* Montalb. *inulta* pr. Moret. et a m. sec. Hamb. unus; sed est *fama inultæ*, ignominia invindicatæ, ut bene Serv. —849. *luat* pr. Hamb. et sec. Moret. cum Goth. pr. et tert. et Erf. *licet* alter. *luit* Exc. Burm. *arto* Medic. a m. pr.—850. *Dercenni* Medic. *Dircerni* duo aut tres alii Heins. *Diræni* Parrhas. *Stercenni* apud Servium fuisse videtur. *Dorcenni* et *Dorcenii* alii.—851. *textum* Exc. Burm.—852. *nixu* Franc. vel *cursu* in marg. Goth. tert.—853. *Arruntem tumidum* alter Hamb.—854. *lætantem animis* Medic. a m. pr. quod arripuit Wakefield. Videt tamen accommodatius sic fore: *Ut videt exultantem animis. surgentem* Leid.—855. *adversus* Zulich. *ab his* alter Menag. *derige* Medic. et Gud. *gressus* Erf.—856. *moriture* sec. Moret. *Camilla* Rom.—857. *Tunc* Franc. *Teque* pr. Rottend. *Tute etiam* Erf. *moriare* sec. Moret. Alii verba: *Tunc etiam* ab Heinsio et Burmanno nil notatum mirari licet: cum expeditu haud facilia sint. Aut enim jungi debet: *Tunc etiam*, etiam tu, sc. ad exemplum tot aliorum, qui Dianæ telis periere. Sic fere Serv. et Donat.; aut: *etiam Dianæ telis*, sc. nec meis; expectabisne, dum a Diana ipsa interficiaris? Erant tamen ipsius Dianæ sagittæ, quibus Opis utebatur. Neutrum satis placere potest. Possit alterum distinctione juvari: *Huc periture veni. Capias ut digna Camillæ Præmia, tunc etiam telis moriere Dianæ?* Ex Cerdæ mente dolet

NOTÆ

850 *Dercenni, &c.*] De hoc vetere Laurentum rege, Latino multo antiquiore, nihil apud auctores. *Bustum* ait, pro loco ubi cineres post combustionem depositi fuerant. *Ilex*, arbor glandifera, *yeuse*. De *Laurente* regione, Æn. VII. 63.

854 *Vana*] More adverbii, pro *vane*: ut Ge. III. 500. 'Terram crebra ferit.'

856 *Digna Camillæ præmia, &c.*] Mors divina manu illata, præmium, non pœna est. Si mori debuerat Camilla, mori divina manu debuerat, non imbelli timidi mortalis telo. Tune dignum Camilla munus auferes? et ignavus cum sis, non cujuslibet numinis, sed ipsius etiam Dianæ telis moriere?

Dixit, et aurata volucrem Threissa sagittam
Depromsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantes
Audiit una Arruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt;
Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.

etiam Dianæ? Dixit, et quemadmodum Amazon *Thracia, eduxit ex aurata pharetra sagittam celerem, et inimica intendit* arcum *corneum, et extendit longe: donec extremitates* ejus inflexæ *committerentur inter se, et jam tangeret manibus æqualibus, sinistra cuspidem ferri, dextera et nervo mammam. Statim Aruns audivit simul stridorem sagittæ aëremque frementem, et ferrum infixum est in corpore. Socii immemores relinquunt illum in incognito pulvere arvorum exspirantem et ul-*

Nympha, fraudulento homini contingere gloriosam mortem: cum periturus sit Dianæ telis. Ex simili indignatione dictum putabat Guell. Alius modus est, ut ex affectu reliquorum etiam hoc dicatur: *Tune etiam? Telis moriere Dianæ*, h. Tune etiam longius abis? non pares dicto? Ades vero, o bone, *telis moriere Dianæ*. Uti in objurgatione *etiam* solenne est. Parum tamen epicæ dignitatis et hoc habet. Brunckius mutavit verba et ex conjectura reposuit: *Tuque etiam;* si tamen locum exigas: *Huc perilure veni: capias ut digna Camillæ Præmia, tuque etiam telis moriere Dianæ:* frigere sentias verba *etiam*, et *que*, et *tu*. Sententia enim his verbis finitur: telis Dianæ moriere, ut capias præmia digna Camilla. Ex Rottendorph. lectione exsculpi possit hæc lectio: *Huc perilure veni, capias ut digna Camilla Præmia teque, et jam telis moriare Dianæ*. ut sit: veni, ut capias præmia digna Camilla et te, utque jam Dianæ telis moriare. Ceterum, etsi satis frequentes sunt tales cavillationes victorum et hostium in poëtis, tota hæc Opis oratio ad nostrum sensum parum habet gravitatis epicæ. Extrema vero hominis male docti pannus esse videri possint, qui explere voluit versum imperfectum relictum: cum poëta substitisset post *Præmia*. Videtur tamen e Statio apparere, jam ipsum hæc legisse: nam Theb. x, 910 post Capanei minas Jupiter *Risit et...Tune etiam feriendus? ait.* Et IX, 787. *Prælia lude domi...quod si te mœsta sepulcri Fama movet, leto moriere virorum:* ad Parthenopæum Amphion.—858. *at a.* sec. Moret.—859. *Depromit* alter Hamb. *incensa* Hugen.—860. *Eduxit* Franc. et Dorvill. *Adduxit* Macrob. IV, 3. *d. cruenta c.* Franc.—861. *Intra se* Goth. sec. *tenderet* Menag. pr. et qu. Moret.—862. *Lævam aciem* fragm. Vatic. *dextram* ed. pr. Burm.—863. *celi* Goth. tert. *aurasque sequentes* Exc. Burm.—864. *exitq.* Franc.—867. *pinnis* fragm. Vatic., ex more. *defertur*

NOTÆ

858 *Threissa, &c.*] *Ut Threissa*, id est, *ut Amazon*. Sic Camilla 648. *exultat Amazon*, id est, *ut Amazon*. Neque enim Opis aut Camilla tales erant re ipsa; sed cultu tantum atque habitu. De *Amazonibus Thraciis*, supra 659.

867 *Olympum*] Montem Thessaliæ, pro cœlo, Ecl. v. 56. *Alu*, equitatus supra 604. *Rutuli*, milites Turni, Æn. VII. 794.

Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas;
Disjectique duces desolatique manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus;
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussæ pectora matres
Fœmineum clamorem ad cœli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum,

tima gementem: Opis effertur alis ad æthereum cœlum. Levis equitatus Camillæ fugit primus, regina amissa: Rutuli turbati fugiunt, fugit fortis Atinas: et ductores dissipati, et manipuli vastati quærunt loca *tuta, et currunt equis conversi ad muros. Nec ullus potest sustinere armis, aut stare contra Trojanos imminentes et inferentes mortem: sed reportant humeris defessis arcus laxos, et ungula equorum currendo pulsat campum pulverulentum. Pulvis confusus nigra caligine fertur ad muros: et matres verberantes sinum emittunt e speculis fœmineam vociferationem ad astra cœli. Qui primi attigerunt cursu portas apertas; hos turba hostilis opprimit agmine superjecto: nec evitant mortem funestam; sed in ipso ingressu, in muris*

Oudart.—869. *acer Acernas* alter Hamb. *acer* est et h. l. fortis; nec debebat de hoc dubitari.—870. *Defectique duces* Medic. a m. pr., quod Heins. illustrat, nec tamen aliter accipere vult, quam ut sint: deserti a suis. Sic vero præstat, quod omnium codd., etiam fragm. Vatic., auctoritate firmatur, *Dejecti*, h. e. dispersi, palantes fuga. *Dejectique* alter Hamb.—871. *Tecta* p. pr. Hamb. pro var. lect. conf. mox v. 882. *equos* Gud. Mentel. pr. et alter Menag., ut aut sit *equos tendunt*, aut *equos aversi*. Tum *equis versis* ed. pr. Burm. *equis aversis* Goth. sec. *equos adversi* Zulich. *adversa ad mœnia* pars codd. Pier. cum Erf. *adversi* Dorvill. *aversa mœnia* sine *ad* duo Moret. *turbatu ad mœnia* Ven. Sed vulgata recte se habet: et firmat eam fragm. Vatic. —872. *instantes acies l. f.* Rufinian. de Schemat. Lex. p. 237, perperam ex memoria.—873. *aut tendere* Parrhas.—874. *lapsos* Vratisl. *lassos* duo Burm., perpetuo lapsu.—875. *Quadripedoque* Rom. cum fragm. Vatic. a m. pr., uti et Donatus legerat: quod doctius dictum, uti sup. VIII, 596 *Quadrupedante sonitu. Quadripes* per i scriptum jam sæpe vidimus. vid. sup. ad v. 614. *que* aberat ed. pr. Burm. *Quadrupedemque* alter Menag. et fragm. Vatic. a m. sec. *Quadrupedante* p. Sprot., et p. *sonitu q.* tert. Rottend., utrumque ex altero loco VIII, 596.—876. *c. t. acta* Goth. tert., quod ferri posset, si melius non haberemus. —877. *e* aberat Franc. *e muris* Dorvill. et Goth. tert. cum Erf. *perculsæ* tert. Rottend. *percusso* p. unus Heins.—881. *eff. noctem* Oblong. Pierii. *si lim.* Erf. *limite* Zulich. et sec. Rottend. *limine in primo* Goth. tert. memoriæ vitio. Nam *limine primo* occurrit alibi.—883. *intra* Rom., tum Medic.

Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes; orturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrymantumque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruina,
Volvitur; immissis pars cæca et concita frænis
Arietat in portas et duros objice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ), ut videre Camillam,

patriis, et inter tutas domos confossi emittunt animas. Pars incipit *claudere portas: nec audent patefacere aditum sociis, nec admittere precantes* intra *muros: et incipit tristissima strages, propugnantium armis ingressus, et ruentium in pugnam.* Ex ils qui sunt *exclusi, pars labitur in fossas præruptas, premente* multitudine *irruentium, ante oculos et vultus parentum plorantium; pars insana et concitata* equis *frænatis impellunt portas et postes firmatos repagulis.* In *suprema* illa *contentione matres ipsæ, ex quo conspexerunt Camillam* (id *docet verus amor patriæ)*

Voss. pr. Parrhas. Goth. sec. et ed. pr. Burm. Eadem *tecta d.* cum parte Pierianorum, et Sprot. cum Hamb. sec. a m. sec., minus eleganter: ut et alibi. *inter tuta* etiam fragm. Vatic.—883. *et spirant* Medic. *spirant* Zulich. —884. *audet* Ven. et Parrh.—886. *Defendent* cum litura Medic. *adituque inque* Franc. *atque a. r.* Gud. *duro et sub Marte cadentum* præfixum video Donati interpretationi. Julium Sabinum corruptum potius esse arbitror, quam lectionem variare. *Cædes*, ait, *quam faciebant Trojani. Oritur cædes descendentium per ingressum, et ruentium ad portam.*—887. *lacrimantum ante ora p.* concinna repetitione Moret. sec. et Hamb. pr. a m. sec.—890. *Arcitat* Goth. sec. *Artat se in p.* tert. *in portis* Gud. cum tribus aliis.—892. *Constat* alter Hamb. *amos* Gud., quod illustrat Heins. *amor versus* Rom., ut jam revertatur ille in pectora. Minus scite. In fragm. Vatic. *ut* a pr. m. aberat: et videtur *ut* aut melius abesse (nam sive sit postquam, sive quemadmodum, parum commodum est), aut in *et* mutari. Ita erit: *Monstrat amor verus patriæ; et videre Camillam;* h. et viderant matronæ paulo ante Camillæ exemplum. Sed vereor, ne, si non totus versus, et hemistichium tamen, seu posterius, *ut videre Camillam*, ad supplendum versum, quem poëta imperfectum reliquerat, illatum sit; seu prius quoque, cum in margine pro interpretatione ascriptum esset: *ut videre Camillam.* Totus versus, ut dixi, olet interpolatoriam operam.

NOTÆ

890 *Arietat in portas*] Non quidem equorum in portas impulsu, quod visum est *Donato;* sed obvils quibusdam aut trabibus aut molaribus impactis, instar arietum: de qua machina, *Æn.* II. 492.

892 *Ut videre Camillam*] Vel, cum viderunt Camillæ corpus inter sociarum manus relatum: vel potius, quia 594. dixit Diana se nube cava corpus illud tumulo illaturam, ex quo viderunt Camillam, pro aliena salute ad arma concurrentem, amor patriæ suasit ipsis idem pro salute propria faciendum. De *vobere*, pro *quovis duriore ligno*, Ge. I. 162.

Tela manu trepidæ jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
  Interea Turnum in sylvis sævissimus implet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, et Marte secundo
Omnia corripuisse; metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens (et sæva Jovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat, campumque tenebat:

festinantes emittunt e muris tela manibus, et imitantur arma *ferrea duris lignis, stipitibus, fustibus præustis, nihil moratæ, et cupiunt primæ mori pro* defensione *murorum. Interim nuntius acerbissimus occupat Turnum in sylvis, et Acca refert juveni magnum* illum *tumultum: turmas Volscorum cæsas* esse, *Camillam occisam esse, hostes infestos inminere, et favente Marte vastasse omnia: timorem jam extendi ad muros. Ille furiosus deserit colles occupatos et sylvas difficiles, nam auctoritas dura Jovis ita imperat. Vix excesserat*

—893. *trepida* Bigot. *manu jaciunt: trepidæque et* ed. pr. Burm.—895. *ardent* recepit Heins., pro vulgato *audent*. Habet et hoc suam vim. Sed *ardent* de re bellica poëtis quoque satis frequentatum. Duplicis lectionis diversæ duces: *ardent* Rom. et fragm. Vatic., tum Gud. Menag. pr. et Montalb. et ipse Medic. a m. pr., sed idem a m. sec., adeoque ex Aproniani emendatione, *audent*, quod plerique sequuntur, ex Gothanis quidem pr. et tert. nec male hoc, respectu sexus: *audent nunc mori*, h. e. discrimen mortis adire, etsi fœminæ.—896. *in* abest Bigot. et Goth. pr. ac tert., et *Interea silvis Turnus* ed. Ven. Burm., qui Virgilium *sylvis* dicere maluisse, quam *in s.*, notat. *densissimus* Moret. sec. *lenissimus* Franc.—897. *et* deest Mentel. pr., unde Heins. conj. *Nuntius, ingentem juveni:* inde tamen nihil lucreris. *ingentem* vel *cæcum* Hamb.—898. *Dejectas* pr. Hamb. a m. sec. ed. pr. Burm.—899. *infestos* edd. vett. et, haud dubie inde ductus, Goth. pr., a quibus discessit Naugerius in ed. tert. Ald.—900. *Omnia corripuisse metum: jam* sec. Moret., quod et ipsum ferri possit. *metu* Menag. pr., sicque videtur legisse Jul. Sab.—901. *et sæva* codd. Pierii et Heinsii: sicque editum a Naugerio, et revocatum ab Heinsio: vett. edd. fere: *jam s.* Ita vero distingui debebat: *Ille furens jam, sæva J.*, idque non improbem. Ed. Mediol. et aliæ vulgg. cum Goth. pr. et cum codd. Ursin. *nam s.* Dorvill. a m. pr. *si sæva Jovis. nomina* Medic. *sic n. pellunt* Rom.—902. *nemora avia* Bigot. et Goth. tert. *liquit* pr. Moret. *linquent* Goth. sec.—903. *camposq.* Medic., et pro div. lect. tert. Rottend.—904. *Tum p.* Par-

NOTÆ

901 *Furens, (et sæva, &c.*] Duplici de causa reliquit insidias, quibus Æneam deprehendere et bellum confi-cere mox potuisset: nempe ob præcipitem furorem, qui ei mentem abstulit: et ob numina Jovis, et vim fatorum Æneæ faventium.

Cum pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, sylvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt;
Ac simul Æneas fumantes pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et prælia tentent;
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Hibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem, et mœnia vallant.

ultra conspectum, et attigerat campos: cum pater Æneas, ingressus sylvas patentes, supergreditur collem et exit ex *obscura sylva. Sic ambo festini et toto impetu currunt ad muros, nec absunt longo intervallo a se invicem. Et simul Æneas vidit procul campos undantes pulvere, Laurentemque exercitum: et Turnus agnovit Æneam ferocem cum exercitu, audivitque incessum pedum, et hinnitus equorum. Statim inciperent certamina, et tentarent prælia; nisi Sol roseus jam lavaret mari Hispanico fessos equos, et reduceret noctem die cadente. Ambo quiescunt in castris ante urbem, et cingunt muros* urbis.

---

rhas. *invadit* aliquot Pier. *evasit* ed. pr. Burm. *silvasque...opacas* Sprot, alter Hamb. et Scheffer. cum Parrhas. vid. sup. ad IX, 99.—907. *passibus ibant* pr. Moret.—908. *At simul* pars codd. Heins., sicque vett. edd. nonnullæ, etiam Ald. tert., idque equidem malim: tunc vero v. 912 copula delenda et revocanda est lectio: *Continuo pugnas ineant.* Continuata enim oratio: *At, simul...equorum, Continuo pugnas ineant.* Nunc interpunxi post *equorum;* ut jungas: *feruntur...ac simul...simul Turnus. Tum pater* Rom. et quatuor Heins., repetitum ex v. 904.—910. *cognovit* Zulich. *conspexit* Gud. pr. Menag. et pr. Moret.—911. *Adventusque* Medic., doctius. *Adventusque virum* ed. pr. Burm, *Adventumque virum* uterque Rottend. ex vs. 607 h. l. *flatumque* Rom. Montalb. et Voss. pr.—912. *Continuoque ineant p.;* ita jam editum inde ab Ald. pr., usque ad Pulman. et Steph., a quibus vulgari cœpit *Continuo pugnas ineant,* adversantibus scriptis. Etsi id ipsum e Ms. Fabricii revocat Cuninghamus. Scilicet laboratum est interpunctione et ascito *At* v. 908. *ineunt* Medic. a m. pr., reliqua idem *Continuoque i. p.;* tum ed. pr. Burm. *ineunt* et *tentant.* Abest *que* ab aliis, et vett. edd. *pugnam.* Sed hæc nulli usui sunt, adeoque ea monere piget.

NOTÆ

913 *Gurgite Hibero*] Occiduo Oceano: nam Iberia sive Hispania ad occidentem Italiæ objacet. De *Iberia,* Æn. IX. 582. De *gurgite,* pro *mari,* Æn. I. 122.

915 *Mœnia vallant*] Circumambiunt: Trojani ut oppugnent; Rutuli ut defendant.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER XII.

ARGUMENTUM.

FRACTIS gemina pugna Latinis, Turnus cum Ænea singulari certamine dimicare statuit. Solenni sacramento conditiones certaminis fœdusque a Latino, Ænea, Turnoque sancitur. Fœdus a Juturna, Turni sorore, Junonis impulsu disturbatur: primusque Tolumnius, falso augurio victoriam suis pollicitus, Trojanos invadit. Æneas sagitta vulneratus excedere cogitur e prælio: quo absente maximam stragem Turnus edit. Venus dictamno herba vulnus Æneæ sanat. Is, refectis viribus, reversus ad pugnam Turnum nominatim vocat. Sed cum Juturna, excusso Turni auriga Metisco, currum ejus moderaretur, et ab Æneæ occursu detorqueret, ne congredi simul possent; Æneas admoto ad urbis mœnia exercitu, in propugnacula ignem conjicit. Hinc Amata, Turnum occisum rata, laqueo vitam sibi adimit. Turnus, ne urbs in hostium potestatem veniret, ad singulare certamen redit. Pugnant Æneas et Turnus: Æneas victor, cum Turni jugulo immineret, jamque ipsius precibus motus ad misericordiam deflecteret; viso in ejus humeris Pallantis balteo, repente exardescit, hostemque interficit.

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent

Turnus, cum videt Latinos fractos bello infelici abjecisse animum, fidem *suorum promissorum jam repeti, se designari oculis: sponte* etiam *implacabilis irascitur, et erigit animum. Qualis leo aliquis, in agris Afrorum, saucius* secundum *pectus duro vulnere venatorum, tunc denique exerit vires* suas, *et lætatur commovens toros jubatos colli, et interritus abrumpit jaculum venatoris infixum* sibi, *et frendet ore sanguinolento: non aliter ira crescit Turno inflammato. Tunc sic alloquitur regem, et turbulentus ita incipit: Nulla est dilatio in Turno: nihil est cur segnes* Tro-

3. *oculos* Medic. a m. pr.—4. *Attollit se* alter Menag.—5. *v. v. corpus* alter Hamburg.—6. *movet ora* pr. Menag. *comata* Zulich.—7. *Excutiet* Mentel. a m. pr., unde Heins. conj. *Excutier c. t.* Tum *f. Latinos* Parrhas. *Latinis* Goth. tert.—8. *fregit* Franc.—9. *adverso g.* Parrhas. *gliscet* Medic.—11. *quo dicta* Parrhas. *dona r.* Sprot. *retardent* Zulich. a m. pr. Servius ad v. 13 "Quidam sane a *Nulla mora in Turno* usque ad *pepigere recusent* jungunt: ne, si distinctio intercesserit, langnescat sententiæ color." Nimis subtiliter; cum

NOTÆ

1 *Infractos*] Vox raro negans, sæpius affirmans, ut jam monuimus Æn. v. 784. et probat multis Erythræus in Indice. Hic affirmat.

2 *Promissa*] Quibus ad singulare cum Ænea prælium se obstrinxerat, Æn. x. 434.

4 *Pœnorum*] Afrorum circa Carthaginem; qui sic dicti sunt, quasi Phœni, quia e Phœnicia cum Didone profecti. Æn. IV. in argumento.

5 *Ille, &c.*] Magnus aliquis leo: et sic, *ille*, sæpe abundat in comparationibus, Æn. x. 707.

6 *Movet arma leo*] *Arma*, sunt unuscujusque vires, et ad agendum instrumenta. Sic Æn. II. 99. De Ulysse: 'et quærere conscius arma,' id est, *dolos*. Apud Statium l. IX. 589. 'Armaque curva suum,' sunt *dentes*. Hic leonis *arma* sunt ungues, dentes: unde dicuntur *leones exarmati*, quibus ungues et dentes evulsi sunt.

7 *Toros*] Sunt eminentiæ musculorum nodosæ ac tumentes, circa cervicem aliasque corporis partes.

11 *Retractent*] Fidem datam revocent per aliud pactum et quasi contractum.

Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiæ (sedeant spectentque Latini),
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjux.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci

jani revocent sua verba, et abnuant facere ea *de quibus convenerunt. Descendo ad pugnam: offer sacrificia,* o *pater, et fac fœdus. Vel hac* manu *dextera mittam ad Inferos Trojanum profugum ex Asia, et solus refutabo ense criminationem communem nobis* omnibus *(Latini quiescant et aspiciant* me), *vel* Trojanus *possideat* nos *victos, et Lavinia detur* ei *uxor. Latinus respondit ei tranquillo animo: O juvenis,*

duo membra intercedant: nihil est...*nec* est quod *recusent.*—12. *nec quod pepig.* Bigot. *nec quid* Goth. tert.—13. *tu c. f.* Oudart. *consere* Vratisl. *fidus* Goth. tert.—14. *Aut fac* Goth. tert.—16. *crimen ferro* pr. Voss. Parrhas. cum Rom., quod admisit Cuningham. *repellam* idem cum Leid. et Hugen. et a m. sec. fragm. Ms. Helmstad. in Annal. litt. 1783, p. 195.—17. *victos* et *victor* agnoscit Jul. Sabinus. *victor* quatuor Heinsii, unde ille conj. *Aut abeat victor:* et erat hoc manifeste scriptum in Vratisl. et ed. pr. Burm. Allâdunt Zulich. *quique abeat victor* a m. pr. *abeat* Goth. tert. Sed hæc ipsa aspirationis omissio mutationi τοῦ *victos* in *victor* locum fecisse videtur. Habet utique majorem vim et Turni ferociæ magis consentaneum est: *aut habeat victos* sc. nos: sim pro victo; *cedat Lavinia conjux. cedatque Lavinia* pars codd. Pierian., forte eorum ausu, qui primam correptam mallent in *Lavinia.* cf. sup. ad lib. VII, 359. *Laurentia conjux* Franc.—19. *quoniam ipse f.* aliquot Pier.,

NOTÆ

13 *Fer sacra...concipe fœdus*] Ad ejusmodi fœdera, adhibebantur sacrificia et verba *concepta*, id est, certa solenniaque: infra 169.

14 *Tartara*] Inferorum pars est infima, Æn. VI. 134.

15 *Asiæ*] Phrygiæ, sive Troadis, quæ est in minore Asia, Æn. I. 385.

19 *O præstans, &c.*] ORATIO Latini, qua conatur Turnum a spe conjugii et singulari certamine ad pacem revocare: ostenditque I. Affinitatem illam Turni cum Latino esse inutilem, cum regnum utriusque satis absque illa virium conjunctione potens sit; cum sint urbes multæ Turno, divitiæ pariter atque animus et fortitudo Latini populis, virgines in Latio plurimæ quas Turnus uxores optare possit. II. Esse illicitam, quippe a Diis prohibitam. Æn. VII. 95. III. Esse perniciosam, siquidem ex quo, Turni causa, Deorum voluntati obstitit, calamitatibus innumeris utraque gens oppressa est. IV. Si, inquit, te occiso socium Æneam excepturus sum: quidni potius te salvo? V. Objicit sibi odia Rutulorum ob periculum Turni: Turno ipsi solicitudinem doloremque Dauni patris, belli varios eventus, &c. De *Latio* et *Laurento*, Æn. VII. 54. 63.

Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; necnon aurumque animusque Latino est;
Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes Divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Conjugis et mœstæ lacrymis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero; arma impia sumsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.

excellens animo, quantum tu excellis aspera fortitudine; tanto studiosius justum est me providere tibi, *et* me *timentem* tibi *considerare omnia pericula. Est tibi regnum Dauni patris tui, sunt plurimæ urbes expugnatæ viribus* tuis: *sunt quoque Latino divitiæ et benevolentia: sunt aliæ virgines* in *Latio et campis Laurentibus, nec ingloriæ* secundum *genus. Permitte me omissis fraudibus exponere tibi ista non* quidem *grata dictu: et simul perpende ista animo. Non erat licitum me jungere filiam ulli antiquorum amatorum: et omnes Dii atque homines monebant illud. Expugnatus benevolentia* erga *te, expugnatus sanguine cognato, et fletibus tristis uxoris* meæ, *fregi omnes nexus, abstuli* eam *promissam Æneæ genero, suscepi bellum sceleratum. Cernis,* o *Turne, quæ calamitates, quæ bella me persequantur ab illo* tempore: cernis *quantas difficultates* tu *ipse patiaris. Bis superati magno*

---

quod et ferri possit. *quam tu ipse* conj. Heins. *tantum* aliquot Heins.—20. *me* abest ed. pr. Burm., et *est* abest binis Burm.—21. *metuenti* Zulich. a m. pr. —22. *multa* 23 *Capta m.* duo Rottend.—23. *animus aurumque* Zulich. et Gifan. Ind. Lucret. e Codd., tum plerique apud Pier. In iisdem *est* in fine subjectum, quod ab aliis abest. Jac. Bryant, acutus judex, hærebat in altero hemistichio: *necnon aurumque animusque Latino;* quod nunc repente de se Latinus, et quidem ex tertia persona, loquitur: aut itaque illud ejiciendum censet tanquam aliunde illatum, aut legendum *auri argentique talenta.* De opibus tamen Turni minus bene agerctur: quarum hic nullus respectus esse potuit. Hæsisse quoque in hoc loco Jo. Schraderum video: qui et ipse expectabat, ut de Turno oratio continuaretur, quia *Sunt tibi* præcedit. Sed conf. Not.—24. *Laurentibus arvis* Medic., quod Heins. illustrat.—25. *hæc* abest tribus Heins. et ed. Ven. Burm. *haud hæc* tres alii Burm. *me* deerat Franc. *fata* Ven. Erf. *fatis* alter Mentel. et a m. sec. Zulich.—26. *hoc* reposuit Heins. e Medic. aliisque. Vulgo *hæc,* quod modo præcesserat. *animo hæc simul* ed. pr. Burm.—27. *veterum nulli* e Ms. Bersmanni refinxit Cuningh. —28. *erit* Exc. Burm. *homines Divique* Goth. pr.—31. *generoque* vel *genero atque,* interposito fulcro, magna codd. et edd. pars: recte sustulit Pier., tum Heins.—32. *sequentur* Oudart. et Zulich. *sequuntur* Franc. *quæ bella s., Turne, vides* Goth. pr.—33. *quantus pr. patiere* Parrhas. *patiere* etiam Medic. et Oudart. cum Rom. et plerisque aliis Pierianis, excepto Oblongo et Portio.

Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno extincto socios sum ascire paratus:
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia, ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis
Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, ægrescitque medendo.

prælio, vix defendimus hac *urbe spem Italiæ: fluctus Tybris calent adhuc nostro cruore, et vasti agri albescunt ossibus. Quo revertor toties? quæ stultitia vertit sententiam* meam? *Si paratus sum advocare* Trojanos *ad societatem Turno occiso: cur non potius extinguo bella* eo *salvo? Quid Rutuli* mihi *conjuncti, quid reliqua Italia dicet? si exposuerim morti te petentem filiam meam et nostram affinitatem, (Fortuna refellat* hæc mea *verba.) Considera res mutabiles bello: miseresce patris senioris, quem jam tristem Ardea patria* tua *procul separat* a nobis. *Ferocia Turni nullomodo mitigatur* his *verbis: invalescit potius, et asperatur remedio. Cum pri-*

—34. *turba vix* Goth. pr.—35. *nostro recalunt* Goth. pr.—36. *ad hunc* Medic. *e. implent* Hugen.—37. *Quid* sec. Rottend. *referens* Sprot. *refero* Rom. v. Pier. *refero mentem totiens, quæ* Zulich. a m. pr., et sec. *referor. mutet* alter Hamburg. *motat* Sprot. et aliquot Pier. *mittat* Goth. tert. *versat* Menag. pr. *cepit* Hugen.—38. *Turni exstinctu* Zulich. a m. pr. *Turno exterrito s. ascire* Franc. *accire* vel *adcire,* vulgo editum. At ex melioribus suis et Pierianis Heinsius dedit *adscire,* h. e. adsciscere; etsi aliud exemplum vocis nec hic nec ad lib. XI, 308 attulit. Antiquam tamen vocem ejus formæ fuisse, docet *τὸ adscivi,* et *adscitum.* Feram itaque etiam in Tacito Agric. c. 19, ubi v. Ern.—40. *dicent* Gud. a m. sec., quod Heinsio arridebat. *discet* Menag. pr. *dicit* Rom.—41. *Sors* tert. Rottend. *Sors d. resignet* Zulich. a m. sec. *Fors dura* Montalb. *recuset* Goth. tert., quod et ab Ursino præscriptum video notæ, qua per formulam id illustrat: ὃ μὴ γένοιτο.—42. *Perdiderim* Bigot.—43. *belli* Menag. pr.—44. *mœstum quem nunc* Goth. pr.—45. *Haud quicquam* aliquot Heins. et vett. edd. *Haud quamquam* Gud. a m. pr.—46. *ardescitque*

NOTÆ

34 *Bis magna victi pugna*] *Prima* in exscensu navium, ubi occisus ab Ænea Mezentius, fugatus Turnus, Æn. X. 310. *Secunda* equestri, ubi cecidit Camilla, Æn. XI. 597. De *Tybri,* Æn. VIII. 330. De *Rutulis,* Æn. VII. 794.

43 *Parentis Longævi*] *Dauni:* Æn. VII. 56. *Ardea,* urbs Rutulorum regia, Æn. VII. 410.

46 *Medendo*] Dum ei medicina quæritur a Latino: gerundia enim ejusmodi sæpe passivam habent vim. Ecl. VIII. 71. 'cantando rumpitur anguis.'

Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letamque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longe illi Dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœminea tegat; et vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnæ conterrita sorte,
Flebat; et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum (spes tu nunc una, senectæ

mum potuit loqui, sic instituit ore: Obsecro, bone pater, *depone pro me hanc sollicitudinem, quam habes; et permittas me eligere mortem propter gloriam. Nos etiam, o pater, libramus manu jacula et ferrum non inutile: et sanguis exit e plaga* quam *nos* facimus. *Procul aberit ab eo mater Dea, quæ muliebri nebula protegat* eum *fugientem, et* ipsa *se abscondat inani caligine. Sed regina tremefacta nova conditione pugnæ lugebat, et retinebat generum iratum* ipsa *moritura: Turne, ego* peto unam rem, *per has fletus; per gloriam Amatæ, si aliqua movet animum tuum: tu jam es unica spes senectutis* meæ: *tu es requies miseræ: regnum et gloria La-*

---

tuendo Medic., quod repetitum ex lib. I, 717 videtur; etsi defendat illud Jul. Sabinus, ut sit: intuendo Latinum. *ardescitque* etiam Goth. sec., et *tuendo* etiam Colot. *videndo* ed. pr. Burm., sed *medendo* passive ponere potuit, cum adeo *medendæ valetudini* Suetonius dixerit, ut appareat, etiam *mederi* aliquando passivam vim habuisse. Recte Serv. *medendo*, dum ei medetur et medicina affertur.—47. *sic incipit ore* vulgg. ante Commelin. cum Medic. Ven. Scheffer.; adde Goth. pr., sed ceteri *institit*, quod omnes Pieriani exhibebant: idque doctius.—48. *causam geris* Parrhas.—50. *dextram* Goth. tert.—52. *quem in urbe* ed. pr. Burm.—53. In his: *quæ nube fugacem Fœminea tegat, et vanis sese occulat umbris*, incommode utique *sese* ad Venerem trahit sententiam; cum de Æneæ id melius dicatur. Offendisse ad hoc olim viros doctos ex Cerda disco: cum adeo essent, qui pro *eum* positum putarent. Potest reponi: Si Venus se occulit, eadem nube occultavit simul suum filium; licuit autem poëtæ ponere id, quod remotius esset. Sed ad interpunctionem attendere debebant interpretes: quæ mutata omnia ordine suo procedunt: *Longe illi Dea mater erit, quæ nube fugacem Fœminea tegat; et vanis sese occulat umbris* sc. ille. Nec autumes sic scribendum fuisse *occulet*, quod proprie sequi debebat. Nam alterum non modo recte sed etiam elegantius dicitur, variato post prius tempore: ut solet inprimis Maro noster. Pro *Fœminea* Jo. Schrader. conj. *Cærulea*; et mox *ut vanis*, hoc non male.—54. *novæ* duo Moret., non male, nisi alterum elegantius esset. Utrumque periphrasin facit vulgaris orationis: *nova pugna* conterrita. *perterrita* tert. Rottend. a m. sec. *contraria* Goth. tert.—55. *m. monebat* Montalb.—57. *spes te* alter Hamb.—58. *spes imp.* Erf.

NOTÆ

49 *Pacisci*] Quasi optione gloriosæ mortis aut vitæ propositæ, mortem consulto et veluti ex pacto eligere.

52 *Dea mater, &c.*] *Venus*, quæ a Diomedis impetu Æneam objecta nube defendit: Æn. x. 81.

56 *Turne, per has, &c.*] ORATIO Amatæ ad Turnum, Veniliæ sororis

Tu requies miseræ; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit):
Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. Simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
Accepit vocem lacrymis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus;
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam:

tini est *in tua potestate: familia omnis* jam *labefactata innititur tibi. Peto* rem *unam: omitte conserere manum* cum *Trojanis. Quicumque casus tibi destinati sunt* in *hac pugna,* ii *destinati sunt etium mihi,* o *Turne: statim abjiciam hanc lucem odiosam, nec aspiciam captiva Æneam generum. Lavinia rigata lacrymis* secundum *genas ardentes audiit verba matris: huic ignis multus suffecit ruborem, et sparsus est per vultum calefactum. Quemadmodum si aliquis tinxerit ebur Indicum purpura rubicunda, aut quando lilia candida rubescunt mixta rosis multis: puella exhibebat vultu tales colores. Amor agitat Turnum, et figit oculos in puella.* Hinc *magis accenditur ad pugnam; et alloquitur Amatam paucis* verbis: *O mater,*

—61. *casuus* Rom., ut solent veteres. v. Pier.—64. *Excepit* maluit Heins., sed sæpe alterum huic succedere vidimus. Post *matris* in fine versus vulgo interpungi, a Cerda autem hoc etiam defendi vidco, ut sit: Accepit vocem matris una cum lacrymis? Quod et durum et jejunum est. Imo vero *Lavinia* audivit matris querelas *perfusa genas lacrymis.*—66. *per ossa* alter Voss. Scheffer. Bigot. Dorvill. a m. pr. ed. Ven. Burm., accedit Goth. sec. et tert., ut subjectum nunc *ignis* sit: nam *rubor* per ossa non bene *cucurrit.* Nisi illud durius fieret, me ita malle legi, ne iterum de genis idem repetat, haud diffiteor: hoc enim solenne; sic sup. VIII, 389 *notusque medullas Intravit calor et labefacta per ossa cucurrit.* IX, 475 *subitus miseræ calor ossa reliquit.* it. III, 308 *calor ossa reliquit.* Utinam *rubor* et h. l. cederet voci *calor!* ita omnia bene sibi constarent: *cui plurimus ignem Subjecit calor, et calefacta per ossa cucurrit;* nisi quod *calor* et *calefacta* sic proxime se excipiunt; et forte hoc animadverso Maro *rubor* pro calore maluit.—68. *ebur vel* vulgg. ante Heins., qui cum Pierio codd. lectionem restituit.—70. *tardat* Bigot. *fugitque* Medic. *vultum* Sprot. *in vulnere vulnus* idem a m. pr. Malnit autem hæc Maro sine copula, etsi duriora; quam *figensque in v. v.* vel *fixoque in v. vultu Ardet.*—

NOTÆ

suæ filium: non quidem ut eum ad pacem inflectat, abhorrebat enim ab Æneæ societate; sed ut avertat a singulari certamine, et iterum communi bello res tota committatur.

67 *Indum*] Ebur e dentibus elephantorum, qui frequentes in India, Asiæ maxima regione, Ge. I. 57. 'India mittit ebur.' De *ostro*, purpura ex ostreo expressa, Ge. II. 506.

Ne, quæso, ne me lacrymis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit:
Non Teucros agat in Rutulos. Teucrum arma quiescant,
Et Rutulum. Nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit;
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,

ne, obsecro, ne prosequaris fletu et augurio tam funesto *me descendentem ad prælium asperi Martis: non enim est* in *Turno potestas retardandæ mortis.* O *Idmon, fer nuntius regi Trojano hæc mea verba, non* ei *placitura: Quando crastina Aurora invecta rubro curru primum rubebit* in *cœlo;* tunc *non ducat Trojanos contra Rutulos: cessent bella Trojanorum et Rutulorum: bellum terminetur nostro sanguine: Lavinia petatur uxor in illo campo. Postquam protulit hæc verba, et celer abiit in domum* suam; *petit equos, et lætatur videns* eos *frementes in conspectu* suo: *quos*

---

72. *Nec* Ven. cum Goth. pr. *Te q.* Zulich. et ed. pr. Burm. *ne me omine* Parrhas., non male, cum Goth. sec. et tert. *o. duro* Sprot.—73. *diri* pr. Hamburg. *certamine* Goth. tert. *diro certamine* Oudart.—74. *Turno est* pr. Hamb., et a m. sec. *libera Martis*, ut et pr. Hamb. Mirum autem, veteres in hoc loco adeo hærere potuisse; ut, quemadmodum Serv. docet, unus esse ex XII insolubilibus fuerit habitus.—75. *Acmon* Ven.—76. *refert* aliquot ap. Burm. *Primum cum* malebat Cuningham.—77. *rubescet* Parrh. *rubebit* fragm. Helmstad. et Erf.—78. *Teucra arma* Leid. a m. sec. *quiescent* sec. Hamburg. *quiescunt* sec. Menag.—79. *Et Rutulum.* Sic edd. et inde ab Aldo vulgatæ, et antiquiores: inter codd. Heinsianos unus Menag. optimus, quem ille seqni se profitetur. At alii codd. ejusdem et Pierii omnes (cum Goth. sec. et eodem fragment.) adeoque Rom. et Medic. in eandem lectionem consentientes, *Rutuli*: quod præfero, ut oratio varietur: quod et Pierius vidit non invenuste fieri. Recepit nunc Brunck. *dirimamus* recepit primus Heins. codicum suorum et Pierianorum auctoritate. Sic quoque jam vett. edd., usque ad Ald. Inde vulgg. *dirimatur*.—81. *trepidusque* Menag. pr. Sed *que* inutile est onus ac fulcrum versus. Tollendum arbitror. Sublatum quoque voluit Cuninghamus, et sustulit Brunck.—82. *Pascit* Hamb. sec. a m. sec. *gaudensque* idem

NOTÆ

74 *Neque enim Turno mora libera mortis*] Sensus ex superioribus aptus est. Ne putes me cessurum lacrymis, et posse revocari funesto illo doloris vestri omine. Si enim sum moriturus; ne sic quidem pugnam subterfugio: non enim mortalium ulli liberum est mortem retardare, cum dies fatalis imminet. Hunc locum Servius recenset in duodecim Virgilii insolubilibus. De *tyranno*, pro rege, bonam in partem, Æn. VII. 266. De *Phrygia*, ubi Troas, Æn. I. 385.

77 *Puniceis, &c.*] Vellicatur hic versus a criticis, ob frequentem collisionem literæ *r*, et syllabarum affinium. De colore *puniceo*, rubro, Ecl. v. 17. De *Aurora ejusque curru*, Ge. I. 249. Æn. VI. 535.

Tu requies miseræ; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit):
Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. Simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
Accepit vocem lacrymis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus;
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam:

tini est *in tua potestate: familia omnis* jam *labefactata innititur tibi. Peto* rem *unam: omitte conserere manum* cum *Trojanis. Quicumque casus tibi destinati sunt* in *hac pugna,* ii *destinati sunt etiam mihi,* o *Turne: statim abjiciam hanc lucem odiosam, nec aspiciam captiva Æneam generum. Lavinia rigata lacrymis* secundum *genas ardentes audiit verba matris: huic ignis multus suffecit ruborem, et sparsus est per vultum calefactum. Quemadmodum si aliquis tinxerit ebur Indicum purpura rubicunda, aut quando lilia candida rubescunt mixta rosis multis: puella exhibebat vultu tales colores. Amor agitat Turnum, et figit oculos in puella.* Hinc *magis accenditur ad pugnam; et alloquitur Amatam paucis* verbis: *O mater,*

—61. *casuus* Rom., ut solent veteres. v. Pier.—64. *Excepit* maluit Heins., sed sæpe alterum huic succedere vidimus. Post *matris* in fine versus vulgo interpungi, a Cerda autem hoc etiam defendi video, ut sit: Accepit vocem matris una cum lacrymis. Quod et durum et jejunum est. Imo vero *Lavinia* audivit matris querelas *perfusa genas lacrymis.*—66. *per ossa* alter Voss. Scheffer. Bigot. Dorvill. a m. pr. ed. Ven. Burm., accedit Goth. sec. et tert., ut subjectum nunc *ignis* sit: nam *rubor* per ossa non bene *cucurrit.* Nisi illud durius fieret, me ita malle legi, ne iterum de genis idem repetat, haud diffiteor: hoc enim solenne; sic sup. VIII, 389 *notusque medullas Intravit calor et labefacta per ossa cucurrit.* IX, 475 *subitus miseræ calor ossa reliquit.* it. III, 308 *calor ossa reliquit.* Utinam *rubor* et h. l. cederet voci *calor!* ita omnia bene sibi constarent: *cui plurimus ignem Subjecit calor, et calefacta per ossa cucurrit;* nisi quod *calor* et *calefacta* sic proxime se excipiunt; et forte hoc animadverso Maro *rubor* pro calore maluit.—68. *ebur vel* vulgg. ante Heins., qui cum Pierio codd. lectionem restitnit.—70. *tardat* Bigot. *fugitque* Medic. *vultum* Sprot. *in vulnere vulnus* idem a m. pr. Maluit autem hæc Maro sine copula, etsi duriora; quam *figensque in v. v.* vel *fixoque in v. vultu Ardet.*—

NOTÆ

suæ filium: non quidem ut eum ad pacem inflectat, abhorrebat enim ab Æneæ societate; sed ut avertat a singulari certamine, et iterum communi bello res tota committatur.

67 *Indum*] Ebur e dentibus elephantorum, qui frequentes in India, Asiæ maxima regione, Ge. I. 57. 'India mittit ebur.' De *ostro*, purpura ex ostreo expressa, Ge. II. 506.

Ne, quæso, ne me lacrymis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit:
Non Teucros agat in Rutulos. Teucrum arma quiescant,
Et Rutulum. Nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit;
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,

ne, obsecro, ne prosequaris fletu et augurio tam funesto *me descendentem ad prælium asperi Martis: non enim est* in *Turno potestas retardandæ mortis.* O *Idmon, fer nuntius regi Trojano hæc mea verba, non* ei *placitura: Quando crastina Aurora invecta rubro curru primum rubebit* in *cœlo;* tunc *non ducat Trojanos contra Rutulos: cessent bella Trojanorum et Rutulorum: bellum terminetur nostro sanguine: Lavinia petatur uxor in illo campo. Postquam protulit hæc verba, et celer abiit in domum* suam; *petit equos, et lætatur videns* eos *frementes in conspectu* suo: *quos*

72. *Nec* Ven. cum Goth. pr. *Te q.* Zulich. et ed. pr. Burm. *ne me omine* Parrhas., non male, cum Goth. sec. et tert. *o. duro* Sprot.—73. *diri* pr. Hamburg. *certamine* Goth. tert. *diro certamine* Oudart.—74. *Turno est* pr. Hamb., et a m. sec. *libera Martis*, ut et pr. Hamb. Mirum autem, veteres in hoc loco adeo hærere potuisse; ut, quemadmodum Serv. docet, unus esse ex XII insolubilibus fuerit habitus.—75. *Acmon* Ven.—76. *refert* aliquot ap. Burm. *Primum cum* malebat Cuningham.—77. *rubescet* Parrh. *rubebit* fragm. Helmstad. et Erf.—78. *Teucra arma* Leid. a m. sec. *quiescent* sec. Hamburg. *quiescunt* sec. Menag.—79. *Et Rutulum.* Sic edd. et inde ab Aldo vulgatæ, et antiquiores: inter codd. Heinsianos unus Menag. optimus, quem ille seqni se profitetur. At alii codd. ejusdem et Pierii omnes (cum Goth. sec. et eodem fragment.) adeoque Rom. et Medic. in eandem lectionem consentientes, *Rutuli:* quod præfero, ut oratio varietur: quod et Pierius vidit non invenuste fieri. Recepit nunc Brunck. *dirimamus* recepit primus Heins. codicum suorum et Pierianorum auctoritate. Sic quoque jam vett. edd., usque ad Ald. Inde vulgg. *dirimatur.*—81. *trepidusque* Menag. pr. Sed *que* inutile est onus ac fulcrum versus. Tollendum arbitror. Sublatum quoque voluit Cuninghamus, et sustulit Brunck.—82. *Pascit* Hamb. sec. a m. sec. *gaudensque* idem

NOTÆ

74 *Neque enim Turno mora libera mortis*] Sensus ex superioribus aptus est. Ne putes me cessurum lacrymis, et posse revocari funesto illo doloris vestri omine. Si enim sum moriturus; ne sic quidem pugnam subterfugio: non enim mortalium ulli liberum est mortem retardare, cum dies fatalis imminet. Hunc locum Servius recenset in duodecim Virgilii insolubilibus. De *tyranno*, pro rege, bonam in partem, Æn. VII. 266. De *Phrygia*, ubi Troas, Æn. I. 385.

77 *Puniceis, &c.*] Vellicatur hic versus a criticis, ob frequentem collisionem literæ *r*, et syllabarum affinium. De colore *puniceo*, rubro, Ecl. v. 17. De *Aurora ejusque curru*, Ge. I. 249. Æn. VI. 535.

Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo

Orithyia ipsa dedit Pilumno ornamentum, qui superarent nivem candore, ventos celeritate. Aurigæ festini circumsistunt, et palpant cavis manibus pectora equorum plausa, et pectunt colla crinita. Deinde ipse induit humeris loricam asperam auro et candido orichalco: simul accommodat ut *gestentur, et gladium, et clypeum,*

---

a m. pr.—83. *Orycya* Mentel. pr. est *Ὠρείθυια*.—84. *Quo c.* alter Hamb. *c. omnes* Schol. Cruqu. Horat. 1 Sat. 7, 8. Quod simile esset illi: *cursu prævertitur Hebrum*.—85. *Et circum pr.* sec. Moret. *propere* Rom., et alii aliquot apud Pier., ut inf. v. 573, et alibi variat lectio hæc. *pueri aurigæ* Obl. et Vatic. Pierii.—86. *pulsa* edd. vett. pleræque cum Ald. pr. et sec., sicque Gud. et Menag. pr. Bigot. cum binis Goth. Melius ceteri cum Ald. tert. et seqq. *plausa*. Alter Hamb. et ed. pr. Burm. *clausa*. *comantia* vel *minantia* in marg. Goth. tert.—87. *squalente* Goth. sec. *aurichalco* tert., noto errore, cum *ὀρείχαλκος* sit. cf. Not. et quos h. l. laudat Burm., inprimis Spanhem. ad Callim. L. P. 19.—88. *habenas* Zulich.—89. *Ensemque et clypeum et* vel *et cly-*

NOTÆ

83 *Pilumno . . . Orithyia*] *Pilumnus*, abavus Turni, Æn. x. 76. *Orithyia*, Erechthei Athenarum regis filia, rapta in Thraciam a Borea, Ge. iv. 463. Quæritur quomodo Pilumno Italo nota esse potuerit Orithyia, puella Attica in Thraciam translata. Respondet Turnebus, Pilumnum et Orithyiam hominum opinione Deos esse habitos, atque ita alterum alteri notum esse potuisse: poëtam vero Orithyiam adhibuisse potius, quam aliud quodvis numen, quia Thracia semper equis nobilis fuit. Sic Turni equus Thracius est, Æn. ix. 49. Rhesi equi, Thracii, Æn. i. 473. Diomedis equi, Thracii, Æn. i. 756. Porro versus hic spondaicus est: nam *Orithyia*, *Ὠρείθυια*, vox est quatuor syllabarum, quarum mediæ duæ diphthongi sunt, *ει* et *υι*.

87 *Alboque orichalco*] Græce *ὀρείχαλκος*, ab *ὄρος mons*, et *χαλκὸς æs*: estque *æs montanum*: non fulvum, ut æs vulgare; sed in album deflectens: Gallice dicimus *léton*. Ita Scaliger ad Festum, Vossius in Etym. Latini syllabam secundam, quæ longa est, et natura sua, et apud Callimachum in lavacro Palladis 19. brevem fecerunt: ut Virgilius hic, et Horatius A. P. 202. 'Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque Æmula.' Cum autem aliquando commutabiles apud Latinos fuerint literæ *o* et *au*: quemadmodum *explodo* est a *plaudo*; quemadmodum scripsere veteres *olla* et *aula*, *caudex* et *codex*, *&c.* sic reperimus apud Plautum *aurichalcum* pro *orichalco*. Unde grammatici aliquot imperite metallum esse putaverunt ex *auro* et *ære* mixtum: cujusmodi nullum esse constat. Id vero, quale nunc habemus, non e terra natum, sed arte factum est: testaturque Plinius l. xxxiv. 2. suo tempore jamdudum desiisse, effœta tellure.

88 *Habendo*] Gerundium passivæ

Ensemque clypeumque et rubræ cornua cristæ;
Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium; quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam

et eminentias cristæ rubicundæ: gladium, inquam, *quem ipse Deus præses ignis fabricaverat Dauno patri* Turni, *et merserat ferventem equis Stygiis. Deinde sumit cum robore hastam validam, quæ stabat in media domo admota magnæ columnæ, spolium Actoris Aurunci: et commovet* eam *trementem, inclamans: Nunc, o hasta quæ nunquam fefellisti me vocantem, nunc adest tempus:* olim *te maximus Actor, nunc dextra Turni te gestat: da* ut *prosternam corpus, et* ut *disrumpam*

---

peumque et ed. Junt. et ed. pr. Burm. et Zulich. Deerat versus Parrhasiano. *cortina cristæ* Goth. sec.—91. *intinxerat* Montalb. *finxerat* Ven. a m. pr. —92. *Exhinc* duo Moret. et ed. pr. Burm. *in mediis* ante Heins., adversis libris. *obnixa* pr. Moret. *columna* multi Heins.—93. *corruit* Bigot.—94. *Arunci* pars codd. et edd. vett., quod recte ex melioribus emendatum a Pierio et Heinsio, et ab aliis aliis in locis. Respicit locum Juvenal. Sat. II, 99. 100.— 96. Heins. corrigit: *nunc (tempus) adest;* ut apud Statium Theb. X, 548 *ades o mihi dextera.* Commodius laudasset sup. lib. X, 773. 774 *Dextra...et telum, quod missile libro, Nunc adsint. Auctor* nonnulli; etiam Goth. tert. hic, et v. 94. —97. *d. petit: prosternere c.* Goth. tert.—98. *validam* Goth. tert. *celebrare* alter

NOTÆ

facultatis, supra 46.

89 *Cornua cristæ*] Non vera *cornua*, qualia Pyrrhus galeæ ad terrorem hircina addebat, ex Plutarcho; sed cristam geminam e jubis equinis, aut plumis, e galeæ vertice hinc inde eminentem instar cornuum, Æn. VI. 779. ' geminæ stant vertice cristæ,'

90 *Ignipotens Deus, &c.*] *Vulcanus* arma Æneæ fabricavit, Æn. VIII. 370. nec Turno quoque deesse ejus artem voluit poëta, ad augendam heroum sacrorum dignitatem. De *Vulcano*, ibid. et Ge. I. 295. De *Dauno*, Æn. VII. 56.

91 *Stygia candentem, &c.*] *Candens*, ex Gellio est aliquando *albicans*, aliquando *fervens:* quæ enim incalescunt, ex nimio fervore quandoque albicant. *Aqua tinxerat* ensem Vulcanus: sic enim chalybs immersione temperatur. *Aqua Stygia*, ad quandam veluti magicam consecrationem, quemadmodum innuit Donatus. Aquæ enim infernæ in magicis sacris expetebantur, Æn. IV. 512. Ego vero suspicor id factum a Vulcano, ut ensem illum frangi non posse probaret. *Stygis* enim Arcadiæ fontis, qui inde a poëtis ad Inferos traductus est, ea vis erat, ut vasa cujuslibet metalli diffringeret, nec possent ejus aquæ, nisi equi ungula, contineri. Æn. VI. 623.

94 *Actoris Aurunci spolium*] Ducis alicujus Aurancorum, cui Turnus eam bello detraxerat. De *Aurunci*s Ita-

Semiviri Phrygis, et fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro myrrhaque madentes.
His agitur furiis. Totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt; oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis sævus in armis

forti manu loricam direptam Phrygis effœminati, et ut *inficiam pulvere capillos* ejus *crispatos ferro calido et fluentes myrrha. Abripitur hoc furore, et scintillæ erumpunt e toto vultu furentis, ignis fulget vividis oculis. Quemadmodum quando taurus emittit mugitus terribiles ad præludium pugnæ, et obluctans* in *truncum arboris conatur irasci adversus cornua, et provocat ventos ictibus, et parat se ad pugnam, dejectis arenis. Interea Æneas terribilis sub arma-*

Menag., an *terebrare?* inquit Burm.—99. *Semiferi Phrygii* Zulich. a m. pr. *Phrygii* etiam aliquot Pierian. *fœdare in p. c.* cf. sup. x, 832.—100. *Crispatos* Moret. qu. pro div. lect., quod interpretamentum alterius est; *vibratos*, h. crispatos calamistro, exponit quoque Servius. cf. Cerda. Burm. *mirraque* multi: melius *murraque*. Medic. et Rom. *muraque*.—101. *Sic agitur* Erf. *loquentis ab ore* Moret. tert. et Macrob. IV, 1, mala interpolatio.—102. *existunt* Rom. Leid. et Parrhas. *absiliunt* Hamb. sec. et pro var. lect. Oudart. et ed. pr. Burm. *Absistunt scintillæ* Sprot. et alius apud Pier.—103. *cum primum*, Rem. et alii Pier. cum parte Heins. et Goth. sec. *cum prima* haud dubie doctior lectio est, sed orta videtur ex vitio Medicei *cum primam*, emendato ab Aproniano, *cum prima*.—104. *ciet, aut* Rom. et alii Pier. cum parte Heins., sic quoque Goth. sec. et tert., et Medic. a m. sec. *atque*, perperam tamen. *atque* etiam Ge. III, 232, unde repetit versus 104. 105. 106.—105. *adnixus* Hugen. *obnixus* Mentel. pr.—106. *Actibus* Zulich. a m. pr. *aut sp.*, quod hoc loco ferri poterat, omnes Pier. et Heins., nec tamen receptum: inter Goth. tantum tertius cum Erf.

NOTÆ

liæ populis, inter Volscos et Campanos, Æn. VII. 54.

99 *Semiviri Phrygis, &c.*] Cur id nominis Phrygibus, et Æneæ tribuatur, jam dictum Æn. IV. 215. ubi de capillis unguento delibutis. De *Phrygia*, in qua Troas, Æn. I. 385.

100 *Vibratos, &c.*] *Calamistro crispatos.* Fuit autem *calamistrum*, acus ferrea, longior, aliquando fistulæ instar cava: quæ calefacta sub cinere, et capillis adhibita, eos intorquebat: a similitudine cum *calamo* seu arundine, nomen habuit. Hujus artis ministri, *cinifiones* et *cinerarii* vocabantur, quod ad calefaciendum calamistrum flarent in cineres.

Myrrhaque madentes] *Myrrha*, arbuscula est, in Arabia præsertim nascens: altitudo ejus ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro et intorto, cortice levi, folio olivæ fere simili. Succus inde sponte exsudat certis temporibus, tum incisione exprimitur, diciturque *stacte* vel *myrrha*. Plin. l. 12. 15. Condiendis cadaveribus, et imbuendis capillis, aliisque ejusmodi deliciis adhibebatur.

101 *Furiis*] Furiosis motibus, quasi quibusdam Furiis. Æn. VI. 572.

Æneas acuit Martem, et se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios mœstique metum solatur Iuli,
Fata docens; regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies; cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen magnæ sub mœnibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos et Dis communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,

tura materna non minus parat pugnam, et furore commovet se, latus bellum dirimi proposito fœdere. Tum consolatur socios et timorem Iuli soliciti, aperiens ipsis fata: jubetque viros reportare Latino certum responsum, et proponere conditiones pacis. Vix sequens dies nata illustrabat luce supremos montes; quando equi Solis erigunt se primum e profundo mari, et emittunt lucem naribus patulis. Viri Rutuli et Trojani dimetientes parabant campum ad pugnam, juxta muros magnæ urbis: et in medio campo foco et aras e cespite Diis communibus: alii portabant aquam et

---

aut sparos pugnæ Sprot. Dorvill., hic et male *præludit* cum aliis ap. Burm.; quem vide.—106. *acuit mentem* Ven. *se suscitat iræ:* non *iræ*, ad iram; sed ira excitat animum, vires animi, virtutem. Sic sup. v, 454 *vim succitat iræ.*—110. *mœstumque* Erf.—112. *Cuncta* edd. Junt. et Ald. pr. *discere* Oblong. Pierii, perperam.—113. *Postera lux* Goth. tert. *summo spargebat lumine* alquot Heins., et apud Diomedem lib. II, in quo etiam *terras* legitur.—114. *Vix dies cum p. a. se g. tollit* alter Hamb. Ita reliqua sic jungenda: *Solis equi lucemque—efflant.*—115. *e latis* perperam sunt qui legant. De elato equorum in altum eluctantium capite cogitandum. *afflant* Ven. et ed. pr. Burm.—117. *Demensi* Medic. Gud. Leid. Hugen. Par. *Dimissi* Zulich. *campum parare* h. instruere, κοσμεῖν, puta æquando et purgando ab arbustis, ut inf. v. 770. 771 simile quid subjicitur. Moneo, ne quis malit interpungere: *Campum—Dimensi, Rutulique viri Teucrique parabant In medioque focos et Dis communibus aras Gramineas.* Etsi enim *que* facile ad *focos* sic retrahi potest: tamen contortior hæc videtur esse ratio.—118. *In medioque faces* Oudart. *aris* sec. Rottend. *arces* Menag. pr.—119. *fontesque* Zulich. *Alliique ignem fontisque*

NOTÆ

115 *Solis equi*] Quatuor, de quibus Æn. v. 106. *Gurgite*, pro mari, Æn. I. 122.

118 *Focos... aras Gramineas*] Aras cæspite, seu terra cum herbis evulsa, in quibus ignis imponeretur *foveretur*que: atque ita *aræ* sunt ipsi *foci*.

Dis communibus] *Communes Dii* multis modis enumerantur. I. Qui certam cœli zonam regionemque non habent; qualis Cybele mater Deorum; cum certam habeant Jupiter, Juno, Mercurius, Venus, &c. II. Qui apud omnes homines coluntur, ut Sol, Luna, Mars, &c. III. Huic ad rem militans, qui ab Rutulis ac Trojanis ad pacem communiter et pariter inveniendi erant. Ita fere Servius.

119 *Fontemque ignemque*] Servius: 'ad faciendæ fœderis, aqua et ignis

Velati limo, et verbena tempora vincti. 120

ignem, operti lino, et cincti verbena circa *capita. Exercitus Italorum prodit, et*

Leid. *parabant* Goth. tert.—120. Legebatur: *Velati lino.* Ad hæc verba Heinsios et Burmannos expectabam disputantes; sed alter ad Servium remittit, alter tacet. Subjeci jam interpretationem vulgatæ lectionis, qualis illa instituenda sit. De infula seu vitta est accipienda; qua *velari* toties dicuntur qui vittati sunt. Consonant ea, quæ sequuntur: *et verbena tempora vincti:* ut vitta verbenis seu herbis sacris implicita fuerit. Occurrunt quoque coronæ gramineæ in monumentis veterum. Jam Servius: "Atqui, monet, Feciales et Pater patratus, per quos bella vel fœdera confirmabantur, nunquam utebantur vestibus lineis." Argutatur inde multa, ut solet Grammaticus, inepte. Verum nec de Feciali (nam prisca ætas præcones, κήρυκας, habet: ut in eodem loco Homer. Iliad. Γ. 116 sq.) nec de *veste linea* hic agitur, sed de ministris sacrorum et de vittis. Jam autem fateor *vittam lineam* mihi nondum auditam esse. *Lanea* est *vitta, infula;* potuit quoque poëta *Velati lana* dicere: sed id in *lino* vix corruptum esse potuit. *Linearum* autem, seu lintearum, *vestium* usus multo magis a vetere religione alienus est, ut Ægyptiis sacris proprius habitus sit. Recte sic Silius III, 24 in religione Herculis Gaditani: *velantur corpora lino Et Pelusiaco præfulget stamine vertex.* Audiamus jam Grammaticos: "Caper et Hyginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam; nam Virgilium ita reliquisse confirmant: *Velati limo:* limus autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum; hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram *limam*, hoc est flexuosam, unde et nomen accepit." Expeditam tenemus rem. Agitur de sacrorum ministris, victimariis et popis, qui sacra addncunt: hos ex Romano more, quem v. c. in Titi arcu cognoscere licet, ubi victimæ ducuntur, poëta exhibet seminudos, licio pudenda præcinctos, cui nomen fuit *limi*, seu quod transversum femoribus tanquam *cingulum* implicari solebat, seu a purpura transversa, quæ ambiebat hoc cingulum, ut Grammatici tradunt. *Linum*

NOTÆ

adhibentur: unde contra, quos arcere volumus a nostro consortio, eis aqua et igne interdicimus, id est, rebus quibus consortia copulantur.' Erat autem necessaria sacrificiis aqua, vel ad lustrandos astantes, vel ad purgandum corpus ante sacrificium, vel ad alios victimarum usus. *Fontem* posuit pro aqua.

120 *Velati limo, &c.*] Alii *lino;* sed id quasi certum statuitur a Servio: *feciales*, qui sanciendis fœderibus ministri adhibebantur, nunquam lineam tulisse vestem. Unde triplex opinio de hac Virgilii voce. I. Servius ait, fœdus illud irritum fore: Virgilium vero, quoties rebus exitum daturus non est, toties iis infirma et inauspicata dare principia. Sic Æneas in Thracia condens urbem, taurum Jovi contra ritum sacrificat, Æn. III. 21. II. Passeratius et Scaliger explicant *linum*, non de veste, sed de filo sive licio, quo flamines et alii caput per ætatem cingebant, et ut Varronis ac Livii verbis utar, *velabant:* unde *flamines*, quasi *filamines* vocabantur, Æn. VIII. 664. III. Niger et Hyginus apud Servium legunt: *velati limo:* et explicant *limum*, vestem ab umbilico ad pedes, cujus in extrema ora erat purpura *lima*, id est flexuosa.

Verbena] Proprie certa est herbæ species, *de la verveine:* communiter tamen sumebatur, pro qualibet herba vel fronde, laurea, myrtea, &c. e sacro loco evulsa. Ecl. VIII. 65.

Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troius omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Necnon mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori,
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asylas,
Et Messapus equum domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit:
Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant.
Tum studio effusæ matres, et vulgus inermum,
Invalidique senes, turres et tecta domorum

agmina hastata effundunt se plenis portis: hinc totus exercitus Trojanus et Tyrrhenus exit sub *armis variis: non aliter armati ferro, quam si durum certamen Martis appellet* eos. *Ipsi etiam duces splendidi auro et purpura currunt inter media millia: et Mnestheus proles Assaraci, et generosus Asylas: et Messapus agitator equorum, soboles Neptuni. Et postquam unusquisque recessit in suum locum signo indicto: figunt hastas humi, et deponunt clypeos. Tunc cupiditate* videndi *egressæ matres, et plebs sine armis, et senes infirmi, impleverunt turres et tecta domorum:*

enim pro obliquo dictum esse, nota res est vel ex Terentii Eunucho: *ego limis aspecto.* Simili modo præcincti quoque erant servi publici, ut ex Gellio XII, 2. constat, et omnino servi subligari seu subligaculo: nam eo tandem ipsa *limi* notio redit: *παρίζωμα.* Est adeo *velati limo*, subligari cincti. Neglecta fuit hæc lectio ab edd., nisi quod in margine Stephani memorata est ex Servio. Nunc video *limo* etiam esse repositum in ed. Cuninghami: nec idem nunc sequi dubitavit Brunck. In fine versus: *tempora cincti* alter Hamb. pro var. lect. *compti* Goth. tert.—121. *Processit* Zulich. *Ausonium* Rom. In Mediceo *pila* in litura: et superscriptum *taque.*—122. *procedunt portis* pr. Moret. *Hic T.* Rom. *Troicus* Zulich.—123. *variisque* Goth. tert.—124. *instructi bello* Medic. et Colot., quod recepit Cuningham. *ferrum* Leid. *quod si* alter Menag.—125. *mediis in nubibus* Hugen.—126. *auro volucres* Zulich. a m. pr. *ostroque superbi* Medic. et Colot., quod idem recepit Cuningham. Sane *ostroque decori* jam editum erat v, 133.—127. *et acer A.*, Vratisl. *Asilas* multi et h. l.—128. Idem versus repetitus sup. VII, 691, et IX, 523.—129. *spatia infra quisq.* Oudart.—130. *Effigunt, Diffigunt, Diffugiunt* lapsus librariorum apud Burmann. Dignius notatu est *telluri*, quod multi Heins. (cum Goth. tert.) et Pleriani habent; quam familiam Romanus ducit, alteram Mediceus. Videtur tamen Maro *tellure* amplexus esse, si alia loca et similes formas compares.—131. *inerme* Zulich.—132. *turrisque* Goth. tert. *ac t.* ed. Mediol.

NOTÆ

121 *Legio Ausonidum, pilata, &c.*] *Legio*, pars exercitus certo numero definita: hic pro toto exercitu, Ge. II. 279. *Pilata*, armata pilis, hastilibus, Æn. VII. 664.

123 *Tyrrhenus*] Sub Tarchonte, socio Æneæ, Æn. VIII. 479. Æn. II. 781.

127 *Genus Assaraci Mnestheus, &c.*] Igitur sanguine junctus Æneæ, qui ab Assaraco genus ducebat, Æn. I. 288. De *Asyla*, Æn. II. 620. De *Messapo*, Æn. VII. 691.

Obsedere; alii portis sublimibus astant.
At Juno e summo, qui nunc Albanus habetur,
Tum neque nomen erat, nec honos, aut gloria monti,
Prospiciens tumulo campum aspectabat, et ambas,
Laurentum Troumque, acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est affata sororem,
Diva Deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet; hunc illi rex ætheris altus honorem
Jupiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile,

alii stant in altis portis. At Juno aspiciens ex alto colle, qui nunc vocatur Albanus (tunc nec nomen nec honor aut fama erat huic *colli) videbat campum, et geminum exercitum Laurentinorum et Trojanorum, et urbem Latini. Statim Dea sic allocuta est Deam sororem Turni, quæ præest stagnis et fluviis strepentibus: Jupiter rex summus cœli addixit illi hunc honorem ob virginitatem* ei *ablatam: Nympha, ornamentum amnium, dilectissima meo animo, nosti quomodo prætulerim te solam omnibus Latinis, quæcumque ascenderunt ingratum lectum summi Jovis; et* quo-

Parrhas. Rom. et e cod. Coll. Jesu Wakef.—133. *Obsidere* Mentel. tert. vide lib. VII, 313. *Instant* Zulich. a m. pr. Montalb. et ed. Burm. pr. cum Rom. et aliis.—134. *ex s.* ante Heins.—135. *neque honos* itidem ante Heins., utrumque mutatum ex libb., sed revocavit *neque* Cuningham. *nec honor nec gl.* alter Menag. et Oblongus ap. Pier. *neque gl.* Rom. et ed. Mediolan. *monti* pr. Hamb. *genti* Bigot. et Goth. tert. *montis* ed. pr. Burmann.—136. *Aspiciens* Bigot. et Goth. tert. *spectabat* vulgg. ante Heins., qui *adspectabat* recepit ex præstantioribus suis et Pierianis. Adde Donatum et Servium: qui, amat, inquit, usurpare auctoritatem: nam potuit *spectabat* dicere. In Gud. *Latini* in litura exaratum erat, unde Heinsius ante lectum putabat *Latinum* vel *Latinorum:* fuc fuisse; erat ex errore ita scriptum.—141. *arrepta* aliquot apud Burm. pro *abrepta.*—142. *N. decens* Goth. sec. *carissima* Rom. et alii Pier. Gud. et pr. Menag. sed alterum doctius esse videtur. *ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ* ex Iliad. Ξ. 243 jam Servius comparavit. Idem Odyss. Δ. 71. *O germana mihi atque eadem gratissima conjux* de Junone sup. X, 667. At ipsa ad Jovem: VIII, 377 *carissime conjux.*—143. *Scis unam cunctis ut te* Leid. *Scis ut te e cunctis* Waddel. conj. et

NOTÆ

134 *Albanus, &c.*] De hoc monte, Æn. VIII. 48. Æn. IX. 387.

139 *Diva Deam*] Dicunt grammatici, *Deos* fuisse æternos; *Divos*, ex hominibus assumtos. Tamen Virgilius nomen utrumque confundit: Æn. I. 486. Pallas vocatur *Diva.*

Stagnis quæ, &c.] *Juturna*, soror Turni, *Nais* ab Ovidio vocatur Fast. II. 585. id est Nympha aquatilis. Hunc ei honorem a Jove in præmium ereptæ pudicitiæ concessum ait Virgilius; Ovidius etiam ante amores Jovis ei attribuit. Fons ejus et lacus ex Albani montis radicibus in Tybrim influit, celebri apud veteres aquarum salubritate: vocant hodie nonnulli *Lago di Turno;* alii, *di Volturno:* cum esset prius *Lago di Juturna*, inquit Cluverius.

144 *Jovis ingratum cubile*] Commutatio pro, *Cubile Jovis ingrati*, et in

Prætulerim, cœlique lubens in parte locarim: 145
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua mœnia texi:
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat. 150
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu, pro germano si quid præsentius audes,
Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: cum lacrymas oculis Juturna profudit;
Terque quaterque manu pectus percussit honestum. 155
Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Accelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti:

modo sponte constituerim te *participem cœli. O Juturna, ne accuses me, accipe causam luctus tui. Quatenus fortuna visa est id tolerare, et Parcæ permittebant res Latii procedere; defendi Turnum et urbem tuam. Nunc cognosco juvenem certare fatis inæqualibus: et dies appropinquat Parcarum et potestas adversa. Non possum videre oculis hoc certamen, et fœdera. Tu si audes aliquid utilius pro fratre tuo, perfice* illud, *decet: fortasse meliora succedent miseris. Vix ea* dicta fuerant, *cum Juturna fudit oculis lacrymas, et verberavit manu pectus decorum ter ac quater. Juno filia Saturni inquit: Non est hoc tempus ad lacrymas: propera, et subtrahe fratrem morti, si est aliqua ratio: vel tu excita bellum, et dissipa fœdus inceptum:*

Heins. *Latinis* Gud. a m. pr.—145. *Pertulerim* tert. Rottend. *lubens* Gud. —146. *nec me* tres apud Burm. et aliquot Pier.; f. *non*, inquit Cuningham.—147. *Quoad* olim hic lectum Arusianus Messius agnoscit, et scholion Servio assutum; Probus autem *Quod* maluit. *Qua* tuetur Servius, ut sup. XI, 293 *Qua datur*. Uterque Mentel. *Qua* h. quam: et *Quam* aperte in scriptis invenerat Pierius.—148. *numine texi* Zulich.—149. *Nunc video imparibus juvenem c.* Goth. sec. *imparibus telis* Mentel. et Rottend. uterque, etiam Gud. pro div. lect. *factis* sec. Hamb. *votis* Erf. a pr. m.—151. *nec f.* Goth. pr. et Erf. *in fœdere* Medic. a m. pr.—152. *præsentius* quatuor apud Burm., male. *præsentius*, efficacius, majus, opportunius.—153. *sequantur* pr. Hamb. et duo Leid. cum Goth. tert.—154. *tum l.* aliquot Pier. *cum lacrimis* ed. pr. Burm. *profundit* Medic. Montalb. et alter Hamb., quod Heinsio arridebat. *profugit* Rom. Cuninghamus malebat *profundens*. Sed est plena interpunctio post *profudit* appingenda, ut nunc fecimus. Tum vs. seq. nova sententia.—155. *perfudit* Parrhas. a m. pr.—156. *Non lacrimis, i, tempus, alt* tert. Moret., venuste, Heinsio judice, ut sit: *i, accelera*; non assentiar equidem. *hæc tempus* sec. Moret. *hoc t. aget* Dorvill., felici lapsu. *hoc t. erat* Bigot. a m. pr., et ab altera: *hic t. est*.—157. *eripe morti:* deerant hæc verba tertio Mentel.

NOTÆ

servando conjugio parum fidi. *Locarim*: locari a Jove passa sim.

147 *Parcæ*] Tres, quæ pro fatis hic usurpantur. Ecl. IV. 47.

152 *Si quid præsentius audes, &c.*] Non quod Nympham se Deum regina potentiorem putet; sed quod facilliorem fore apud Jovem putet sororis excusationem, si soror pro fratre moram injicere fatis audeat.

Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam vulnere mentis.
Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen : bigis it Turnus in albis,

ego sum tibi *auctor ut* id *audeas*. *Sic exhortata reliquit* eam *dubiam et turbatam tristi solicitudine animi*. *Interim reges* vehuntur : *Latinus magno apparatu, curru* a *quatuor equis* tracto, *cui duodecim radii aurati circumeunt caput rutilum, ornamentum Solis avi*. *Turnus vehitur binis equis candidis, libera manu duo*

et Regio. *morte* Gud. et alter Menag.—158. *Ac tu* Goth. tert. *At tu* Goth. sec., aliquot Pier. et Menag. pr. ; idem *excipe f.*, tum *inceptum* Goth. tert., male. *conceptum* elegantius. cf. sup. v. 13.—159. *exorata* Hugen. *relinquit* Leid. a m. pr.—160. *vulnere mortis* duo Hamb.—161. Ad figuras Virgilio nove usurpatas refert Macrob. VI, 6, quod de duobus incipit dicere, et in unum desinit. Quod tamen ex Homero laudat, Odyss. M. 73, 74, alienum est. Conveniret schema Alcmanicum apud Pindarum obvium. Hyperbaton esse dixit Servius, ut ordo sit ; *Interea reges procedunt castris*, cetera in parenthesi dicta sint. Hoc sequuntur, quantum video, interpretes ; quibus tamen non accedam. Ponit ab initio poëta genus, et tum individua subjungit, inflexa ad id oratione. Interpungo itaque : *Interea reges* (et quidem primo loco) *ingenti mole Latinus vehitur* etc. *bigis it Turnus* etc. *Hinc pater Æneas...Romæ : Procedunt* (sc. omnes) *castris*.—161. *Continuo reges* ap. Carisium. v. Heins. *Interea* (non, ut Burm. tradit, *Continuo*) *rex ingenti de mole* a m. pr. Medic.—162. *Quadrijuge* Papias in *Prolepsis* ap. Burm. *invehitur* pr. ac qu. Moret. et Goth. tert. Aliter vett. Grammatici et scripti c. edd.—163. *Auratis* pr. Menag.—164. *speciem* Goth. tert. et Serv. ap. Burm., eodem errore, quem

NOTÆ

161 *Interea reges, &c.*] Adumbrata hæc pompa fœderis ad Homeri exemplum Il. III. ubi Agamemnon et Priamus, de pugna singulari Paridis in Menelaum facto fœdere conveniunt. Hic sententia longiori parenthesi suspensa est, per novem nempe versus : ' Interea reges .... Procedunt castris.' Potest tamen et absque parenthesi intelligi, si dicatur poëta a plurali numero ad singularem statim deflexisse, pro : *interea reges vehuntur; Latinus quidem curru quadrijugo, &c.*

164 *Solis avi, &c.*] Dixit Virgilius Æn. VII. 47. Latini patrem fuisse *Faunum ;* matrem, *Maricam* Nympham ; avum, *Picum*. Quomodo ergo *Sol* esse potuit *avus* Latini ? I. Hesiodus Latinum facit filium *Circes* et Ulyssis, in Theogon. 1013, Circe autem filia fuit Solis, Æn. III. 386. Æn. VII. 10. At huic aperte adversatur Virgilius in Latini stemmate, Æn. VII. 47. II. Arnobius ait *Maricam* illam Nympham Latini matrem, ipsam esse Italo nomine *Circen*. At eo ipso libri septimi initio Virgilius aperte Circen a Marica distinguit ; cum vocat Maricam, *Laurentem* nympham ; Circen autem Æneam, id est Colchicam. III. Ego existimo *Circen*, conjugis loco habitam a *Pico ;* eamque ex eo *Faunum* suscepisse : ipsumque deinde Picum in avem mutasse, quod ad amorem legitimæ conjugis *Canentis* se referret. Et vere Circe

Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo et cœlestibus armis,
Et juxta Ascanius, magnæ spes altera Romæ,
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Setigeri fœtum suis, intonsamque bidentem,
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro

jacula lata cuspide. Inde pater Æneas, caput gentis Romanæ, resplendens clypeo cœlesti et armis divinis. Et Ascanius adstat comes, secunda spes magnæ Romæ. Exeunt e castris: et sacerdos in veste candida adducit fœtum porcæ setosæ et ovem intonsam, et statuit victimas ad aras accensas. Illi conversi oculis ad Solem orientem, spargunt manibus frumentum salsum, et signant gladio summa capita victimarum, et

---

emendavit Broukh. in Propert. IV, 11, 93, sed *specimen* hic non est exemplum, sed documentum: id quod argueret patrem Solem. δεῖγμα. ἀνάδειξις. Sic jam Ge. II, 241 *Salsa autem tellus...Tale dabit specimen. bijugis* Ald. v. Pier. *in altis* aliquot Pier.—166. *Tum* apud Caris. et Diomedem. *Hic* Parrhas.—166. *spes a. proles* Zulich. a m. pr. Legerunt olim nonnulli *magna*, teste Servio.—170. *Setigeri* Heins. post Pier. e libb. asseruit, pro vulgato altero: *Setigeræ*. In Sprot. erat *Setigerum*.—171. *Appulit* conj. Heinsii apud Burmann., quæ vix debebat ex ora libri Heinsiani enotari. *flagrantibus* potiore jure poterat tentari: cum modo v. 167 præcessisset *flagrans*; cur non *flammantibus*, aut, ultima in *pecus* recte producta, *ardentibus* placebat?—172. *ad surgentis...solis* vett. edd., nisi quod *ad surgentem* Koberg. *ad surgentem...solem* emendate Ald. tert. et Fabric., quod firmatum codicum consensu ap. Pier. et Heins. *conversi lumine* aliquot Heins., sed amat Maro græcam rationem *conversi* (κατὰ) *lumina*.—173. *ma-*

NOTÆ

vocatur Pici *conjux*, Æn. VII. 189. quod tamen videtur ab Ovidii narratione paulum discedere, quam ibidem attulimus.

165 *Bina hastilia*] *Pila*, qualia duo simul ferre deinde soliti sunt milites Romani, Æn. VII. 664. *Crispans*: quatiendo quasi sinuans et flectens.

167 *Sidereo clypeo*] Vel instar sidereum fulgente: vel quem in cœlo Venus a Vulcano petierat: vel quem Deus ipse Vulcanus in Hiera insula fabricaverat, Æn. VIII. 370.

168 *Spes altera Romæ*] Æneas enim prima, Ascanius secunda. Quod aiunt, Ciceronem quoddam e Virgilii carminibus audientem, has in voces erupisse, falsum ostendimus in argumento Ecl. VI.

169 *Pura in veste*] Donatus: 'colore alba, nec purpuræ variata picturis.' Festus: 'non fulgurita; non funesta,' id est, quæ funeri adhibita non fuisset. Alii communiter; *carente maculis*.

170 *Setigeri suis, &c.*] *Ovis* pro Æneæ adhibetur, Græco fere more. Nam Græci apud Homerum Iliad. III. 103. agnos ad fœdus statuunt. *Porcus*, pro Latino, more Romano aut Italo, de quo more Æn. VIII. 641. De *ovibus bidentibus*, Æn. IV. 57. De *conversione ad orientem* in auspiciis et sacris rebus, Ecl. IX. 15.

173 *Fruges salsas, &c.*] I. *Molam*, ex purissimo frumento, *salso*, tosto,

Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis et hæc mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et pater omnipotens, et tu Saturnia Juno,
Jam melior, jam, Diva, precor, tuque inclyte Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
Fontesque, Fluviosque voco, quæque Ætheris alti
Religio, et quæ cœruleo sunt numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno:
Convenit, Evandri victos discedere ad urbem;

effundunt pateras in aras. Tum pius Æneas nudato gladio sic orat: Esto nunc testis mihi oranti, o Sol, et hæc terra pro qua potui tolerare tot labores, et tu, o *pater omnipotens, et tu o Juno Saturni filia, jam o Diva, jam* mihi *mitior,* ut *oro: et tu o gloriose Mars, qui pater tenes omnia bella sub tua potestate: et fontes et fluvios invoco, et quæcumque est divinitas in alto aëre, et quicumque sunt Dii sub mari cæruleo. Si forte victoria iverit ad Turnum Itulum; æquum est* nos *victos abire*

---

nibus fruges Goth. tert. *ferri* alter Menag.—174. Laudat Burm. not. ad Lucan. III, 404, ubi æstuat in interpretatione satis expedita: *structæ diris altaribus aræ:* h. aræ, quibus, tanquam basibus, dira altaria superstructa, imposita sunt. Est enim ara fundus et crepido altaris. Alias in altari etiam ara h. focus esse potest. Quoties non vidimus hoc: viris summis facilius fuisse scite emendare, quam locum commode interpretari.—175. *Tum pater Æ.* Parrhas. *precatur* vel *profatur* pr. Hamb.—176. *et hoc mihi* ed. pr. Burm. *precanti* secundum Servium vulgata erat lectio. Sed e Pier. et suis libb. potioribus Heins. recepit *vocanti;* ne ter *precatur, precanti,* et *precor* succederent. In Dorvill. *petenti* erat.—177. *Qua pr.* ed. pr. Burm.—178. *Saturnia conjunx* vel *conjux,* duce Romano codicum pars (et Goth. pr. ac tert.) cum vett. edd., usque ad Naugerium, qui *Saturnia Juno* recepit: idque Oblongus, Medic., et alii Plerii firmabant, etiam Medic. Fogginii, sed voce *Juno* punctis subnotata: sicque Donatus legerat. *Conjunx* iterum revocavit Cuningham.—179. *inclute* scriptum cum Medic. et Gud., nam al. *inclyte,* quibus dux Rom.—180. *tenes sub* Dorvill. a m. sec. *tenes qui n.* Goth. pr. *nomine* aliquot Heins.—181. *Et fontes fluviosque* Oudart. *quoque* Exc. Burm. *teque* Zulich.—182. *R. est quæ* Leid. *quæ et* pr. Moret. *est et quæ* Dorvill., qui et *omnia,* et Mentel. pr. a m. pr. *nomina.*—184. *decedere* Medic. *descendere* Goth. tert. et aliquot Heins. et Burm. *accedere* Vratisl. *ab urbe* alter

NOTÆ

ac molito, victimarum capiti imponunt, quæ proprie est *immolatio,* Æn. II. 133. II. Pilos e capite victimarum secant, Æn. VI. 243. in Notis. III. Vina invergunt in frontem victimarum, et in ipsa altaria: quæ *libatio* erat, ibid. et Æn. I. 740. Atque illi primi erant sacrificii apparatus.

176 *Esto nunc Sol testis, &c.*] *Sol, Terra, Jupiter, Juno, Mars, &c.* Communes illi sunt utriusque gentis Dii, de quibus, 118.

183 *Ausonio Turno*] Italo, Æn. VII. 54.

184 *Evandri ad urbem*] Pallanteum, Æn. VIII. 51.

Cedet Iulus agris; nec post arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis Victoria Martem;
(Ut potius reor, et potius Di numine firment),
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra Deosque dabo: socer arma Latinus habeto;
Imperium solenne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, Terram, Mare, Sidera, juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,

in urbem Evandri: Iulus abibit ex his *campis; nec Æneadæ rebelles inferent deinceps* vobis *bellum ullum, aut provocabunt armis hæc regna. Si vero victoria concesserit nobis Martem propitium, ut potius spero, et potius Dii confirment spem* meam *auctoritate sua; ego neque cogam Italos obtemperare Trojanis, neque arrogo mihi imperium: ambæ nationes indomitæ jungent se legibus æqualibus in fœdus perpetuum.* Ego *distribuam religiones et Deos: socer Latinus curet bella, socer supremum imperium: Trojani extruent mihi urbem, et Lavinia imponet nomen urbi. Æneas sic* dixit *primus: Latinus deinde sic sequitur aspiciens in cœlum, et erigit dextram ad astra:* O *Ænea, juro hæc eadem sidera, mare, terram, et geminam prolem Latonæ, et Janum bifrontem, et potestatem infernam Deorum,*

Menag. *ad urbes* Goth. tert.—185. *Cedat* aliquot libri vett. ap. Pier., inter quos Rom. et quatuor ap. Burm. cum Goth. tert.; idem *ulla arma.*—186. *referant* et *lacessant* Oudart. *ferroque* Gud. et pr. Menag. *belloque* pro var. lect. pr. Hamb. et Dorvill. *nec ferro* Zulich. a m. pr. *lacessunt* sec. Hamb.—187. *Si nostrum* ed. pr. Burm. et plerique codd. Pier. cum Rom. *Sin vestrum* Bigot. *adnuerint* Ven. *Mavors* alter Hamb.—188. *Ut potius* etiam altero loco e Medic. et Huls. dedit Cuningh. *numina* Rom. Gud. et Sprot., quod defendi potest. *potius numinine* Zulich. *propius Di numina firment* vetus liber ap. Pier., qui ipse ille Romanus esse videtur.—189. *te Teucris* sec. Hamb. *non T.* alter Menag.—190. *Non mihi* Parrhas. *paribus sed legibus* sec. Moret. et Dorvill.—191. *Injunctæ* Hugen. *mittent* tres ap. Burm. et Oblong. Pierii. *mutant* Goth. sec. *se mittere*, est coire, convenire.—192. *habebit* Zulich. a m. pr.—194. *Constituant* Parrhas. *dedit* Goth. tert.—195. *Tum, Tunc, Dum* aliquot ap. Burm., et mox *cum deinde, sed deinde, tum deinde.* Erf. *Hæc prior...sic deinde.*—196. *Suscipiens* Gud. et Sprot. *tendenaque* Menag.—198. *Janumque bifrontem* Goth. tert.—199. *inferna et* Zulich.

NOTÆ

185 *Cedet Iulus*] Ut ostendat, se non tam sibi, quam posteris suis et genti, sedem quærere.

187 *Nostrum Martem*] Faventem. Infra 539. 'nec Dii texere Cupentum, Ænea veniente, sui.'

198 *Latonæque genus duplex*] *Apollinem*, Solem; et *Dianam*, Lunam:

Vimque Deum infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine sancit;
Tango aras; medios ignes et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent; nec me vis ulla volentem
Avertet; non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, cœlumque in Tartara solvat:

et penetralia sævi Plutonis. Audiat hæc pater ille, *qui firmat fulmine fœdera. Tango aras, et ignes in medio* earum, *et attestor Deos: nulla dies auferet Italis hanc pacem, neque* hæc *fœdera, quomodocunque res succedant: nec ulla potentia abducet me* ab iis *volentem: non, etiamsi* illa potentia *dissolvat terram in aquas, confundens* eam *diluvio; aut dejiciat cœlum in Inferos. Quemadmodum hoc*

inferium Sprot. Ven. et Exc. Burm. *Deum infernum* Goth. sec. *duri* legi in omnibus jam Pier. monuerat: recepit Commelin. et Pulmann. et firmavit Heinsius, pro vulg. *diri*. Ad sensum vel ornatum nil refert, seu *durum* h. inexorabilem, seu *dirum* dixeris.—200. *qui sidera* Sprot. *numine sancit* sec. Hamb. *numina fulmine* Zulich. *sanxit* ed. pr. Burm. *firmat* Leid.—201. *mediosque ignes* vulgo lectum. Sustulit copulam codicum jussu Heins. post Pier.—202. *nec fœdere* Medic. a m. pr. *rumpat* Gud.—203. *cadet* Goth. sec. et Rom. *cadant* alter Hamb. *nec me cara ulla ferentem* a m. pr. Zulich.—204. *Avertit* Gud. *tellure effundat et undis* Medic. a m. pr. *fundat* Dorvill. *effundet* Goth. sec.—205. *Diluvium miscens* Dorvill. *cælumque* Heins. post

NOTÆ

Latona ex Jove editos, in insula Delo, Ecl. III. 67. Æn. III. 74. 77.

198 *Janumque bifrontem*] Italorum regem ac numen, fœderibus adhiberi solitum, Æn. VI. 607. 610.

199 *Vim Deum infernam*] Pro *Diis ipsis infernis:* ut Iliad. III. 105. Πριάμοιο βίην, *Priami vim*, pro *ipso Priamo*. Et Æn. IV. 132. *odora canum vis*, pro *ipsis canibus*.

Sacraria Ditis] *Dis*, Pluto est, Ge. IV. 467. *Sacrarium*, sanctuarium, locus templi intimus, ubi præcipua numinis religio: hic regia est Plutonis, de qua, Æn. VI. 630. Quidam hanc infernam regiam, *sacram* dici putant quasi *execrabilem:* ut Æn. III. 57. 'Auri sacra fames.'

200 *Fœdera fulmine sancit*] Quia per coruscationes fulminum fœdera confirmantur: ita Servius. Vel quia Jupiter ultor est violati fœderis, percusis fulmine fœdifragis: ita Turnebus. Unde fecialis porcam feriens in solenni fœderum formula sic precabatur Jovem: 'illis legibus populus non deficiet. Si prior defecerit, publico consilio, dolo malo; tu illo die Jupiter populum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito; quanto magis potes pollesque.' Ita Livius l. II.

201 *Tango aras*] Mos jurantium, supplicantium, sacrificantium, ut aras et simulacra et res sacras manu contingant: qui mos ad nos etiam translit, ut jurantes sacris libris manum imponamus, Æn. IV. 219.

204 *Tellurem effundat in undas*] Servius hypallagen sive commutationem hic agnoscit: pro, *undas effundat in tellurem*. Ego minime, sed cum fere undecumque mare terram ambiat, interpretor de terræ compage in undas dissolvenda. De *Tartaro*, profundissimo Inferorum loco, Æn. VI. 134.

Ut sceptrum hoc, dextra sceptrum nam forte gerebat,
Nunquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Cum semel in sylvis, imo de stirpe recisum,
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos; nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras,

sceptrum (nam forte tenebat manu *dextra sceptrum) nunquam emittet ramulos nec umbracula levibus foliis: ex quo primum in sylvis abscissum ex infimo trunco separatur a matre, et ferro amisit frondes et ramulos: quondam arbor, nunc manus fabri cinxit* illam *ære pulchro, et dedit portandam regibus Latinis. Talibus verbis confirmabant fœdera inter se, in medio conspectu principum: tum* juxta *morem sacras victimas occidunt in ignem, et extrahunt viscera* ex iisdem adhuc *spirantibus, et tegunt altaria lancibus plenis. At vero* cœpit *certamen illud*

Pier. e codd. pro vulg. *columve*. Tum *in T. vertat* codex Pierii, quidam Heins. Ven. et ed. pr. Burmann.—206. *hoc* deerat Mentel. pr. *sceptrum dextra* Bigot. *dextra hoc sceptrum nam* Hugen. *ferebat* Zulich. *regebat* Montalb. doctius sane; et reposuit e cod. Coll. Jesu Wakef.—207. *neque* Heins. e codd. pro *nec;* tum *umbram* pr. Moret. et Macrob. v Sat. 3.—208. Perperam Servius et Donatus, cumque iis Pierius, argutantur supra genere vocis *stirps:* in, *imo de stirpe*. vid. Heins. conf. sup. Ge. II, 379, et inf. XII, 770 et 781. Nulla necessitate coactum poëtam alterum maluisse *imo*, observat Quintil. I, 6, 1, forte quia doctius erat. *ima de stirpe* Sprot. *uno de* Parrhas. *una de* Zulich.—209. *Matre cadet* Medic.—211. *certare* Goth. *Latinus* Leid.—213. *in* abest tribus Heins. et Burm., item Goth. tert. *Prospectu* Medic.—214. *flammas* Mentel. pr. a m. pr. et Parrhas.—215. *cumulantque altaria donis* repetitum ex lib. XI, 50 Vratisl. Tamen et

NOTÆ

206 *Ut sceptrum hoc, &c.*] Apta est e superioribus sententia: 'nec me vis ulla volentem Avertet....Ut sceptrum hoc nunquam fundet virgulta,' &c. Petita est illa comparatio ex Homero totidem fere verbis, Iliad. I. 234. Et quanquam solenne fuit regum jusjurandum sceptri sublatio, ut monet Aristoteles Polit. III. ab illa tamen nimis curiosa sceptri descriptione abstinere potuit debuitque Virgilius.

209 *Matre caret*] Vel terra: nam, 'Non jam mater alit tellus,' Æn. XI. 71. vel arbore: nam, 'Parva sub ingenti matris se subjicit umbra,' Ge. II. 19.

213 *Rite sacratas*] Immolatione, sectione pilorum, libatione: supra 178.

215 *Oneratis lancibus, &c.*] Vasis escariis, in quibus structa et cumulata victimarum exta. *Lanx* nomen habet a *latitudine*: sicut *patina*, a *pateo*. Vossius tamen inter lancem et patinam id fere discriminis statuit:

At vero Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt, non viribus æquis.
Adjuvat, incessu tacito progressus, et aram
Suppliciter venerans demisso lumine, Turnus,
Tabentesque genæ, et juvenali in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti;

jampridem videri Rutulis inæquale, et animi turbari vario motu: et tunc magis, cum propius vident duces *non esse pari robore. Auget* hanc opinionem *Turnus, progressus gradu tacito, et suppliciter dejectis oculis venerans aram, et malæ* ejus *liventes, et pallor in corpore juvenili. Juturna soror* ejus *statim atque vidit hunc sermonem invalescere, et animos plebis mobiles dissentire, per medium exercitum,*

alterum occurrebat jam sup. VIII, 284.—216. *Rutulisque* aliquot Pier.—217. *Miscentur* Zulich. a m. pr.—218. *ut propius cernunt, non viribus æquis.* Servius: eos congressuros esse, subaudit. Burmannus: *ut cernunt* scilicet astare Æneam, et Turnum non esse æquis viribus. Simplicissimum erat supplere *ὄντας: ut propius cernunt* eos, quod erant, *haud viribus æquis ἐπειδὴ ὁρῶσιν αὐτοὺς (ὄντας) οὐκ ἰσομάχους, ἰσοσθενεῖς.* Aut, servata verborum junctura: *ut propius cernunt* pugnam, quæ futura erat *haud viribus æquis.* Hunc in modum bene exponitur locus. Alioqui ultima assuta putem versu imperfecto relicto: *Tum magis, ut propius cernunt.* Et hoc amplexus est Brunckius. Jo. Schraderus corrigit *haud viribus æquos* e v. 230. nec male.—219. *ingressu* Oblongus Pierii, cum Donato, Gud. et tres alii Burmanni, qui recte defendit *incessum* adversus Pierium, qui alterum malebat. Nam *incessus* de quocumque modo incedendi dicitur, non modo de illo regio et ad majestatem comparato: et *ingressu tacito progressus* injucundum foret. *incessu* duo ap. Burm. *incessu tardo* conj. Jo. Schrader. *progressus ad aram* duo Moret. et Zulich. cum Goth. sec.—221. *Tabentesque* recte receptum: sed a quo primum factum ignoro. Paullum Manutium esse puto. Vett. edd., etiam Ald. tert., *Pubentesque* legunt, quod et Rom. et Medic., hic tamen, quantum intelligo, in litura; cum his Erf. Sunt tamen codices Pierii et Heinsii, qui *Tabentes* exhibent: adde Goth. tert. *Pallentesque* Bigot. *Rubentesque* Exc. Burmanni, qui conj. *Labentes* fuisse. *Tabescentes* Reg. *juvenali* cum melioribus scripsit Heins., pro vulgari: *juvenili.* *in* deest Sprot. *languor* vel *torpor* malebat Jo. Schrader., scilicet quia *in corpore* præcessit: pro *ore.*—222. *simul ut* pars libb. Heins. et Burm. *increbrescere* et hic ubique: v. ad Ge. I, 359.—224. *Per medias* Parrhas. *forma* sec. et tert. Rottend. cum cod. Thuan. ap. Macrob. V, 15, minus bene. *assimulata* scribere jubet Diomedes, lib. I, pag. 362, monente Heinsio, non *assimilata:* argute magis quam vere; etsi usus alterum illud consecravit. *Camertis* Aldd. pr. et sec. Vratisl. et Leid. cum Goth. sec. *Camerte* Mentel. pr. et tert. Moret. *Ca-*

NOTÆ

quod in *lance* carnes assæ, fructus, cibi simplices apponerentur; in patina cibi conditi, ut pisces, haberetque vulgo operculum.

Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis;
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non sumus? En, omnes et Troës, et Arcades, hi sunt,
Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad Superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur:

similis specie Camerti (cui origo erat illustris a majoribus, et splendida fama paternæ fortitudinis, et ipse erat *fortissimus bello) immittit se per medium exercitum, non ignara rerum, et spargit varios rumores, et dicit talia: Non pudet* vos, *o Rutuli, objicere vitam unius pro iis omnibus? nonne sumus pares numero et robore? Ecce omnes et Trojani et Arcades adsunt hic, et Etruria inimica Turno, exercitus* ille *a fatis immissus: si secundus* quisque nostrum *certet, vix unusquisque habebit hostem. Turnus quidem fama ascendet ad Deos, quorum aris consecrat se, et immortalis curret per ora: nos amissa patria coge-*

mertæ ap. Priscianum et Macrob. l. c. legitur.—227. *haud inscia* pr. Mentel. et pr. Menag.—229. *cunctis pro talibus* Goth. pr., ut Aldd. sec. et tert. et hinc aliæ edd. cumque iis Cuningham. Vetustiores vero cum Ald. pr. *cuncti pro*, vitiose. *pro cunctis* codd. vett. ap. Pier. et Heins., itaque hic recepit, etsi minus elegante verborum junctura. Jo. Schrader. tentabat: *proh! cunctis casibus.*—230. *numerone hanc* Goth. pr. *an viribus æquis* aliquot Pier., tum Gud. a m. pr. Menag. pr. sec. Rottend. Moret. qu., quod commendat Heins. *æquæ* nonnulli ap. Pier.—231. *hic Troës* Parrhas. *hi sunt* Heinsius recepit e melioribus. Apud Pier. vetus liber: *En omnes hi Troës et Arcades hi sunt.* Vulgo lectum: *hic sunt.* Rom. *hinc sunt*, perperam scriptum; lib. Brunck. *adsunt*, quod non præferam.—232. *Fatalesque manus* aliquot Pier. et Medic. cum aliis Heins. *Mortalesque* Montalb. pro div. lect. *Etruria mater* ed. pr. Burm. Sed totum versum suspectum habere necesse est: quem aliquis subjunxit, qui Etruscorum auxiliorum mentionem factam desiderabat. Certe sententia commoda expediri vix potest.—233. *alternum* Bigot. *alternis* alter Menag. *vix alterni hostem* Leid.—234. *equidem* alter Hamb.—235. *Succedens* Hugen. *Succedit* Mentel. pr.

NOTÆ

231 *Troës, et Arcades, &c.*] Gentes in Turnum fœderatæ. Trojani Æneæ: Arcades Evandri: Etrusci Tarchontis, Æn. VIII. 518. 479.

232 *Fatalisque manus, &c.*] Vel quia Latinorum agros petebant quasi fatis sibi debitos: vel potius, cum Virgilius id solis Etruscis attribuat, quia fato paratum sibi regem Æneam expectaverant, Æn. VIII. 494. Bene ait *infesta* Etruria Turno: erat enim aliqua pars Etruriæ Turno addicta, duce Messapo, Æn. VII. 691. 695.

233 *Vix hostem, alterni*] Si secundus quisque nostrum, si media pars nostrum congrediatur; vix singuli hostem habebimus: id est, duo et amplius unicuique objicimur.

Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis,
Jam magis atque magis; serpitque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant: nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, et alto
Dat signum cœlo; quo non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in æthra

mur obedire dominis ferocibus, qui nunc otiosi constitimus in *campis. Tum consilium juvenum confirmatum est magis ac magis talibus verbis: et rumor spargitur per turmas. Ipsi Laurentes et ipsi Latini mutati sunt: qui modo optabant sibi requiem et securitatem rebus* suis; *nunc spectant arma, et cupiunt fœdus non factum, et miserescunt duræ conditionis Turni. Juturna addit his* rebus *aliud majus, et præbet ex alto cœlo ostentum, quo nullum opportunius turbavit animos Italos et decepit prodigio. Scilicet avis fulva Jovis, volans in aëre rubicundo, per-*

---

vivosque Rom. *vivisque* Montalb. Burmannus videtur malle *vivumque*.—236. *admissa* Dorvill. et duo Goth.—237. *quis nunc* conj. Heins. *læti* Vratisl. *leti* Zulich. *lentis consedimus armis* Gud. a pr. m., quod minime esse contemnendum judicabat Heins. Bonum factum, quod non recepit! etsi etiam Medic. a m. pr. *armis*. Præstat haud dubie *lenti* et *arvis*, quod quemque suus sensus docebit. *considimus* Gud. a m. sec. et aliquot alii Heins.—238. *accensa* aliquot Pier. Heins. et Goth. tert.—239. *Tum magis* Gud. *Tunc* Zulich.—240. *mutari* Zulich. Totus versus aberat a Goth. pr. Quod ad interpunctionem attinet, nescio an melius distinguatur: *Ipsi...ipsique Latini, Qui...sperabant, nunc arma volunt*.—241. *Quisquis jam* Parrhas. *Et sibi jam* sec. Rottend. *cui jam* Leid.—242. *nunc jam arma* alter Hamb.—243. *et* aberat Ven.—245. *præstantius* vulgo lectum; nisi quod jam Ge. Fabricius emendavit *præsentius:* unde in edd. Pulmann., sicque libri Pierii et Heinsii præstantiores. Etiam Servius: *præsentius*, efficacius. Intellige ostentum clarum, manifestum, *ἐναργὲς*, quo Deorum voluntas tam manifesta fit, ut dubitari de ea nequeat.—246. *Italis* Montalb. *montes Italos*, interpolate. Ornate expressit poëta, quod vulgo dicimus: signum, quo nullum aliud clarius Italis h. Latinis visum erat: seu clarissimum quod unquam viderant. Nec emphasis quærenda est in *mentes Italas*.—247. *Jamque* alter Hamb. et Hugen. *rubea* Vratisl. *fulvus rubra* Medic. *fulvos* Gud., quod idem in plerisque invenerat Pierius, et Heinsius adeo receperat. *fulvis* Parrhas. *in æthra:* alias, ab æthra; ab æthere. conf. sup. Var. Lect. ad v, 254. Vocem *æthram* jam Ennius usurpaverat, Macrobio observante lib. VI, 4, pag. 597; addit *et*

NOTÆ

246 *Monstro*] Ostento: quod monstratur et ostenditur signa futurorum petentibus.

247 *Rubra Jovis ales in æthra*] *Æthra, æthræ:* nomen primæ declinationis, *αἰθρα*: idem est atque æther.

Littoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis aligeri; subito cum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam; mirabile visu;
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, et ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi;
Accipio, agnoscoque Deos; me, me duce ferrum
Corripite, o miseri, quos improbus advena bello

sequebatur aves marinas et multitudinem strepitantem alatæ turbæ: cum repente ruens ad aquas, avida comprehendit pedibus aduncis cycnum eximium. Itali sustulerunt animos: et aves omnes (res *mirabilis aspectu*) *cum sonitu convertuntur e fuga, et inumbrant alis aërem, et* velut *nube coacta urgent hostem per aërem: donec cessit avis, victa* earum *vi et ipso pondere* cycni, *et dimisit prædam ex unguibus in flumen, et longe aufugit inter nubes. Tunc autem Rutuli venerantur ostentum illud clamore, et explicant manus, et augur Tolumnius primus ait: Hoc erat, hoc, quod sæpe petivi votis: admitto* omen *et agnosco Deos. Me, me auctore sumite ferrum, o Rutuli, quos iniquus advena terret bello, sicut imbecillas volucres, et per*

Ilius in Teuthrante: leg. *Atilius.*—248. *Litoreasque* Leid. et Reg. *agitavit* sec. Rottend. *turbamque sequentem* Exc. Burm.—249. *collapsus* Parrhas.—251. *Erexere* Goth. tert., male: nam attenduntur h. l. animi. *junctæque* Zulich. a m. pr.—252. *miserabile* aliquot Pier.—253. *pinnis* aliquot ap. Burm. et hic, ut semper alias.—254. *donec convictus* Bigot. et Dorvill. *et ipse* aliquot Burm. cum Erf. *ab ipso* Sprot.—255. *deficeret* aliquot Pier., quod pedestrem efficeret orationem. *deficere* in eo latere conj. Heinsius.—256. *P. fluvium* tert. Rottend., mox *que* abest Medic. et tribus aliis.—257. *nutu*, pro *Rutuli*, Parrhas. —259. *Hoc erat in votis* Oudart. et Zulich. a m. pr.—260. *sine me duce* Goth. tert.—261. *o Rutuli* edd. vett. et vulgg., etiam codd. plerique sic, vel *o Rutili*. Verum *o miseri* reposuit Heins. ex auctoritate Romani, Medic. et aliorum,

NOTÆ

Æther autem, juxta Anaxagoram et Ciceronem, est illa veterum sphæra ignis aërem ambiens, ab *αἴθω ardere:* ideo *rubra* a Virgilio dicta: juxta alios, est cœli totius et siderum compago, ab *ἀεὶ θέειν semper currere.* Hic pro *aëre* universim sumitur. De *Jovis alite*, aquila, Æn. v. 255.

257 *Augurium, &c.*] Proprie, erat enim signum petitum ex *avibus*, Æn. II. 703. Et scite quidem Rutuli Æneam in aquila, Turnum in cycno, seipsos in avibus agnoscebant: sed falsum erat augurium, non a Deo fatorum administro, sed a Juturna immissum, ad disturbandum fœdus et mortem Turni retardandam.

Territat, invalidas ut aves, et littora vestra
Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens; sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo;
Horum unum, ad medium, teritur qua sutilis alvo

vim vastat littora vestra: ille arripiet fugam, et longe permittet vela mari: vos concordes colligite agmina, et prælio defendite regem vobis ereptum. Sic *dixit, et irrumpens vibravit hastam in hostes oppositos: hasta cornea stridens emisit sonum, et certa dividit aërem: simul hoc* fit, *simul clamor magnus* oritur, *et omnes ordines perturbati* sunt, *et animi accensi tumultu. Cum forte novem formosa corpora fratrum starent adversum, quos fidelis uxor Tyrrhena una ediderat Gylippo Arcadi: hasta volans transfodit unum illorum circa medium* corpus, per *costas, qua balteus*

---

etiam Donati. *o famuli* alter Hamb.—262. *invalidus, ut a.* ed. pr. Burm. *et l. nostra* vett. edd., donec in Ald. tert. *vestra* apparuit, quod codd. Pier. et Heins. firmant.—263. *Ne pop.* Parrhas. *Petat* alter, Hamb.—264. *unanimes* Medic. et alii ingrato sono. *unanimis* edidit Cuningham. *densete* Rom. cum parte Heinsii librorum, qui et receperat, tanquam exquisitius verbum. Defenderat quoque olim Brissonius apud Guellium. Sed jam Pierius monuerat, *densate* esse numerosius. Recte itaque revocavit hoc Burm. Firmat quoque Medic. cum aliis.—265. *nobis* ed. pr. Burm. cum cod. Coll. Jesu reposuitque Wakefield; placet, inquit, ob varietatem atque efficaciam.—266. *adversus* Leid. et Reg. *telumque intorsit* sec. Mentel. *conjecit* aliquot ap. Pier.—267. *Præcurrens* Leid. et Exc. Burm. *Percurrens* Zulich. a m. pr. *Protorrens* Montalb. *et aras* Dorvill. a m. pr.—268. *Simul hæc* Ven. *Simul hoc ingens et clamor* Zulich., unde Heins. conj. *it clamor.* in Oudart. aberat *Simul hoc.* Sed est: *simul hoc* factum, *simulque* factus *clamor.*—272. Male scriptum *Gilippo.* Toties occurrit Γύλιππος, notissimum nomen ex Thucydide et aliis, ut mirer non emendatum ab Heinsio, cum præstantiores libri, etiam Rom., astipulentur. *Gylipso, Gylyppo,* aberrationes.—273. *ad mediam alvum* tres Moret. unus Hamb. Leid. et Scheffer. cum Goth. tert., per se non male; nisi forte nata lectio ex vitio, quale in Medic. a pr. m. est, *ad mediam.* Sed in hoc diversitas lectionis est, quam ab Heinsio, qui codicem tam diligenter enotaverat, et ab aliis non animadversam mireris: *sutilis auro Balteus,* ut ex aureis lamellis seu catenulis esset compactus; ita *teritur* referendum ad fibulæ morsum, qui ipse verbum illud explicat. Nunc avide hoc amplexus est Wakefield, *in mediam alvum* Zulich. a m. pr. *ad medium alvum* Hamb. sec.

NOTÆ

267 *Cornus*] Hasta ex arbore *corno*, *cornouiller*. Ge. II. 34.

269 *Cunei*] Ordines peditum, sic dicti ab agminum figura: infra §75.

Balteus, et laterum juncturas fibula mordet,
Egregium formâ juvenem, et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum; hinc densi rursus inundant
Troës Agyllinique et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto fœdere Divos.
Infrænant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.

consutus atteritur ventre, et qua *fibula stringit juncturas laterum, et sternit* in *flavam arenam juvenem* illum *insignem pulchritudine. Sed fratres* ejus, *turba generosa et concitata dolore, partim educunt enses manibus, partim apprehendunt* tela *missilia ferrea, et irrumpunt* veluti *cæci: adversus quos irruunt agmina Laurentinorum: deinde iterum effunduntur conferti Trojani, et Etrusci, et Arcades pictis armis. Sic idem amor dimicandi ferro occupat omnes. Spoliaverunt altaria: nubes confusa jaculorum spargitur toto aëre, et pluvia ferrea imminet: jaciunt pocula et ignes. Ipse* rex *Latinus fugit, reportans Deos disjectos fœdere non perfecto. Alii alligant* equos *curribus, vel saltu imponunt corpora equis, et instant nudis*

et Exc. Burmann. *futilis* Goth. tert.—275. *Egregia forma* pr. Moret. *juvenum* Rom. *præstantibus* vel *fulgentibus* codex Kœl.—276. *Transadiit* Parrhas. vid. inf. 506. *effundit* meliorum codicum omnium consensu recepit Heins., pro vulgari *extendit*, quod Mentel. pr. Dorvill. et Goth. pr. retinent. *effudit* Zulich. *infundit* Bigot. *et fulva effundit* ed. pr. Burmann.—278. *gladium* Hugen. *gl. stringunt, manibus pars* distinguunt duo codd. ap. Burm.—280. *Hinc depressi* ed. pr. Burm.—281. *Agillini, Agilleni, Agilini*, aberrat., ut sup. VIII, 479.—282. *amor omnis* Dorvill. Goth. pr.—283. *et* pro *it*, Menag. et Gud. a m. pr.—284. *irruit* i. Montalb.—285. *F. ille* pr. Hamb.—286. *infectos* sec. Rottend. *infesto* Zulich. et pr. Menag.—287. *et c. s.* Medic.—288. *aut strict. ens.*

NOTÆ

274 *Balteus, et laterum juncturas, &c.*] *Fibula*, claviculus, extrema baltei connectens. *Latera* baltei intelligit, non corporis.

277 *Phalanx*] Vox Macedonica, peditum agmen, Æn. VI. 489.

281 *Agyllini*] Etrusci, Æneæ socii, ex urbe *Agyllina* sive *Cære*, nunc *Cerveteri*, Æn. VII. 652. Æn. VIII. 479.

285 *Crateras, &c.*] Pocula, quibus vina fundebant, cruoremque victimarum, Græca vox κρατῆρ, Ecl. v. 68. *Foeos*, partes ararum graminearum, ubi accensus ignis fuerat, supra 118.

287 *Infrænant currus*] Equos frenatos currui alligant.

288 *Subjiciunt in equos*] Superjiciunt: de vi præpositionis illius, Ecl. I. 46. Ecl. X. 74.

Messapus regem, regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso proterret equo: ruit ille recedens,
Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet; hæc melior magnis data victima Divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynæus ab ara

ensibus. Messapus cupidus turbare fœdus proturbat equo objecto Aulesten, regem Etruscum, et ferentem ornamenta regis: ille recedens cadit, et infelix a tergo immiscetur aris aversis, per caput et humeros: at Messapus ardens accurrit cum *hasta, et sublimis* ex *equo ferit* eum *graviter hasta trabali multum deprecantem, et sic loquitur: Habet hoc* vulnus: *hæc hostia convenientior oblata* est *magnis Diis. Itali accurrunt et mutant membra calida. Chorinæus arripit ex ara torrem semius-*

Gud. a m. pr. cum Lutatio et Serv. ap. Burmann. *adstant* Leid. et Medic. (a m. sec.)—289. *que* aberat Dorvill. *ferentem* sec. Rottend. *regentem* ed. P. Dan. et Goth. pr.—290. *Aulestem* al. *avidum* olim lectum ap. Serv. *ausum conf. f.* Parrhas.—291. *Averso* Medic. *proteret*, vitiose codd. et edd. vett. *prosternit* ed. Mediol. *ille recumbens* Parrhas.—292. *misere* ed. Ven. Burm. *appositis* Bigot. et Zulich. *obvolvitur* pr. Moret., quod illustravit Heins., et videtur esse elegantius. *volvitur* sec. et tert. Moret. Bigot. Dorvill. Parrhas. cum ed. Ven. Burm.—293. *atque humeros* Parrhas. et Goth. tert. *inque humeris* pr. Mentel. *ac f.* edd. vett. *avolat* alter Hamb.—296. *Hoc habe*, male ed. Catrœana. *datur hostia* Oudart.—297. *cadentia* pars codd. ap. Burm. cum Goth. sec.—298. *Corynæus* Heins. e melioribus: et nomen hoc passim alibi obvium ex Κορύνη: sup. VI, 228. IX, 571, etsi is *Corynæus* diversus ab hoc est: quod perperam reprehenditur ap. Macrob. Male vulgo et h. l. *Chorinæus*, et

NOTÆ

289 *Regem....Tyrrhenum Aulesten*] Unum e regibus Tyrrhenis, sive Lucumonibus: de quibus Æn. X. 164. 166. Tales fuere *Mezentius*, *Messapus*, ex Turni partibus, *Massicus*, *Osinius*, ex partibus Æneæ: ibid.

294 *Telo trabali*] Magno instar *trabis*. Unde apud Statium, *hasta trabalis*; apud Claudianum, *trabale sceptrum*: apud Horatium, *clavi trabales*.

296 *Hoc habet*] Vel habet, simpliciter: explicatur a Servio, 'percussus est letali vulnere, habet vulnus letale:' a Donato, 'bene se res habet:' a Scaligero, 'sic sic agendum est.' Servio assentior: quia vox est e gladiatoriis ludis repetita, ubi victor vulnerato a se adversario sic insultabat. Terentius in Andr. 'Certe captus est, habet.' Seneca in Agamemn. et Hercule Œteo. 'Habet, peractum est.'

Hæc melior victima] Quam ovis et porcellus, qui fœderum Diis oblati sunt, 170.

298 *Corynæus*] Sacerdos Trojanus, qui ex officio propius aræ astabat, Æn. VI. 228. *Ambustum*, circumustum, Æn. III. 257.

Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit. Super ipse secutus
Cæsariem læva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens terræ applicat ipsum;
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primaque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superimminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disjicit, et sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat:
Quo ruitis? quæve ista repens discordia surgit?

tum, et occurrens intercipit flammis vultum Ebusi irruentis et inferentis vulnus: magna barba refulsit illi, et ustulata emisit nidorem: ipse Chorinæus *incurrens desuper apprehendit* manu *sinistra comam turbati hostis, et obluctans imposito genu sternit eum humi: sic fodit latus duro gladio. Podalirius sequens ense stricto Alsum pastorem, et* in *primo agmine fugientem inter arma, instat* illi: *ille reducta securi secat frontem mediam et mentum oppositi* hostis, *et late tegit arma diffuso cerebro. Acerba quies et ferreus somnus premit illi oculos, oculi clauduntur in perpetuam noctem. Sed pius Æneas capite aperto proferebat dextram exarmatam, et inclamans vocabat suos: Quo curritis? aut quænam hæc dissensio repentina oritur? o*

---

alii *Chorineus, Corinæus.*—299. *Ebyso* Rom. Medic. et ap. Nonium. *Hebeso* Zulich. *Alvulo* Bigot. *Eubuso* Dorvill.—300. *Olli* e Medic. Heins. pro vulg. *Illi. relusit* Dorvill. *refluxit* Bigot.—301. *ille* pr. Hamburg. *locutus* Parrhas.—303. *Impressosque* Dorvill. *Impressuque* Goth. sec.—304. *Podarilius* Medic. *Polidarius* multi. *Polidorius* Parrhas. et Goth. tert.—305. *in prima a.* aliquot ap. Burm. *que* si abesset, comtior exiret junctura verborum. *primumque aciem* Oudart. et Dorvill.—306. *supereminet* Goth. pr. et tert. cum vett. edd.—308. *Dissicit* multi, etiam vett. edd., ut et alibi; idque recepit Cuningham. cumque eo Wakef. tanquam antiquum voc. *dissicere,* dissecare. *Discidit* Rom. *Dissicat* Leid. *Dissidit* Exc. Burmann. *arva* Leid. a m. sec., sed vid. Cerdam. *τεύχεα βεβροτωμένα. cerebro* codd. Ge. Fabricii, et aliquot Heins. et Burm., idque recepit Cuningham. conf. sup. v, 413. ix, 9, 753.—310. *conduntur* duo Rottend. *mortem* Dorvill. et Goth. tert. cum aliis apud Pier.—311. *inertem* Medic. (a m. pr.), perpetua varietate.—313. *quove* Rom., aliquot ap. Pier. cum ed. pr. Burm. Ven. *quænam* Sprot. *quæ ista* alter Hamb. *recens* aliquot Pier. Sprot. et pr. Hamburg. cum Goth. sec. *repit disc. surgens* Zulich.—

NOTÆ

312 *Nudato capite, &c.*] Tam, ut hac pia confidentia ferociam Latinorum emolliret; quam ut agnosceretur a suis, eisque voluntatem suam apertius significaret. Sic Julius Cæsar in acie Pharsalica nuda manu et capite suis inclamabat: *Parcite civibus:* apud Plutarchum et Appianum.

O cohibete iras! ictum jam fœdus, et omnes
Compositæ leges; mihi jus concurrere soli;
Me sinite, atque auferte metus. Ego fœdera faxo
Firma manu; Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis allapsa sagitta est,
Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, Deusne,
Attulerit. Pressa est insignis gloria facti;
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus, ut Æneam cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virum volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru

reprimite furorem: fœdus jam percussum est, et omnes conditiones constitutæ: mihi soli fas est pugnare: permittite me pugnare, *et pellite timores: ego faciam manu* ut *fœdera constantia* sint: *hæc sacrificia jam addicunt mihi Turnum. Inter has voces, inter hæc talia verba, ecce sagitta stridens appulsa est pennis* ad *Æneam: ignotum* est, *qua manu missa* sit, *quo impetu pulsa; quis præbuerit Rutulis tantam gloriam, an sors, an Deus: fama illustris* hujus *facti suppressa est, nec ullus gloriatus est vulnere Æneæ. Turnus cum vidit Æneam recedentem ab exercitu, et duces* ejus *turbatos; fervidus accenditur spe improvisa: simul petit equos et arma, et confidens saltu erumpit in currum, et corripit habenas manibus. Currens dat morti plurima robusta corpora hominum: dificit plurimos semimortuos, aut sternit curru agmina,*

314. *nam f.* Sprot. *sic tum jam f.* Rom.—315. *mihi sit* alter Menag.—316. *atque* aberat aliquot Pier. et a m. pr. Sprot. *metus* Rom. et ed. pr. Burm., antique. conf. sup. 61, ubi *casus*, Leid. *manus*.—317. *debent hæc jam mihi sacra* edidit Cuningham. et Brunck., sicque Rom. et scripti Heins. Parrhas. et Goth. sec., et sine *hæc* Reg. *Turnumque hæc debent jam mihi sacra.* Menag. pr., at alter *Turnum debent hæc ultima sacra.*—319. *est* deest Parrhas. et binis Goth.—320. *adacta est* ed. Ven. Burmann. *missa* Dorvill. in marg.—321. *tantum* Reg. *casusne Deusne* Heins. e libb. restituit pro vulgari *ve ve.*—322. *ingentis gloria facti* tert. Rottend. *fati* Goth. tert. —325. *ardet:* Zulich. a m. sec. *instat.*—326. *superbo* Dorvill. in marg. *superbos* Goth. alter.—327. *in curru* tres Goth.—328. *f. pectora* sec. Moret.—329.

NOTÆ

314 *Ictum jam fœdus*] Cæsis jam victimis, 214. sacerdotum ferro; non ictu lapidis, qui deinde mos Romanorum fuit, Æn. VIII. 641.

316 *Faxo*] *Fecero*, Æn. II. 467.

317 *Turnum debent hæc mihi sacra*] Ex quo verba fœderis concepimus ego et Latinus: ex eo Turnus mihi uni addictus est; unus ego cum eo congredi possum: abstinete ab eo, et mihi permittite.

Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atque furentes
Bella movens immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant. Gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atræ Formidinis ora,
Iræque, Insidiæque, Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabile cæsis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.

aut immittit fugientibus hastas abstractas iisdem. *Qualis Mars* gaudens *sanguine, quando juxta fluenta frigidi Hebri efferatus sonat clypeo, et suscitans bella impellit equos furentes: illi patente campo currunt ante Austros et Zephyrum: ultima Thracia sonat pulsu pedum* equinorum: *et comites* illius *Dei, facies nigri Timoris, et Iræ, et Insidiæ, circum rapiuntur. Talis Turnus gaudens impellit in medias pugnas equos fumantes sudore, insultans miserande hostibus interfectis: rapidæ ungulæ spargunt guttas sanguineas, et sanguis mixtus pulvere calcatur. Et*

cursu apud Diomedem, sed frustra, notante Heinsio.—330. *Protrahit* ed. pr. Burm. *et r.* Rom. *fulgentibus* Goth. pr.—332. *Sanguineos* Goth. sec., sed *equos* nimis retractum est. *Sanguineum* Heins. conj., ingeniose. Sed nihil est quod in recepta reprehendas. *concitus* est pro adverbio, concitate. *intonat* Rom. Medic., adeoque veterrimi, tum Montalb. Vratisl., nec deterius illud, ut facile feram id præferri a Wakef. doctius tamen alterum. Vide ad VIII, 527. *increpit atque f.* Leid. et Goth. tert. *frementis* Medic. a m. pr., quod quorsum exemplis congestis commendet Heinsius non facile dixeris; nam *equos frementes* dici posse nemo neget: sed in lapsu calami, eoque ab ipso librario forte damnato, operam consumere piget.—333. *emittit*, quod damnat Heins., ex editt. Pulmann. et Dan. Heinsii est. Nam in aliis ubique, quantum video, *immittit* legitur.—334. *Gemit excita* Gud. pro var. lect., forte ex lib. VII, 722, et sic ed. pr. Burm. *pulsa* Reg. et edd. vett. Ven. 1484. 1486. —335. *Turcha* eædem edd. *Thraica* Rom. *atra ora* Rom., male. *Form. æra* male olim conj. apud Guell. et Cerdam. Burmannus laudat Markland. ad Stat. II Sylv. I, 215.—336. *insidiæque Dei* male jungit Servius.—337. *acer* a m. pr. Mentel. pr.—338. *miserabile* Ge. Fabric. et alii parenthesi includunt. Sed jam Servius exposuit: *miserabiliter insultans.*—339. *sparsit rara ungula* ed.

NOTÆ

331 *Hebri, &c.*] Fluvii Thraciæ, hodie *Mariza*, Ecl. X. 65. *Mavors*, Mars in Thracia natus, Ecl. IX. 12. *Equi Martis* duo juxta aliquos, sed male, Pavor et Timor, Ge. III. 91. *Notus*, Auster, ventus meridionalis, Ecl. II. 58. *Zephyrus*, ventus occidentalis, Ecl. v. 5. *Thraca*, pro *Thracia*, quæ Græce est Θράκη et Θρήκη, Æn. III. 14. *Increpat equos clypeo:* id est, collisis hasta et clypeo. Vel *increpat*, verborum neutrorum more, absque casu, id est *sonat.*

Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque,
Hunc, congressus, et hunc; illum eminus: eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis;
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis;
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,

jam dedit morti Sthenelum, et Thamyrim, et Pholum: Thamyrim quidem *et Pholum, aggressus cominus: Sthenelum* vero *eminus: eminus duos filios Imbrasi, Glaucum et Ladem: quos ipse Imbrasus educaverat* in *Lycia, et instruxerat pariter* artibus *militaribus, sive conserere manum, sive præcurrere ventos equo. Alia parte Eumedes rapitur in media certamina, soboles veteris Dolonis, egregia* in *bello, repræsentans nomine avum, manu et fortitudine patrem: qui* pater, *ut olim iret ex-*

Pontani Macrob. Sat. v, 12. vid. Heins.—341. Varietatem lectionis, seu potius aberrationem, in nominibus hic et mox vs. 343 videat, qui volet, apud Pier. Heins. et Burm. Nomina satis constituta sunt per se: Σθένελος, Θάμυρις, Φόλος, Ἴμβρασος.—342. *ambo* Heins. cum Medic. et al., pro vulg. *ambos.*—343. Vid. ad v. 341. De *Laden* forte dubitari potest. Alii *Laben, Hyadem, Iadem, Iaden, Caden, Eladen, Raden, Icidem.* Sed Λάδης nihil habet, quod repugnet. Ladonem supra quoque vidimus; et nota Lade insula, Mileto prætenta.—344. *Lyciæ* pr. Moret., non male. *Lycia,* in Lycia. *ornaverat* Heinsius maluit ex Medic. et aliis; sicque jam Ald. tert. Vulgo, quæ perpetua est diversitas, *oneraverat:* quod pari jure defendi possit.—345. *manus* Zulich. *manu* Leid. *equis* aliquot Pier. *prævertere gentes* tres Burm.—346. *Eumenes, Eumenides, Eumeneus,* aberratur. *Eumeles* Gud. Est Εὐμήδης.—347. *Antiqua* Goth. tert. *belli* Zulich. *doloris* Reg.—348. *Nomen avi* Oudart. *avom* lib. Pier. *animo moribusque* ed. pr. Burm.—349. *spoliator* ed. pr. Burm.—350.

NOTÆ

344 *Lycia*] Asiæ Minoris regio meridionalis est, de qua Æn. IV. 143.

347 *Proles bello præclara Dolonis*] Ironice: fuit enim Dolon bello ignavus, et hic Eumedes, ejus filius, satis ignominiose occiditur. Ita Cerdanus: cujus opinionem firmant sequentia verba, quæ omnino ironiam sapiunt: 'Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio:' id est, *morte.* Iliad. X. 299. Hector mercedem proponit ei, qui speculator ire voluerit ad Græcorum naves. Dolon Eumedis filius, vir dives, petit sibi promitti mercedis loco currum et equos Achillis: promisso confirmatus, ad Græcos abit. Incidit in Ulyssem ac Diomedem: quibus metu mortis fatetur se speculatorem esse, Rhæsum Thraciæ regem venisse Trojanorum auxilio, ejus copias incustoditas et somno sepultas jacere in littore, sibi currum et equos Achillis ab Hectore promissos, se præmii magnitudine adductum hoc munus suscepisse. Occiditur a Diomede; qui cum Ulysse clam ad Thracum castra subrepens, Rhesum interficit, et ejus equos Trojæ fatales abripit. De *Rheso* et *ejus equis,* Æn. I. 473. De *Peleo,* Achillis patre, Æn. II. 263. De *Tydeo,* Diomedis patre, Æn. XI. 243.

Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus;
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio; nec equis aspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto:
Ante levi jaculo longum per inane secutus;
Sistit equos bijuges, et curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tingit jugulo; atque hæc insuper addit:
En, agros, et, quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic mœnia condunt.
Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit;

plorator in castra Græcorum, ausus erat *petere sibi equos Achillis* in *mercedem.* Sed *Diomedes donavit illum alia mercede pro talibus cœptis, nec* amplius ille *optat equos Achillis. Cum Turnus vidit illum procul patente campo: prius persecutus* ipsum *levi sagitta per longum aërem, continuit equos* suos *binos, et exscendit e curru, atque incurrit lapso et semimortuo: et pede imposito* in *collum* ejus, *eripit ensem* ex ejus *dextera, et immersit splendentem profundo jugulo, et adjicit hæc super: Ecce,* o *vir Trojane, metire prostratus campos et Italiam quam appetiisti bello: qui ausi sunt me lacessere ferro, reportant hæc præmia: sic struunt urbes. Mittit huic socium Buten, impacto jaculo, et Chlorea, et Sybarim, et Dareta, et*

---

currum ed. Mediol. (et aliæ vett. edd.), tum Goth. pr. Servii inepta ad h. l. est nota.—352. *Defecit pretio* Goth. tert. *neque equis* Cuningham. e Ms. Bersm. *assultat* Zulich. a m. pr. *Achilles* Medic., unde Heins. conj. *Achillei.* —353. *et c.* alter Mentel. *in c.* alter Menag. *e campo* sec. Moret. *prospexit* Heins. reposuit e Rom. Medic. et Gud. Idem tamen jam vett. edd. Venetæ nostræ omnes exhibent: primum *conspexit* apparet in edd. Ald.—355. *curru desilit alto* Goth. tert., ad aurem plenius et suavius: alterum tamen pronuntiatione adjuvandum.—356. *Semanimi* Rom. *Semianimo* Goth. pr., ut alibi quoque. *elapsoque* Serv. magna codd. pars ap. Heins. cum Goth. pr. et tert., et non modo Mediol. sed vett. edd. nostræ omnes, usque ad Ald. pr., in qua *lapsoque.*—357. *Expresso* Medic. a m. pr. *dextræ* inde ab Ald. tert. editum firmavit Heins. e codd. pro vulgari, *dextra.*—358. *tinguit* Commel. e Palat. edidit et firmavit Heins. e libb. suis et Pier. pro *tinxit;* tum *jaculo* vitium ed. Dan. Heinsii. Dixit poëta exquisite *tingere jugulo,* h. sanguine juguli, vel immittere, demergere in jugulum, ut Serv. *hæc* nonnullis excidit.—361. *condant* Vratisl. et ed. pr. Burm., minus belle.—362. *Asbuten* primum emendavit Naugerius: si recte video. Antea lectum *Buten,* vel *Butem.* In Medic. *Asbyten:* in aliis: *Asbiten, Hasbiten, Hasbuten, Albuten, Hasputin, Astuben, Asontem.* Sed *Asbytes* jam vindicatum nomen ab Heinsio et Drakenb. apud

NOTÆ

352 *Nec equis aspirat Achillis*] Pergit poëta illudere Doloni: qui captus a Diomede, non amplius ad equos Achillis, sed ad vitam servandam aspirabat.

360 *Hesperiam, &c.*] Italiam, Æn. 1. 534.

Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque;
Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad littora fluctus,
Qua venti incubuere; fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
Objecit sese ad currum, et spumantia frænis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.

Thersilocum, et Thymœten lapsum e collo equi frequenter *lapsantis. Et sicut, quando flatus Thracii Boreæ sonat* per *profundum* mare *Ægæum, et fluctus abeunt ad littora;* tunc *nubes fugiunt* per *aërem, qua* parte *flant venti. Sic turmæ cedunt Turno, quacumque aperit* sibi *iter, et acies fugatæ rumpuntur: impetus provehit ipsum, et ventus adversus currui commovet cristam volantem. Phegeus non passus est* illum *imminentem* sibi *et furentem animo. Opposuit se ad currum, et* manu *dextra detorsit capita concitatorum equorum, spumantia* ob *frænum. Dum*

Silium II, 58.—363. Vitia librariorum in nominibus scribendis vide apud Burm. Sunt ex ratione linguæ Χλωρέα τε Σύβαρίν τε Δάρητά τε Θερσίλοχόν τε. Tum mox Θυμοίτης. Pro *Sybarim* sunt qui habeant *Fabarim*, quod arridere potest: sed in Trojanorum partibus nulli erant populi, qui Fabarin in Sabinis accolerent., conf. sup. VII, 715.—365. *Ædonii* Ald. pr., emendatum *Edoni* jam in sec. *Edonti* fere omnes Pier. et alii apud Heins. et Burm. Male: nam Ἤδωνὸς esse satis constat. v. Bentl. ad Horat. III Od. 25, 9, et Intpp. ad Theocr. VII, 111. Editum quoque *Edoni* jam in vett. edd. et defensum in Servianis adversus Donatum: etsi ibi mons Thraciæ *Edon* obscura fide editur, cum de populo Thraciæ Edonis tantum constet: unde nunc *Edonus Boreas*, pro Edonicus, Thracicus.—366. *Insonat*. Etiam hic, quod facile expectares, intulit Wakefield *Intonat* ut ceteris fere locis. Placent enim τὰ τραγικώτερα, etsi in epico poëta.—369. *Conversaque...acie* pr. Moret. *ipse* a m. pr. Zulich., et *illum* a m. sec. et Goth. sec.—370. Ne quis conjectet, *adverso cursu;* nam *curru* eodem significatu doctius. *quatit arva* Goth. tert.—371. *animoque* Oudart. *furentem* pr. Hamb.—372. *Objicit ad currum sese* pr. Moret. *O. sese currui* Bigot., ex interpretamento: vulgari forma poëticæ substituta.—373. *contorsit*, quod Pier. laudat, Aldd. et hinc aliæ habent,

NOTÆ

364 *Sternacis equi cervice*] Equo in anteriora genua prolapso, Thymœtes per ejus collum devolutus est. Ita Servius.

365 *Edoni Boreæ*] Thracii: e Thracia septentrionali, in Græciam et mare Ægæum flantis. *Edoni*, Ἤδωνοί, Stephano et Straboni l. x. gens est Thracia incerti situs: unde ibidem apud Strabonem, *Lycurgus* Thraciæ rex, *Edonus*, appellatur. Hinc dixit Statius *Edonas hyemes*. De *Borea*, Ecl. VII. 51. De *Ægæo* Mari, Græciam a minore Asia separante, Æn. III. 74.

367 *Fugam dant nubila*] Ventus enim septentrionalis fugat nubes; meridionalis colligit.

Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat:
Cum rota præcipitem et procursu concitus axis
Impulit, effunditque solo; Turnusque secutus,
Imam inter galeam, summi thoracis et oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenæ.
  Atque ea dum campis victor dat funera Turnus:
Interea Æneam Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Sævit, et infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:

ipse rapitur et inhæret jugo: hunc lata Turni *lancea consequitur delèctum, et impacta penetrat loricam duplicem, et stringit vulnere superficiem corporis. Tamen ille oppositus ibat objecto clypeo contra hostem, et educto gladio vocabat auxilium:* cum *rota et axis cursu concitatus impulit eum et stravit humi: et Turnus insecutus* eum *inter infimam* oram *cassidis, et extremitates summæ loricæ, abscidit caput gladio, et reliquit truncum* in *pulvere. At vero dum Turnus edit strages* in *campis: interim Mnestheus, et fidelis Achates, et comes Ascanius, deposuerunt* in *castris Æneam sanguinolentum, firmantem longa hasta passus alternatim. Furit, et conatur abstrahere* cuspidem *teli fracto telo; et petit modum auxilii, qui celerrimus* sit: ut *secent*

usque ad Commelin., a quo e Palat. *detorsit* legitur: in quod libri consentiunt, nisi quod Goth. sec. *commovit*.—374. *Dum pendet trahiturq.* pr. Moret. Tum *hic* Rom. *hinc* aliquot Heinsiani: quod esset, alia ex parte, ab alio, quam a Turno. conf. Notam nostram. *pendetque jugis hic* Rom. et aliquot Pier. et Mentel. pr. *alta* Montalb. *relictum* aliquot Pier. *retractum* pro div. lect. Scheffer.—375. *trilicem* Bigot. ex supp. locis lib. III, 467. V, 259. VII, 639.—378. *educto* aliquot Pier. et tres Burm., quod vulgare esset. *adducto* Parrhas., perperam. *ducto a mucrone* alii apud Pier. cum Rom. *stricto* Donatus, tum Zulich. Goth. pr. et non modo Mediol. a Burmanno laudata, sed omnes nostræ vett. edd., usque ad Ald. pr., in qua primum *ducto* comparet.—379. *Cum rota* Heins. e Medic. et aliis; adde Goth. sec. pro vulgato: *Quem*.—380. *effundit* idem e melioribus suis et Pierianis: vulgo *effudit*.—381. *summas...oras* Goth. sec.—382. *relinquit* Ven. et aliquot Pier. *arenæ* secundum plerosque Pierianos et complures suos recepit Heinsius, tanquam exquisitius (præiverat tamen et in hoc, ut in innumeris emendationibus Heinsianis, Commeliniana editio): vulgo: *arena*, quod Romanus tuetur.—385. *Ascaniusque puer* Romanus, quod præfero. Accedunt ei Bigot. et Goth. sec. et

NOTÆ

375 *Lancea*] Hasta: vox non Latina, sed Hispanica est, ex Varrone apud Gellium: Gallica, ex Diodoro Siculo.

Bilicem] Bino textu; vel licio, sive filo, Æn. III. 467.

Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera, lætus Apollo
Augurium citharamque dabat celeresque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,

plagam lato gladio, et intime aperiant latebram teli, et remittant se ad pugnam. Et jam aderat Iapis filius Iasi, carus præ ceteris Apollini: cui ipse Apollo, percitus magno amore, offerebat olim lætus suas artes, sua munera, vaticinium, et musicam, et veloces sagittas. Ille, ut retardaret mortem desperati patris, maluit cognoscere

Donatus. *comes* friget.—389. *secet* Medic. a m. pr. *latebras* Medic. et alii Heins. cum Goth. sec. et tert.—391. *Jamque erat ante alios* Leid. *Phœbi* Exc. Burm. *delectus* Gud. Mox *Iapis* vulgata erat lectio. Sic codicum pars; ut tres Gothani. *Iapyx* Heinsius recepit vetustiorum utique codicum auctoritate. Rationi tamen in nominibus propriis plus tribuendum arbitror, et lapsus proclivis erat, cum *Iapyx* notior esset librariis. *Iapidis* nomen haud dubie accommodatius medico, quam Iapygis ex Apulia petitum: et facit auctoritatem Ausonius in epigrammate XIX, quod corrigere volebat Heinsius: *Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt, Discendas artes nomina præveniunt.* Ludit poëta in etymo: sed ut Iapygem ex Ἰᾶσθαι deducat, multo minus alicui in animum veniat, quam si Iapidem audiat. Natus error ex *Iapix*, quod et vltiose scriptum apud Nonium et Macrobium legitur. *Iaspis* edd. vett. apud Burm. *Iapis* Venetæ et cett. nostræ. *Iapix* Ald. tert. cum aliis inde profectis; Paullus Manutius, Commelin. cum al. retinuere *Iapis*, hocque revocavi.—393. *sua numina* ed. pr. Burm. *mittit Apollo* pr. Hamburg.—394. Duplex hic lectio jam antiquitus codices insedit. *dedit* Aproniana fuit lectio, quam Medic., tum a m. pr. Gud., et a m. sec. Zulich. exhibebant: item Goth. tert. cum ed. Florent., teste Heinsio. Sed communis lectio est *dabat*, quam Servius tuetur, nec satis explicat. Nam conatus dandi intelligendus est: dare volebat. conf. Not.—395. *deferret* quartus Moret., forte pro *differret*.—397. *multas*

NOTÆ

391 *Iapis*] Legunt aliqui *Iapyx*, sed hic ventus est, de quo Æn. VIII. 710. Quæ duo ut distinguantur, tum diversa habent recti casus elementa, tum diversam obliquorum flexionem: flectit enim venti nomen Virgilius *Iapyx*, *Iapygis*: medici nomen Donatus apud Pierium, *Iapis*, *Iapicis*; Turnebus tamen, *Iapis*, *Iapidis*; ex Ausonio, Epigr. XIX. 7. 'Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt.'

393 *Suas artes*] Apollinis artes fuerunt I. *Vaticinia*, quorum variæ species habentur, Æn. III. 359. Æn. X. 176. II. *Musica*, unde cum lyra pingitur, et poëtarum Deus est, Ecl. IV. 55. III. *Peritia jaculandi*, unde ipsi tribuitur pharetra, et ab Homero sæpe dicitur ἑκατηβόλος, *longe jaculans*, Æn. VI. 657. IV. *Medicina*, quam artem Æsculapio filio tradidisse dicitur, Æn. VII. 773.

395 *Depositi*] *Desperati*. Deducta locutio e duplici more. Alterius meminit Servius, Isidorus, &c. ex Plutarcho, qui ait veteres solitos in publicum ægrotos proponere, quod *deponere* est: ut si quis prætereuntium, aut simili morbo fuisset ipse agitatus, aut quicquam remedii nosset, id ægro

Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Æneas, magno juvenum et mœrentis Iuli
Concursu, lacrymis immobilis. Ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Solicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo

vires herbarum et usum medicinæ, et exercere inglorius artem illam *tacitam. Æneas stabat, acerbe fremens, innixus magnæ hastæ, magno juvenum et Ascanii dolentis concursu et fletibus immotus. Ille senex* Iapis, *cinctus replicata veste ex consuetudine medicorum, frustra deproperat plurima manu medica et validis herbis Phœbi; frustra commovet manu telum, et apprehendit ferrum mordaci forcipe. Nulla*

artes perpetuo errore pars codd. apud Burmann. *mutatas* Dorvill. conf. Exc. —398. *fixus* Medic.—400. *Conversu* qu. Moret. *lacrimisque* ante Heinsium, qui, libris auctoribus, copulam ejecit: quam Romanus tuetur. *lacrimisque in mollibus* Goth. pr. *reperto* Leid. et Exc. Burm. *reporto* Rom. An: *Inde r.*— 401. *Pæonidum* Medic., non ineleganter, putem, pro Pæonidarum. Probat quoque Cuningham. Enimvero sic in legem metricam peccatur: est Παιών, ῶνος, unde Παιώνιος, Παιωνίδης. conf. sup. VII, 769 var. lect., ibi *Pæoniis herbis* scribebamus *Pæonis*. At h. l. hæremus. An Pæonjum trisyllabum?— 402. *hermis* a m. pr. Medic. *armis* Dorvill., sed *herbis* in marg.—403. *trepida* e Mediceo laudatur. Sed a Fogginio *trepidat* expressum est.—404. *prensantque* sec. Moret. *pressat* aliquot Pier., inter quos Rom. Montalb. *forfice* pr.

NOTÆ

significaret. Alterius jam mentionem fecimus Æn. IX. 486. ubi diximus, solitos veteres ad januam domus cadavera deponere, ut etiam nunc apud nos in usu est. Et generatim *positus*, est *jacens, mortuus:* ut diximus Æn. II. 644. ait enim Ovid. Heroid. X. 124. 'Nec positos artus unget amica manus:' id est, *jacentes:* neque enim ad januam domus, sed in ipsa domo ungebantur. Eodem quo nunc utitur verbo Virgilius, usus est et Ovidius de Ponto l. II. 2. 45. 'Jam prope depositus, certe jam frigidus æger,' &c. Cic. III. Verr. 5. 'Ægram et prope depositam reipublicæ partem suscepisse.'

397 *Mutas artes*] *Medicinam*, quam sic vocat: vel comparatione musicæ et vaticinii, quæ voce maxime constant: vel quia parum famosa tum erat, et a servis fere exercebatur. Vel quia tunc, non voce et disceptatione ac præceptione tractabatur, sed manu atque opere: unde *chirurgiam* nostram referebat: ut patet ex hoc Iapide qui chirurgum hic præstat potius, quam medicum: et ex ipsis poëtæ verbis, qui ipsi tribuit, non tantum *scire potestates herbarum*, sed ipsum etiam *usum medendi*.

401 *Pæonium*] In morem Pæonis Deorum medici, Æn. VII. 769.

403 *Trepidat*] Festinat, Æn. IX. 114. Ge. IV. 69. De *Phœbo*, et *Apolline*, Ecl. III. 62. 104.

Subvenit; et sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere cœlum
Stare vident; subeuntque equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.

fortuna juvat operam, Apollo auctor medicinæ *nullatenus succurrit: tamen sævus horror magis ac magis augetur in campis, et malum vicinius est. Jam vident aërem* totum *constare pulvere: appropinquant equites* Turni, *et jacula crebra cadunt* in *mediis castris: surgit ad cœlum mœstus clamor juvenum pugnantium et morientium in pugna aspera. Tum Venus mater, commota immerito dolore filii, legit ex Ida Cretæa dictamnum, caulem frondibus lanuginosis, et diffusum* in *flores purpureos: herba illa non ignota est capris sylvestribus, cum leves sagittæ infixæ* sunt *tergo.*

Hamb. pro var. lect., et sic Romanus. conf. Pier.—406. *At sævus* malim legi. Sicque Moret. sec.—407. *est* abest Goth. tert.—408. *subeuntque* e Pier. et suis codd. rescripsisse Heinsius videtur. *que* ab aliis abest: et, puto, melius. —411. *Tum* Goth. pr.—412. *Dictamnon* malebat Cuningham. *Dictamum* vitiose passim scriptum. *Dictamnum genetrix* omnes ubique codd. agnoscunt: Donatus tamen legit et exposuit: *Ipsa manu genetrix Dictæa carpsit ab Ida.* Lectionem hanc utique veram esse censendum est, quatenus a poëta id profectum esse credere licet, quod orationi poëticæ maxime convenit. Decebat poëtam designare herbam et ornare: nomen vulgare apponere vix decebat. Ex *Dictæa*, epitheto Idæ, multo facilius Dictamnum assequi licebat. Ex Statii loco, qui Sylv. I, 4, 102 *Dictamni florentis opem*, respectu hujus loci, dixit, vix quicquam conficias. *carpsit* plerique Pieriani, inter quos Romanus, et tres ap. Burm.—413. *flore comante* ed. pr. Burm.—414. *capreis* duo Leid.

NOTÆ

407 *Pulvere cœlum Stare*] Plenum esse. Æn. VI. 300. De *Marte*, Ecl. IX. 12.

412 *Dictamnum, &c.*] *Dictamnus*, vel *dictamnum*, herba in sola Creta insula provenlens: *pulegio* forma affinis, *an pouliot*: frondibus tamen latioribus, et lanuginosis: quare *puberes* hic dicuntur. Valet ad expellenda e vulneribus tela; cujus rei capræ et cervi Cretenses indicium dicuntur fecisse. Nomen habet a *Dictæo* monte Cretensis insulæ, in quo, ut et in *Ida* ejusdem insulæ monte, reperitur. Damnant aliqui Virgilium, quod caulem et flores dictamno tribuerit: quos ei Plinius et Dioscorides auferunt. At vero Matthiolus ostendit Plinium errasse, erroremque suum ex corrupta Dioscoridis lectione hausisse: cum ex Theophrasto antiquiore rerum illarum scriptore, et Galeno, et experientia constet; flores, et caulem, et semen in dictamno reperiri. Flores autem non singulares; sed singulis fere foliis adnascentes: unde *flore comans* dicitur.

Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans; spargitque salubres
Ambrosiæ succos, et odoriferam panaceam.
Fovit ea vulnus lympha longævus Iapis
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor; omnis stetit imo vulnere sanguis.
Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro! quid statis? Iapis
Conclamat, primusque animos accendit in hostem.
Non hæc humanis opibus, non arte magistra,
Proveniunt. Neque te, Ænea, mea dextera servat;

Venus attulit hoc dictamnum, *involuta nube obscura* circa *corpus; imbuit hoc* dictamno *undam nigrantem in patinis fulgentibus, occulte temperans: et miscet salutaris ambrosiæ succos, et panaceam odoratam. Senex Iapis, ignarus* rei, *lavit plagam aqua illa: et scilicet omnis dolor repente abiit e corpore, omnis sanguis constitit in ima plaga: et jam sagitta secuta manum exiit nullo* per vim *trahente, et novum robur rediit ad consueta* officia. *Festinate celeres,* afferre *arma* huic *viro: cur moramini?* sic *clamat Iapis, et primus inflammat animos contra hostes:* addens; *Ista non accidunt humanis viribus, neque industria medicorum: neque manus*

captis a m. pr. Zulich. et Goth. tert.—416. *Hanc* sec. Moret.—417. *fusum* e Pier. et suis Heins. est tuitus: idem vett. edd., etiam Aldd. et hinc vulgg. habent: cum in nonnullas alias ex Commelin. irrepserit *fuscum;* quod ex nostris nulla habet præter Ven. Scoti 1544 et Guell. *D. infusum* Leid. *labiis* Hugen. et a m. pr. Zulich. *pendentibus* aliquot Pier.—418. *sparsitque* plures Pier., at *spargit* vett. edd., etiam Aldd. et hinc reliquæ quoque tuentur. Utrumque Priscianus agnoscit apud Heins. *salubris* idem firmat pro *salubres.* —419. *sucos* Rom., ex more.—421. *cessit* pro *fugit* sec. Rottend. duo Moret. Zulich. et Parrhas.—422. *imo in v.* Rom. et alii Pier. et Heins. cum Burmann. *uno v.* duo Burm. et Goth. tert.—423. *manu* Gud. et Moret. qu.—424. *subiere* sec. Moret. *in corpora* Hugen. *in prælia* Sprot.—425. *viri* aliquot Heins. et Burm. Eadem varietas supra occurrebat.—426. *incendit* Hamb. alter. *in hostem* Heins. e libb. Vulgo: *in hostes. ad hostem* Goth. tert.—428. *Neque Æneam* Hugen. et a m. pr. Medic.—430. *avidus pugna* Mentel. pr.

NOTÆ

417 *Labris*] Vasis, in quibus lavabant: quasi *lavabris.* Vocat *fuscum amnem,* aquam variis infectam succis herbarum, quas Iapis prius miscuerat, 402.

419 *Ambrosiæ, &c. panaceam*] *Ambrosia,* herba est quidem rutæ affinis: sed hic haud dubie cibus ille potusve Deorum, de quo Ecl. v. 71. *Panacea,* quæ Columellæ *panax,* Plinio *panaces,* herba est fœniculo, anetho, et ferulæ aliquatenus affinis: admodum salutaris, et morborum omnium remedia nomine ipso promittens, ut ait Plinius l. XXV. 4. a πᾶν *omne,* et ἄκος *remedium:* Gallico nomine caret.

422 *Stetit*] Fluere desiit.

Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clypeus loricaque tergo est;
Ascanium fusis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, et magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, et te, animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, et avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,

mea te sanat, o *Ænea*. *Deus potentior agit, et mittit te ad majores labores. Ille* Æneas *cupidus certaminis* jam *vestierat tibias* ocreis *aureis hinc et inde: et aversatur moras, et quassat hastam. Postquam clypeus accommodus lateri, et thorax tergo adfuit; amplectitur Ascanium armis circumjectis, et osculans per cassidem summa ejus ora,* sic *loquitur: O puer, sume ex me exemplum virtutis et digni laboris; fortunæ* autem *ex aliis. Mox dextera mea faciet te bello securum, et ducet* tuam securitatem *inter magna* sua *præmia. Tu mox, quando ætas provectior adoleverit, fac* ut *sis memor* meæ virtutis: *et pater Æneas atque avunculus Hector excitet te revolventem animo exempla tuorum. Postquam protulit hæc verba, extulit se e*

a m. pr. *surasque* pr. Hamburg.—431. *hastaque* Hugen.—433. *c. c. hamis* Menag. pr.—435. *veterumque* Leid. et Montalb. *juvenumque* alter Hamb.—436. *Non te* ed. pr. Burmann.—437. *magnum* Hugen. et ed. pr. Burm. *prælia* aliquot Pier., tum Menag. pr. et Goth. tert. cum secundo. Sed *præmia* sunt victoriæ, ut in Notis dictum. Sup. *præmia pugnæ*, XI, 78.—438. *Tum* et *adoleverat* Medic., sed a m. pr. *maturo* aliquot Pier.—439. *exempla virorum* Goth. tert.—440. *excitat* Goth. tert. *extulit* sec.—441. *Hæc tibi* Goth. pr. et ed. Ven. 1484. *portis sese extulit altis* edd. vett. et pars codd., sed Pierii et Hein-

NOTÆ

430 *Suras*] Pars tibiæ posterior, carnosa et ventricosa: pro tota tibia sumitur, quam vestiit Æneas aureis ocreis.

431 *Hastamque coruscat*] Active, Æn. v. 642.

434 *Delibans oscula*] Ore contingens ora: hunc enim esse locutionis hujus sensus ostendimus, Æn. I. 260. 'Oscula libavit natæ.' *Delibans*, leviter tangens, Æn. I. 740.

436 *Fortunam ex aliis*] Licet enim hoc Latino bello felix Æneas fuisset: tamen adversa fortuna jactatus eatenus fuerat.

437 *Magna inter præmia ducet*] Vel *ducet te ad magna præmia, laudis, regni, &c.* ut vult Servius: vel forte, *ducet ac reputabit magni præmii loco, si post tot labores te defensum dare possit:* videtur enim Æneas Ascanii unius causa tot labores suscipere, supra 185.

440 *Avunculus Hector*] Creusa enim, Ascanii mater, soror erat Hectoris, Priami filia, Æn. II. 772.

Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt; omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum cæco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit agnovitque sonum, et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis, ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium: miseris, heu, præscia longe
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late:
Ante volant, sonitumque ferunt ad littora venti.

portis, altus, commovens manu grandem hastam: simul erumpunt cum magno numero Antheus et Mnestheus; et omnis multitudo exit desertis castris. Tum campus turbatur obscuro pulvere, et terra tremit commota pulsu pedum. Turnus ex opposito tumulo vidit accedentes: Latini viderunt et frigidus tremor subrepsit in intima ossa. Juturna prima ante omnes Latinos audivit et agnovit sonitum, et fugit trepida. Ille Æneas volat, et trahit secum densum agmen patente campo. Qualis turbo cum effusa tempestate ruit ad terras per mare medium: heu! animi longe providi horrescunt miseris agricolis: scilicet, ille turbo inferet calamitatem arboribus et cladem segetibus, evertet late cuncta: venti prævolant, et portant sonitum ad littora. Ta-

---

sii u[illegible] [illegible]gens, quod jam ed. Ald. tertia exhibet, sed male cum aliis ad tel[illegible] [illegible]am sic poëta jungere debebat: *telum ingens immane.* Immo v[illegible] [illegible]to ad Æneam referendum: *ipse sese extulit ingens*, ut sup. IX, [illegible] [illegible]usque [illegible] Heinsius e Medic. et binis Moret.; adde ali- [illegible] Burm. [illegible]e factum sit, ne dubita. Nam ex 'Ἀνθεὺς jam [illegible] [illegible]vi sup. lib. I, 185. 514, estque is ex Æneæ [illegible] [illegible]er quam *Antheus.* Et vulgatum ubique [illegible] [illegible]: idem nomen jam sup. lib. X, 561 vidi- [illegible] [illegible]ensio: sed Foggin. omnis.—444. *ruit e.* [illegible] [illegible]o valuere alter Menag. *campis* pr. Mo- [illegible] [illegible]densque *tremit magno e. t.* Zulich. a m. [illegible] [illegible]gmine aliquot Pier., inter quos Rom. et [illegible] [illegible]l. et duo alii Burm.—449. *Avehit* Exc. [illegible] [illegible]ctum Dorvill. *campusque atrum rapit* [illegible] [illegible]: modo graviorem auctorem haberet. [illegible] [illegible]h. l. ad campum, quod agmini debe- [illegible] [illegible]to Montalb. *adrupto* nonnulli, vid. [illegible] [illegible]—453. *ruinis* Goth. tert.—454. *ruit in* [illegible] [illegible] *ruit omnia, late Antevolans:* eleganter [illegible] [illegible]s. cum Goth. tert.—455. *Ante sonant*

[illegible]E

454 *Ruet omnia*] Active. Æn. I. 29. [illegible] spumas salis ære ruebant.'

Talis in adversos ductor Rhœteius hostes
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. Ferit ense gravem Thymbræus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in cœlum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes
Insequitur; solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.

Iis dux Trojanus impellit aciem in oppositos hostes: omnes densi conglobant se pressis ordinibus. Thymbræus petit gladio gravem Osirim: Mnestheus jugulat Archetium, Achates Epulonem, et Gyas Ufentem. Occiditur ipse augur Tolumnius, qui primus immiserat hastam in hostes oppositos. Clamor ad cœlum mittitur, et Rutuli mutuo fugati objiciunt per *fugam terga pulverulenta in agris. Ipse* Æneas *neque dignatur dimittere morti dantes terga, nec insequitur pari gressu obstantes, nec facientes* eminus *spicula: quærit unum Turnum circumiens in opaco pulvere,*

Mentel. pr. *ad l. fluctus* Parrhas.—456. *victor* alter Hamb. et Leid. *victor R. heros* Goth. tert. *Retheus in hostes* Dorvill. Alii aliter peccant. Est τὸ Ῥοίτειον, inde Ῥοιτήϊος.—457. *densis* Sprot.—458. *Agglomerat* alter Hamb. et Goth. pr. *Ferit ante* Goth. pr.—459. Corruptelas nominum vid. ap. Burm., nam enotare piget post tot millena inutili forte opera enotata. Suspicor tamen sine aspiratione scriptum fuisse *Arcetium*.—461. *torsit in* Rom. *torserit Leid. hastis* Bigot.—463. *per hostes* alter Menag.—464. *adversos* aliquot Pier. et edd. vett., usque ad Ald. tert. a Naugerio castigatam, quæ *aversos* dedit: recte. Nam membra hæc sunt: fugientes—congressos cominus—eminus potentes se telo: omnes omittit. Ge. Fabricius verum vidit; etiam Cuninghamus; Heinsius post Cerdam non æque. *adversus* Leid.—465. *æquo* jam Commelin. ex Palat. dedit. *Nec pede congressos nec equo* vett. edd., nisi quod Ven. 1484 *congressos equo*. Monuit jam Pierius fere omnes codd. habere: *congressos æquo;* saltem pauci scripti, ut Parrhas. Ven. et Goth. tert., *nec æquo* exhibent. Ita tamen Servium, quem habemus, legisse manifestum est. *congressus* Goth. sec. et ed. pr. Burm.—466. *denso* Rom. *in* aberat

NOTÆ

456 *Ductor Rhœteius*] *Trojanus*, Æneas: a Rhœteo Troadis promontorio, Æn. VI. 500. in Notis.

457 *Cuneis*] *Ordinibus*, in figuram cunei, infra 575.

460 *Tolumnius augur, &c.*] Supra, 257. *Augur*, quia ex avium consideratione futura prædicebat, Æn. II. 703.

464 *Neque aversos, &c.*] Ita restituimus cum Pierio: ut tria pugnantium genera significentur; *aversorum* et jam terga dantium; *congredientium* cominus et æquo pede; eminus tela *inferentium*. Alii sic legunt, sed minus sane: 'Ipse neque adversos dignatur sternere morti: Nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes.'

467 *Lustrans*] Circumiens, Æn. I. 612.

Hoc concussa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longe lapsum temone relinquit;
Ipsa subit, manibusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cum divitis ædes
Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Jamque hic germanum, jamque hic ostentat ovantem;
Nec conferre manum patitur; volat avia longe.

unum hunc *vocat ad pugnam. Juturna virgo, commota hoc timore* secundum *animum, dejicit inter medias habenas Metiscum aurigam Turni, et relinquit procul lapsum e temone: ipsa succedit* in ejus locum, *et regit manibus habenas fluctuantes,* præ se *ferens omnia Metisci, et vocem, et speciem, et arma. Veluti quando nigra hirundo volat per amplam domum opulenti domini, et alis circuit altas areas, colligens parva pabula et cibos nidis garrulis; et modo resonat* in *porticibus spatiosis, modo circa stagna humida: similis Juturna vehitur equis inter medios hostes, et percurrit cuncta celeri curru; et jam hic, et jam illic, ostendit fratrem exultantem; nec permittit* eum *conserere manum* cum Ænea: *volat procul*

Goth. pr. Sprot. et edd. vett. pr. et Mediol.—467. *in certamine* sec. Hamb. —468. *Hinc* Oblong. Pierii. *Hæc* alii ap. Pier. *Hic* Parrhas. et Ven. *c. manu* Goth. tert.—469. *Metiscum* tuentur vett. edd. et codd. cum Grammaticis apud Heins. Solus Fulgentius de continentia *Methyscum*, Μέθυσκον, interpretatur, ebriosum. v. ad Auson. Epist. XIV, 16.—470. *longe* Dorvill. *lapsum a t.* Goth. tert. *reliquit* Heins. codd.—472. *et vocem* Zulich. —474. *et pennis* constans libb. scriptorum et edd. lectio. *pinnis* ed. Junt, *pennas* alter Menag. *pernix* sec. Rottend. *penitus* Parrhas., quod Masvic. expressit.—475. *p. petens* Hugen. *n. l. aufert* a m. pr. Rottend. sec. *eosque* Goth. pr.—476. *p. variis* Goth. tert., perperam. vid. Not. Bene Jul. Sabin. vacuis, id est, magnis vel altis. Aliter sup. II, 761.—477. *volat* Parrhas. et Leid. a m. pr. cum Goth. tert., sed *sonat* exquisitius: volat cum cantu. *sonant* Medic. (a m. pr.) *sonans* duo Burm.—478. *rapit omnia* Parrhas. a m. pr. et alter Hamburg. *cursu* aliquot Pier. et Burm. cum ejusdem ed. pr.—479. *Atque hic* eadem ed. pr. *ostendit* eadem et ceteræ vett. edd. Primus Pierius e Rom. notat *ostentat*, receptum ab Heinsio, cum Goth. a m. sec. Gud. et

NOTÆ

468 *Virago*] A vir, dixerunt veteres, Festo teste, *viram* pro fœmina: hinc *virago*, quæ viro esset similis: unde contracta est *virgo*. Tamen *virago* generosam fœminæ singulariter tribuitur: *virgo* cuilibet integræ.

474 *Atria*] Aream ante ædes, Æn. IV. 666.

479 *Ovantem*] Exultantem, Æn. III. 189.

Haud minus Æneas tortos legit obvius orbes,
Vestigatque virum, et disjecta per agmina magna
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum;
Aversos toties currus Juturna retorsit.
Heu, quid agat, vario nequicquam fluctuat æstu;
Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Messapus, uti læva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.

extra viam. Æneas non segnius percurrit flexos circuitus, occurrens ei, *et quærit virum* illum, *et magno clamore vocat inter agmina dissipata. Quoties conjecit oculos in hostem, et imitatus est cursu* pedestri *celeritatem equorum Turni* habentium *alatos pedes; toties Juturna deflexit conversum currum. Heu! quid faciat Æneas? frustra agitatur variis motibus, et diversæ curæ rapiunt mentem in opposita. Messapus, cum forte leviter currendo ferret sinistra* manu *duo jacula flexilia armata ferro, librans certo ictu unum illorum immittit huic* Æneæ. *Æneas stetit, et occuluit se post clypeum, incurvans* se in *poplitem: tamen immissa hasta*

Leid. idem offerrent: adde Goth. pr.—482. *et* abest ed. pr. Burm. *dejecta* Oudart. a m. sec. Sprot. et Hamb. pr. cum Goth. pr. edd. vett. Ven., usque ad Egnatianam emendationem. In fine *magna* Medic. et ceteri Heins. omnes, Goth., tum edd. vett. omnes: ut *magna voce* jungatur. At *agmina longa* primus Pierius ex aliquot suis notavit: in quibus tamen Romanus non erat: hinc recepit prima, ni fallor, ed. Commel. e Palat., inde edd. Pulmann., et hinc cett. vulgg., in his Dan. Heinsius: adversus codicum, ut vidimus, auctoritatem: ideoque nunc alterum retraximus.—484. *fuga cursum* apud Schol. Horatii Cruqu. 1 Od. 27. *tentabat* Zulich. a m. pr.—485. *Adversos* Goth. tert. et aliquot scripti apud Burm. cum ed. pr. *quotiens* Zulich. *currus* vett. apud Pier., ut sup. v. 671. *cursus* sec. Moret. *recessit* alter Menag.—486. *quid agam* alii apud Serv. ex Æneæ persona.—487. *animo* tert. Rottend.—489. *levi curru* Bigot. et pr. Hamb. *levi cursu* Gud. et alii apud Burm. cum Goth. sec. *levis lato* alter Hamb. *præfixo* alter Menag. conf. sup. v, 557.—490. *uno* Parrhas. *torquens* Dorvill. *derigit* Medic. cum Romano.—492. *sub-*

NOTÆ

481 *Legit obvius orbes*] *Legere orbes*, nihil aliud videtur esse quam, *iisdem orbibus per eundem circuitum insistere.* Sed quia additur *obvius*, omnino est, *corripere orbes illos, et breviori circuitu esse hosti adversum offerre.*

484 *Alipedumque fugam, &c.*] Æmulatus est cursu celeritatem equorum Turni: quæ tanta erat, ut alatos pedes habere viderentur. *Fugam* dicit, pro *celeritate*, Æn. I. 321.

491 *In arma*] Arma hic pro clypeo, ut egregie probat Cerdanus.

492 *Apicem tamen incita, &c.*] *Apex*, summa pars in cono galeæ: Æn. II. 683. Æn. III. 468. De *cristis*, ibid.

Tum vero assurgunt iræ; insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Jovem et læsi testatur fœderis aras;
Jam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat; irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine cædes
Diversas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,
Expediat? Tanton' placuit concurrere motu,
Jupiter, æterna gentes in pace futuras!
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros), haud multa moratus,

abstulit summitatem galeæ, et abscidit e capite supremas cristas. Tunc autem ira intumuit, et dolis coactus cum vidit equos et currum rapi in diversam partem, *sæpe attestans Jovem et altaria violati fœderis; tum demum irrumpit* in *medios, et Marte prospero terribilis, edit crudelem stragem* absque *ullo delectu, et immittit omnes habenas furoris. Quis Deus, quis carmine jam declaret mihi tot duras res, varias strages, et mortem ducum, quos modo Turnus, modo heros Trojanus dejecit vicissim toto campo? O Jupiter, an placuit* tibi, *populos mansuros in perpetuo fœdere certare tanto tumultu! Æneas, non multum tardans, invadit in latus Sucronem Rutulum; ea pugna primum fixit loco Trojanos irruentes; et, qua mors erat prom-*

---

sistens alter Menag. *summam* Rom.—494. *insurgunt* Vratisl. *subactis* pars codd. apud Burm. cum ejusd. ed. pr. et Mediol. In Mentel. pr. ascripta glossa: id est *repulsis*, quod non assequor; sed nec vulgatum satis diserte exponunt Intpp. Nam, si *subactus* est coactus, jejuna fit oratio. Accipio *subactus*, ut domitus, victus, δαμασθείς, de ira, propter insidias, quibus petitum se viderat. Sic alias *adactus*, permotus.—495. *Diversos subsensit* Gud. *ubi sentit* Medic. et aliquot alii cum Goth. tert. *Diversos*, in diversam partem actos: quis dubitet?—496. *læsas* Menag. pr. *sævi* Oudart. *testatur* Heins. secundum Pierium e libb. potioribus. Vulgg. *testatus*, unde lenior erat oratio.—497. *et Marte secundo, Terribilis*, interpungi posse in Servianis notatum est: et hoc præferam.—499. *effudit* aliquot codd. et edd. *perfundit* Parrhas.—500. *Qui mihi....qui carmine* Leid.—503. *tanto* Rom. et alii apud Pier. et bini Goth. *tante'* ed. pr. Burm., sed *tanton'* tuentur Medic. et alii: tum Servius. Conf. sup. ad x, 668.—506. *morantem*, qui Æneam haud multum moraretur

NOTÆ

501 *Æquore*] Plano campo, Æn. II. 780.

504 *Gentes in pace futuras*] Ex illo enim fœdere Romana gens orta, quæ totam Italiam sub uno deinceps imperio conjunxit.

505 *Ea prima ruentes, &c.*] Duplex interpretatio. 1. Communis: 'Pugna illa Æneæ cum Sucrone effecit, ut Trojani antea fugientes tunc primo subsisterent.' II. Cerdani: 'Pugna illa, sive occursus Sucronis, fortissimi militis, fecit, ut Trojani in hostem ante irruentes, tum primo impetum cohibuerint ac steterint.'

506 *Moratus*] Alii legunt *morantem*.

Excipit in latus, et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem,
Congressus pedes: hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et mœstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ;
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,

tissima, immisit durum ensem trans costas et septum pectoris. Turnus occidit Amycum disturbatum ex *equo, et fratrem* ejus *Diorem, pedestri congressu: hunc longa hasta irruentem, hunc gladio; et affigit currui capita amborum amputatu, et aufert stillantia sanguine. Ille* Æneas *dat morti Talon, Tanaim et fortem Cethegum, tres uno impetu, et tristem Onyten, virum Thebanum et prolem matris Peridiæ. Hic* Turnus morti dat *fratres profectos e Lycia et agris Apollinis: et Menœten Arcada,*

adversus eum pugnando, Rom. et pars Pierianorum et Heinsiani omnes, interque eos Mediceus cum Goth. tert. *moratur* Goth. sec. *moratum* Sprot. r m. pr., a sec. *moratus*. *moratum* etiam Servius agnoscit et interpretatur. Est igitur etiam hic locus ex iis, in quibus sententiæ ratio et natura omnem librorum auctoritatem evicit. Requiritur enim *moratus:* idque jam a vett. inde edd. vulgatum per Aldd. et cet.—507. 508. *crudo.....ense* Aldd. et quæ hinc profectæ, invitis libris omnibus, usque ad Commelin., qui meliorem lectionem e Palat. induxit. *ensem Transadigit costas* exquisitius dictum, h. adigit trans costas: sic quoque sup. v. 275. 276. Sic *transfigere hastam, exigere ensem per costam*, et alia dixit Maro. *Transadiit* aliquot Burmann. conf. sup. 274.—509. *Dioren* aliquot Burm.—510. *Congressos* Goth. alter.—511. *curruque* ed. pr. Burm. *abscisa* Medic. *abscissa* apud Serv. ad II Æn. 533, et sic Dorvill. cum nonnullis edd. vett. etiam Aldinis. *accisa* Goth. tert.—513. *Thalon* Medic., et a m. pr. *Tanaimque: Talum, Tagum*, et *Talainq. Tanainq. Thalainq. Thälarumq. Taganumq. Talarimque* alii. Vera nomina vix habemus: nam in istis nihil est Latinæ indolis. Debent autem esse Latinorum nomina, ut *Cethegus*.—514. *Onyten*, Ὀνύτην, melius quam *Oniten, Onithem, Orontem, Omentem*.—515. *Nomine Echionium* plerique Pier. cum Medic. et aliis. Sed *nomen* (κατὰ) doctius jam antiquitus editum. *Nominechionium* Rom. *nomine chionium* Leid. et Goth. sec. *Thionium* alter. Perperam Catrœus a Burm. laudatus: *Erichthonium*. Mox *Peridææ* Parrhas. *Periclæ* Exc. Burm. et Goth. tert. *Perrichiæ* pr. Hamb. Est Περιδία.—516. *Tunc* Zulich. *Et frat.* Serv. ad III,

NOTÆ

508 *Costas et crates pectoris*] Costas, quæ pectori veluti crates obtenduntur.

510 *Cuspide longa . . . mucrone*] Per longam *cuspidem*, intelligit acumen hastæ: per *mucronem*, acumen gladii. Alii aliter.

511 *Curru*] Pro *currui*, Ecl. v. 29.

515 *Nomen Echionium*] *Thebanum*, ab Echione, qui in condendis Thebis Bœotiis Cadmo adfuerat. De *Thebis*, Æn. IX. 697.

516 *Fratres Lycia, &c.*] Hos non nominat. *Lycia*, Asiæ Minoris regio

Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada: piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Limina; conductaque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in sylvam et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prælia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci
Pectora; nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem

juvenem frustra aversatum bella, cui ars et pauper domus fuerat circa aquas Lernæ piscosæ, nec dignitates magnatum notæ erant illi, *et pater* ejus *serebat in arvis conductis. Et quemadmodum ignes injecti e diversis partibus in siccam sylvam et* in *virgulta laurea crepitantia; aut quando fluvii spumantes præcipiti lapsu ex altis montibus edunt strepitum et currunt in mare, singuli vastantes suum iter: non lentius ambo Æneas et Turnus irrumpunt in certamina; nunc ira movetur intus; pectora* antea *nescia vinci perfodiuntur; nunc toto impetu incurritur in vulnera. Hic* Æneas *saxo et turbine magni lapidis dejicit præcipitem et sternit humi Murranum,*

8. *arvis* pr. Hamb. pro var. lect. Non recitat duorum juvenum nomina.—517. *Menœtem* Arusian. *Menotem, Menontem, Meontem, Monentem, Moventem,* depravationes.—518. *qui c.* Dorvill.—519. *Lar fuerat* conj. Heinsii: ab ipso spreta. *Advenerat* Dorvill. *parentum* ed. pr. Burm. et Goth. tert. Zulich. a m. sec.—520. *Limina* e Colot. et Mediceo jam ab Ursino, Cerda, Heinsio et Marklando commendatum, receptum est a Burmanno: etiam a Cuninghamo pro eo, quod per scriptos et editos vulgatum: *Munera.* Satis utique frequentia *potentium limina,* vel ex Horatii Epod. II nota; sed ea ipsa res dubitationem facit, an h. l. in sedem exquisitioris vocis venerit *potentum munera,* h. obsequia, officia salutandi, comitandi, et sic porro. Sic etiam Servius interpretatur.—521. *At* Goth. sec., et hoc malim.—522. *Ardentem* Medic. cum Leid. et Reg. *lauri* alius Leid., minus docte. v. Not.—523. *procursu* uterque Hamb. et Parrhas. *percursu* Goth. tert., utrumque vitiose.—524. *æquora* Hugen. et Zulich. a m. pr., et a m. sec. *ad æquora. verrunt* Parrhas.—525. *populatur* tres ap. Burmann.—526. *in prælia* aliqui apud Burm. et Pier.—527. *rapiuntur* Parrhas. *nescia rumpi* Zulich. a m. sec.—528. *in pugnam* alter

NOTÆ

ad meridiem, oraculis Apollinis nobilitata. Æn. IV. 143. 345.

518 *Arcada: piscosæ, &c.*] Qui orundus quidem ex Arcadia, Ecl. IV. 58. deinde in Argia regione piscatum exercuerat circa Lernam paludem; Æn. VI. 287. denique cum Evandro Arcade venerat in Italiam, tumque erat inter Æneæ auxilia.

520 *Limina*] Quidam legunt *munera,* id est, *munia, dignitates.*

522 *Sonantia lauro*] Ob crepitum ardentis laurí.

Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo; hunc lora et juga subter
Provolvere rotæ: crebro super ungula pulsu
Incita, nec domini memorum, proculcat equorum;
Ille ruenti Hyllo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Graium fortissime, Creteu,
Eripuit Turno; nec Di texere Cupencum,
Ænea veniente, sui; dedit obvia ferro
Pectora; nec misero clypei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi

jactantem avos et vetera nomina avorum et omne genus deductum per reges Latinos: rotæ propulerunt ipsum subter juga et habenas, præterea protriverunt eum *ungulæ multo pulsu incitatæ equorum immemorum domini. Ille* Turnus *occurrit Hyllo irruenti et dire sævienti animis, et librat jaculum ad tempora* tecta casside *aurata: hasta stetit illi* in *cerebro perfosso per galeam. Nec tua dextera servavit te* a *Turno,* o *Creteu fortissime Græcorum; nec Dii propitii protexerunt Cupencum, Æneæ irruente;* ille *obtulit pectus obvium ferro, nec mora clypei ærei profuit*

Hamb.—529. *sonantes* Hugen.—530. *que* abest Parrhas. Zulich. et Exc. Burm.—531. *ingenti* Rom. et Donat. cum Goth. sec. *immanis* Zulich. *t. montis* pro var. lect. Oudart.—532. *Excipit* Medic., quod malim amplecti. *Excutit* accipiendum pro, percutit. *Hinc* sec. Rottend.—533. *Involvere* Goth. sec., ut sup. v. 292 *oppositis a tergo involvitur aris.* In fine versus idem: *cursu*, tert. *passu.*—534. *memorum domini* Parrhas.—535. *Ilo* vel *Hilo* ante editum. *Hyllo* Heinsius e Medic. et Mentel. restituit: notum nomen; accedit aliorum: *Hylo.*—536. *ærata* tentabat Jo. Schrader., quia solennius hoc. *in tempora* Zulich.—537. *fixa* aliquot Pier., ex interpolatione eorum, qui non viderunt, *fixo* esse ex Virgilii more pro *transfixo* cerebro. Recepit tamen *fixa* Cuningham.—538. *Rheteu* alii apud Pierium; alii *Reteu, Rhæteu,* quod esset Ῥαιτεύς, *Cretheu, Cereu. Creteu* statim a principio editum. Præferendum tamen hic erat *Cretheu,* quod Rom. et Medic. tuentur; et est notum nomen Κρηθεύς; alius ejusdem nominis jam sup. IX, 774 erat memoratus. Bis autem poëtam eodem nomine uti in obscurioribus his viris quid vetuit?—539. *Cupencum* ex scriptis Pier. et suis restituit Heinsius. Accedit Servius: 'Sane sciendum, Cupencum Sabinorum lingua sacerdotem vocari.' Est adeo Italicum nomen: et repetiit Silius IV, 537. Vulgo *Cupentum* legebatur: *Tupentum* ed. pr. Burm.—541. *miseri* Goth. tert. *æris* Rom. Medic. et alii Pier. et

NOTÆ

531 *Turbine saxi*] Saxi, in modum ventosi turbinis rotati.

540 *Sui*] *Faventes:* supra 187.

542 *Laurentes campi, &c.*] Æn. VII. 68. *Argivæ,* Græcæ, Peloponnesiacæ, Æn. I. 288. *Meta,* terminus, a circi metis, Æn. v. 288. *Ida,* mons Troadis et Phrygiæ, Æn. II. 801. *Lyrnessus,* urbs Phrygiæ, circa sinum Adramittenum, quo usque Idæ juga extendebantur, Æn. X. 128.

Oppetere, et late terram consternere tergo;
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles;
Hic tibi mortis erant metæ; domus alta sub Ida;
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totæ adeo conversæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equum domitor, et fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Evandrique Arcades alæ.
Pro se quisque, viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.
Hic mentem Æneæ genetrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen

misero. Te etiam, o Æole, agri Laurentini viderunt mori, et late tegere terram dorso. Moreris tu, *quem Græcæ catervæ non potuerunt dejicere, nec Achilles vastator regnorum Priami. Illic erat tibi terminus mortis: domus sublimis* erat *sub Ida, domus sublimis* in urbe *Lyrnesso; tumulus* in *terra Laurentina. Toti etiam exercitus permixti* sunt, *et omnes Latini, et omnes Trojani: Mnestheus, et ardens Serestus, et Messapus subactor equorum, et fortis Asylas, et exercitus Tuscorum, et equitatus Evandri Arcadis: homines* illi *singuli pro se contendunt toto impetu virium: nec* est *mora, nec cessatio; certant immani prælio. Tunc mater Æneæ formosissima immisit* ipsi *consilium, ut accederet ad muros, et admoveret exercitum urbi*

Heins., omnesque Goth. Erf. cum edd. vett. et Schol. Statii Theb. I, 102. Erroris causa in promtu est. *ærei* lectum est jam inde ab Ald. pr.—542. *campis* Medic.—543. *lato* pr. Hamb. et Exc. Burm. cum Goth. sec., sicque olim conj. Heinsius: minime probandum. Nam *τὸ late* efficacius ad magnitudinem declarandam, et amat id poëta. *terræ* Ven.—545. *versor* pr. Hamb. *everor* Leid.—547. *Lyrnessi*, verum. Quis non ex Homero novit? Depravationes vide apud Burmann.—548. *Tota* Par.—551. *phalanx* Dorvill. et h. l., scilicet ex corrupto pronuntiandi genere superiorum ætatum. *Arcades* reposuit Heins. e codd. suis et Pier., ut sup. XI, 685, dederat tamen jam idem Commelin. e Pal. Vulgo: *Arcadis*.—552. *Pro se quisque viri:* verba repetita ex lib. V, 501. Exemplum ex Attio in Meleagro laudat Ursin., ubi etiam *Pro se quisque:* quod inter imitationis exempla perperam refert. Etiam alterum hemistichium Ennianum esse Servius monet: *summa nituntur opum vi:* etiam Macrob. VI, 1, p. 573. cf. sup. IX, 532.—553. *summo c.* Bigot. e sup. versu.—554. *Hinc* duo Mentel.—555. *everteret* Goth. tert.

NOTÆ

551 *Tuscorum, &c.*] Etruscorum, Æn. VIII. 479. *Phalanx*, peditum agmen, Æn. VI. 489. *Alæ*, equitum Æn. XI. 604. Hi omnes aut Trojani aut Trojanorum socii, præter unum Messapum, Turni socium, Æn. VII. 691.

552 *Opum vi*] Omni industria, virtute, armis, Æn. IX. 532.

Ocyus, et subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; aspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago;
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,
Ductores, tumulumque capit; quo cetera Teucrum
Concurrit legio; nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora. Jupiter hac stat.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini,
Ni frænum accipere et victi parere fatentur,
Eruam, et æqua solo fumantia culmina ponam.

celeriter, et percelleret Latinos improvisa strage. Ille Æneas *postquam circumjecit oculos huc et illuc, quærens Turnum inter turmas remotas; videt urbem expertem tantæ pugnæ et tranquillam absque damno. Statim species majoris prælii inflammat* eam. *Vocat duces, Mnestheum, et Sergestum, et fortem Serestum; et conscendit collem, quo reliquus exercitus Trojanorum congregatur, et spissi non dimittunt clypeos aut jacula. Ipse medius* inter illos sic *loquitur erectus alto* e *tumulo: Ne sit ulla mora meis jussis: Jupiter hac* parte *stabit* pro nobis; *et ne ullus mihi sit inertior ob repentinum consilium. Nisi* hostes *volunt admittere frænum et superati obedire, hodie evertam urbem, causam belli,* et *ipsum regnum Latini, et sternam*

—556. *cæde* duo Rottend. *Latinus* Goth. pr.—558. *aciem* multi apud Burm., propius ad vulgarem formam de acie oculorum. Sed *ad nostras acies* Lucret. aliquoties.—559. *quietem* Rom.—560. *accendit pugnæ* Goth. tert. *accedit* ed. pr. Burm. *Mavortis* Hugen. *origo* Zulich. a m. pr.—561. *Serestumque v. f. Cloanthum* Parrhas., interpolate ex Æn. I, 226, 514 et al. locis. cf. ad I, 615. IV, 288. *Serestus* indubitate legitur X, 541.—562. *rapit* ed. Ven. Burm.—563. *scuta et sp.* ed. pr. Burm. *haut sp.* Goth. tert. *fessi* Zulich. a m. sec.—564. *medio* pr. Menag. et Goth. tert. sic saltem *Celsus medio* esse debebat. —565. *hic stat* Donatus ad Terent. Phorm. II, 1. *astet* Zulich. a m. pr. *astat* Erf.—566. *Ne, Nec, Heu quis,* aberratur.—568. In Oblongo vs. 569 ante hunc erat collocatus. *et dicto p.* Sprot. et alii apud Burm. cum binis Goth. Petitum ex lib. III, 189, ubi vide. *Urbem* et *victi* ad sensum, non grammatice, positum. Ceterum hunc versum quosdam per figuram Græcam exposuisse, observat Servius, ut esset: ὁμολογοῦσι μέλλειν λαβεῖν. Sane ad vulgarem formam erat: *ni fatebuntur se velle accipere.* Sed mutato tempore et omissione τοῦ *velle* opus erat, ut a vulgari recederet oratio.—569. *f. fulmina* Vratisl.—

NOTÆ

558 *Acies*] Oculorum acies intelligit Servius, alii varias exercitus partes. *Urbem*, Lanreutum, Æn. VII. 63.

563 *Nec scuta....Deponunt*] Mos notatur militum Romanorum, qui armati concionantem imperatorem audiebant: a quo more sæpe Græcos discedere solitos ostendit Cerdanus.

565 *Jupiter hac stat*] Jupiter, vin-

Scilicet expectem, libeat dum prælia Turno
Nostra pati; rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces propere, fœdusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum; densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improviso, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque Deos, iterum se ad prælia cogi;
Bis jam Italos hostes; hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare jubent, et pandere portas

tecta fumantia æquata terræ. Nempe expectabo, dum placeat Turno pugnam ferre nostram, et dum *victus iterum velit congredi mecum? Hæc* urbs, *o cives,* est *caput, hæc summa belli scelerati. Celeriter inferte faces, et ignibus repetite* fidem *fœderis.* Sic *dixerat: et omnes animis una pugnantibus formant cuneum, et spissa multitudine irruunt in muros. Repente scalæ et subitus ignis visus est. Alii incurrunt ad portas et occidunt obvios: alii librant jacula, et obscurant aërem sagittis. Ipse Æneas inter primos protendit dexteram ad muros, et increpat alta voce Latinum; et attestatur Deos, se rursus cogi ad pugnam, Italos jam bis hostes* esse, *hæc secunda fœdera violari. Dissensio nascitur inter cives timidos: alii jubent* suos *recludere*

571. *rursumque* Zulich.—572. *Hæc* qu. Moret. *Hic* pr. Hamb. *Hoc capit* Goth. tert. *O capita, o cives* Zulich. *o duces* Mentel. pr. *hoc belli* sec. Rottend. et Dorvill. Mira vitia, quæ ascribere piget. vid. Not.—573. *properi* plerique Pier., doctius; ut sup. v. 85, item Menag. pr. a m. pr. pr. Hamb. cum Erf. et obtemperavit Wakef. *reponite* ed. pr. Burm.—575. *cuneos* sec. Moret.—577. *primosque fatigant* pr. Moret. alter Hamb. cum Oblongo Pierii. —578. *intorquent* idem et in fine *pennis.*—579. *dextra* Ven.—581. *Testaturque Deos se invitum ad* lectio e Donato a Ge. Fabricio illata recte iterum ejecta est ab Heinsio. *in prælia* Goth. tert.—582. *Bis victos hostes* Oudart. *hæc*

NOTÆ

dex violatæ fœderum religionis, hac parte stat a nobis: siquidem nudam et indefensam urbem nobis objicit.

575 *Dant cuneum*] Sese in cunei figuram componunt: quæ, prima fronte acuta, tum magis ac magis in latitudinem secundum latera explicatur. Lipsius, de militia, l. IV. 7.

582 *Hæc altera fœdera rumpi*] Primo enim Latinus ultro Æneam socium et generum asciverat, Æn. VII. 259. Secundo, singulare certamen Turni cum Ænea facto fœdere constituerat, supra 195.

Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem;
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros:
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro;
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis; tum murmure cæco
Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare;

urbem et aperire portas Trojanis, et trahunt ad muros ipsum regem; alii inferunt arma et pergunt tutari muros. Veluti quando pastor quæsivit apes inclusas in cavernoso saxo, et implevit eas *fumo amaro; illæ timentes rebus* suis *volitant intus per suas domos, et excitant iram* suam *magnis fremitibus; dirus odor diffunditur domo, et saxa resonant intus obscuro murmure; fumus exit in aërem apertum. Præterea calamitas ista contigit Latinis fatigatis, quæ turbavit penitus dolore totam urbem. Regina, quando vidit hostem accedentem* ad *domos, muros infestari, flammas*

jam altera Medic. a m. sec., nervosius utique Heinsio judice.—585. *trahant* pr. Moret., quod Heinsio impense arridebat, et Wakefield cupide arripuit, ut *jubent* modo cum infinito jungatur, nunc cum conjunctivo. Est sane prior junctura Maroni perpetua; occurrit tamen quoque altera: X, 54 *magna ditione, jubeto, Carthago premat Italiam.* Ecl. V, 15 *tu deinde jubeto certet Amyntas. in prælia* alter Hamburg.—586. *Arma fremunt* Bigot., ut simile sit illi: *fremit arma juventus.* Lapsus librarii non infelix! lapsus tamen. nam h. l. tumorem habet Statii aut Claudiani. Placuit tamen Wakefield. *et* deest Hugen. et Parrhas.—587. *Inclusas veluti l.* Medic. et pr. Hamb. *in* abest Hamb. sec. et ed. pr. Burm.—588. *Investigat opes* a m. sec. Hamb. pr.—589. *per cerea claustra* Goth. tert., minus eleganter. *Cerea castra* hinc petivit Claudian. de R. P. II, 125. 126.—590. *alas* Zulich. a m. sec. Qui lectionum varietatem captat, potest huc advocare Ge. IV, 202. 203, sed est vitium ex altero natum: *eras*, quod alter Menag. adhuc habet. *iram acuere* etiam pedestris oratio frequentat.—591. *Solvitur* Goth. tert. *intus odor* sec. *castris* alter Menag. *nunc* ante Heins. lectum. *tunc* nonnulli: *et* alii. Sed *tum* jam Pier. e suis commendaverat.—592. *in auras* tres apud Burmann.—593. *hic fessis* Goth. sec.—594. *totam in l.* Parrhas. *tanto in luctu* Hugen.—595. *venientes p. hostes* Dorvill. *conspicit* Oblong. et alii Pier., perperam.—596. Turbatum in prima voce. *Incessi* vett. edd., et in his Egnat. e Servio. *Incendi* propagatum inde

NOTÆ

585 *Ipsumque trahunt, &c.*] Trahunt ad muros Latinum regem suum; vel ut summi discriminis spectator urbem ipse Trojanis aperiendam esse intelligat; vel ut violator fœderis ipse Trojanis dedatur.

587 *Pumice*] Cavo lapide, Æn. V. 214.

589 *Trepidæ rerum*] Æn. I. 182. *Fessi rerum.*

596 *Incessi muros*] Infestari ab hostibus imminentibus. Ita lego cum

Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni;
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Extinctum; et, subito mentem turbata dolore,
Se causam clamat, crimenque, caputque malorum;
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ;
Filia prima manu flavos Lavinia crines

volare ad culmina, exercitum Rutulum nullibi comparere *contra, nullas turmas Turni; misera putat juvenem occisum* esse *in contentione prælii; et commota repentino dolore* secundum *animum, fatetur se* esse *causam et scelus et originem calamitatum; et amens locuta plurima ex tristi furore, lacerat manu vestes purpureas moritura, et suspendit ex alta trabe laqueum fœdæ mortis. Postquam Latinæ* mulieres *infelices cognoverunt hanc mortem; filia* ejus *Lavinia, prima lacerans manu*

ab Ald. pr. Hinc utrumque passim editum, a nonnullis, ut a Cerda, *Inscendi*, ex emendatione Canteri non mala, si ex libris nihil haberemus, quod probari posset. In multis Pier. et in Heins. fere omnibus, add. Erf., *Incendi* occurrit; quod ex *Inscendi* natum videtur; in Rom. *Incensi*, in aliis Pierianis *Incessi*, quod et in Medic. a m. sec. (nam pr. *Incedi* dederat) et unus Mentel. pro var. lect., item bini Goth. (in tert. *Incendi*) exhibent. Firmat id Servius: *Incessi*, invadi, cum Arusiano Messio et Eutyche apud Heins. et imitatio Statii XI Theb. 361, iterum occupavit edd. per Commel. Steph. Plant. *ignis ad* Heins. e Medic. et al. Vulgo *ignesque ad*. In Zulich. erat *ignem at t.*—598. *juvenem pugnæ* pr. Hamb. et Gud., quem verborum ordinem malim, ne ambigua sit sententia. Jungendum enim *in pugnæ certamine*. Tum *in* abest Gud. et quibusdam Pier. *a certanine* Rom. *in certamina* Ven.—599. *et* abest Gud. et pr. Menag. *dolore est* Goth. tert.—600. *exclamat* ed. Junt.—601. *efflata* vel *afflata* item *dolorem* in nonnullis Pier.—602. *discingit* Goth. sec.—603. *Ac* apud Lactant. de Persec. c. 30. *infamis* Vratisl. et Dorvill. *informem* Zulich. a m. pr. *ab alto* Gud. a m. pr.—604. *postquam miseræ* Goth. tert.—605. *flavos* omnes Pier. et, quantum video, Heinsiani omnes. *floreos* ex scriptis nulli præterquam quos Giphan. Ind. Lucret. excitat, et quod in Leid. ac Mentel. pr. *floros* fuisse suspicatur Burm. et retulit in areolas suas Wakefield. Servius tamen: "Antiqua, inquit, lectio *floreos* habuit, id est florulentos, pulchros; et est sermo Ennianus. Probus sic annotavit: neotericum erat *flavos;* ergo bene *floreos:* nam sequitur: *et roseas laniata genas.* Accius

NOTÆ

Pierio, ex veteribus codicibus. Vulgo legitur, *incendi*, quod pleonasmum efficeret; sequitur enim, *ignes ad tecta volare*. Canterus legit, *inscendi*, legitimo sensu, nullo tamen auctore.

602 *Purpureos amictus*] Qui color regius est. De *purpura*, Ge. II. 506.

603 *Informis leti*] Suspendium informe et ignominiosum fuit: quia ex libris Pontificalibus apud Servium, suspensi abjiciebantur insepulti: quia, ex Varrone apud Servium Danielis, iis non parentabatur, nisi suspensis oscillis, quasi ad ludibrium mortis: quia, ex Artemidoro, hos unos in mortuorum cœnis cognati non nominabant.

An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem,
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? et Turnum fugientem hæc terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? vos o mihi Manes
Este boni: quoniam Superis aversa voluntas.

res crudelem necem infortunati fratris tui? *Nam quid facio? aut quæ sors promittit jam* mihi *salutem? vidi ipse præ oculis meis Murranum, quo nullus alius superest mihi carior, magnum et magno occisum vulnere mori vocando me. Occidit miser Ufens, ne videret nostram infamiam; Trojani habent cadaver* ejus *et arma. An feram everti domos? hoc unum deerat miseriis; nec refutabo manu criminationes Drancis? Vertam terga? et hæc terra spectabit Turnum fugientem? An eo usque calamitosum est mori? o vos* Dii *inferi, estote mihi propitii, siquidem voluntas cœlestium in-*

---

quod et ipsum ferri potest; et reposuit Wakef.—636. *miseri fratris* apud Macrob. IV, 2.—637. *Nam quid ego?* Montalb. pr. Hamb. a m. sec., sicque ed. P. Danielis; et placere potest. Cf. tamen X, 675. *aut quam jam* Mentel. a m. sec. *spondit* Gud. *spondet jam* Dorvill. et Goth. pr. Totus versus deerat Regio.—638. *oculos ipse ante meos* Zulich. *oculis meis* quidam editi apud Quintil. IX, 3, p. 812, quo Burmannus remittit super hoc loquendi genere.—639. *quod* Reg. *non fuerat* Medic. a m. pr. et pars codd. ap. Burm. cum Goth. sec. Vulgare pro doctiore: *superat* pro est. cf. III, 339 et al.—640. Idem fere versus sup. lib. X, 842.—641. *nostrum ne* Wakef. e cod. Coll. Jesu, utpote suavius. *Urens, Ufens*, aberratt.—644. *ne D.* Menag. pr. *dextra Drancis hæc* Parrhas. *Dranci* maluerat olim Heins., forte tanquam magis poëticum.—645. *et* aberat Leid. Mentel. pr. Moret. sec. et Reg., quod placet. *videbo* Rom.—646. *est* abest Goth. tert.—647. *adversa* Medic. Gud. et multi alii ap. Burm. cum tribus Goth. et ed. pr. et Mediol., perperam. *aversa* recte jam in edd. Venetis. Sensus: quoniam Deorum superorum voluntas, numen

NOTÆ

639 *Murranum*] Regii sanguinis virum, occisum ab Æneа, supra 529. *Ufens*, dux Æquicolarum, Æn. VII. 745. occisus a Gya Trojano, supra 460. *Teucri*, Trojani, Æn. I. 239. *Drancis*, Latini principis, Turno infesti, qui ipsi fugam publica oratione objecerat, Æn. II. 336.

646 *Usque adeone mori, &c.*] Moriar quidem; sed mori malo quam ea me viventem culpa maculare, quod fugerim, quod urbem deseruerim: neque enim adeo misera res est mori. Ergo Manes, Dii inferi, excipite me propitii, siquidem Superi mea non amplius curant. Quibus verbis devovet se pro patria. De *Manibus*, Æn. VI. 743.

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat; medios volat, ecce, per hostes
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Æneas armis, summasque minatur
Dejecturum arces Italum, excidioque daturum;
Jamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.

fenea est mihi. *Pura anima et ignara hujus sceleris, descendam ad vos, nunquam indignus claris patribus. Vix ea locutus erat: ecce Sages vectus equo spumante accurrit per medios hostes, vulneratus sagitta* secundum *vultum adversum; et accurrit invocans Turnum nomine: Turne, ultima salus in te* est: *miserere tuorum: Æneas tonat armis, et minatur se eversurum et daturum exitio altas arces Italorum: et jam tædæ volant ad culmina: Latini conjiciunt in te vultus, in te oculos: ipse rex Latinus dubitat, quem appellet generum, quam ad societatem se vertat. Insuper ipsa regina, fidissima tibi, occidit sua manu, et attonita deseruit vitam. Messapus et ardens Atinas soli ante portas sustinent prælium: densa agmina circumstant illos utrimque, et seges ferrea rigescit nudis ensibus: tu volvis currum in solo*

aversum est, vos, o Dii inferi, sitis mihi propitii.—648. Pro *Sancta* Goth. tert. *Casta*, forte pro *Casta;* sed alterum eodem sensu plus dignitatis habet. Sic et ὅσιος pro ἁγνός. *nescia* idem Goth. tert. cum altero Menag. Macrob. III, 2 et ed. pr. Burm. Reliqui scripti et editi constanter *inscia*, quod cur poëta, metro vi illata, maluerit, equidem ignoro.—649. *Descendet* Dorvill.—650. *volat ille* Hugen.—651. *Saces* Heins. e Medic. et aliis vetustioribus. Vulgo *Sages*. aliquot *faces* —655. *Dejecturum* Sprot. et Leid., vitiosius Ven. *Devecturum*. *Italis arces* Montalb. *excidiumque* pr. Moret.—656. *Ad te ora* ed. pr. Burm.—658. *in fœdera* pr. Hamb. a m. sec. *flectet* Leid. *mittat* Oblongus, non male: *se mittat*, demittat, inclinet.—659. *tua f.* alter Hamb. *tuis* Bigot. —661. *Atinas* jam sup. XI, 869 commemoratus: in aliquot Pier. et Burm. *Asylas*, quia is et supra cum Messapo jungebatur, v. c. v. 550; et hinc in aliis corrupte *Asilas*, *Asilus*, *Asillas*, *Atiras*.—662. *acies* Medic. et alii ap. Burmann. —663. *Sages* Zulich.—664. *diverso in* Ven. Interrogationem alii apponunt.—

NOTÆ

637 *Mussat*, &c.] Vix audet loqui, dubitat. Æn. XI. 345.

662 *Phalanges*] Pedestres copiæ, Æn. VI. 489.

Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit. Æstuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Ut primum discussæ umbræ, et lux reddita menti;
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat:
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo Deus, et quo dura vocat Fortuna, sequamur.

gramine. Turnus obstupuit turbatus varia specie rerum, et constitit tacite intuens: ardet magnus pudor in intimo corde, et amentia mixta dolore, et amor commotus furore, et virtus sibi ipsi *cognita. Statim atque tenebræ dissipatæ* sunt, *et lumen redditum* est *animo; turbatus vertit ad muros orbes oculorum inflammatos, et e curru respexit ad magnam urbem. Ecce autem torrens flammarum elapsus inter contabulationes erumpebat ad cælum et hærebat turri, turri quam ipse struxerat trabibus conjunctis, et supposuerat* ei *rotas, et applicuerat altos pontes. O soror,* inquit, *jam jam fata vincunt: desine retinere* me: *eamus, quo Deus, et qua adversa*

666. *obtutu* aliquot apud Burm. conf. VII, 250.—667. *Uno in corde* recepit Heins. e melioribus etiam h. l., ut sup. X, 871, ubi iidem versus legebantur. Valgo, *Imo in c.*, quod majorem vim habere in tali loco nemo dubitet, etsi alterum exquisitius dictum concedam, pro, una in eodem corde. Cumque ea lectio *unus* et *imus* semper incerta fluctuare soleat: alteri non tantum tribuendum arbitror, ut *Imo* expellatur. Nolui tamen iterum mutationem inferre, et lectorem turbare. *Una* Sprot. sec. Moret. Dorvill. *in corde dolor* uterque Hamb. a m. sec. Bigot. Goth. tert. *mixtaque* Goth. sec. *vesania* Reg.—668. *At F.* tert. Goth. *agitatur* alter Hamburg.—669. *et vox* aliquot Burm. In fine *est* Medic. et aliis deerat: hincque sublatum ab Heins.—670. *oc. acies* Goth. tert. et Dorvill., sed hic alterum in marg.—671. *ad m. respicit u.* alter Hamburg. *prospexit* Ven. *conspexit* Leid.—672. *volutis* Leid. et Hugen. ad vulgarem formam. Wakef. interpungit: *Ecce autem flammis, inter tabulata volutus, Ad cælum undabat vortex.* nec hoc male.—673. *petebat* pro div. lect. prior Hamburg. et Zulich.—674. *compactam* alter Hamb. et Dorvill. *qua* Goth. sec. *duxerat* Parrhas. et Montalb., perperam. vid. sup. VI, 630.—675. *instraverat* lectum inde ab Ald. tert. firmatumque codd. Pier. et Heins. *intraverat*, vitiose, ed. Dan. Heinsii. At *instruxerat* edd. vett. cum Mediceo Pierii, Dorvill.

NOTÆ

666 *Æstuat ingens, &c.*] Hos animi motus totidem verbis ac versibus jam tribuit poëta Mezentio, Æn. X. 870.

672 *Tabulata*] Turres erant ligneæ, variis contabulationibus eductæ, pontibus inter se conjunctæ, rotis impositæ, ut pro rerum necessitate alio atque alio advolverentur.

Stat conferre manum Æneæ, stat, quicquid acerbi est,
Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ocyus arvis;
Perque hostes, per tela ruit; mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti, montis saxum de vertice præceps
Cum ruit, avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultatque solo; sylvas, armenta, virosque
Involvens secum: disjecta per agmina Turnus

fortuna vocat me. *Deliberatum est* mihi *conserere manum* cum *Æneæ, deliberatum est tolerare quicquid est asperi* in *morte: nec me videbis ulterius inglorium, o soror: precor permitte me exercere hunc furorem ante* mortem. Sic *dixit, et statim desilit e curru* in *agros: et irrumpit per hostes, per arma: et relinquit tristem sororem, et celeri cursu dejicit media agmina. Et quemadmodum quando saxum abruptum vento cadit pronum e montis cacumine, sive pluvia repentina exedit* illud, *sive vetustas dissolvit tempore labente: mons* ille *vastus cadit in abruptum magno impetu, et subsilit humi, rapiens secum arbores, pecora, et homines: sic Turnus inter*

Goth. pr. Erf.; mutatum idem in nonnullis in *extruxerat*.—678. *acerbum est* Serv. ad Æn. II, 750. Sicque Goth. pr. Tum melius, puto, interpungitur post *Morte*, ut sit: *Stat, quicquid acerbi est Morte, pati*.—679. *neque me* Reg. Parrhas. bini Goth. et Probus in Grammatica: sicque editum a Cuninghamo. *non indec.* Dorvill.—680. *Hoc* pr. Hamb. *luere* Zulich. a m. pr. In archaismo in *furere furorem* nemo hærebit; sed, quod a viris doctis illustratum et expositum volebam, hoc erat: quam vim h. l. habeat *ante*. Servius exponit: "prius quam ad eum veniam, ut pugnam mente concipiam et instructus furore in bella prorumpam." Digna Grammatico interpretatio, non poëta! Cerda: *priusquam moriar* supplet; quod æque putidum. Atqui in his et similibus obmutescunt summi viri. Nisi vitio coinquinatus est versus, est utique inter eos, quos poëta, donec emendaret, rudere, ne hiarent, complevit. Alias facile poterat succurri: *sine me furere, alma, furorem*, vel *sine me insanire furorem*. Certe *ante* prorsus alienum. Sine me, o soror, indulgere furori huic meo, hoc est iræ, virtuti, ut congrediar cum Æneæ, etiam si fatalis mors instet.—681. *a curru* pr. Hamb. *armis* sec., sed *arvis* est ex more poëtæ, in arva, in terram, χαμάζε.—682. *et tela* tres Burm.—683. *trepido* Goth. tert.—685. *ventis* sec. Moret.—686. *Proruit* Bigot. *Profluit* tres apud Burm. *sublata* duo ibid., sicque ap. Schol. Cruqu. Horat. III Od. 30. *sublaxa* Goth. pr. *subcassa* Parrhas.—687. *magno tunc* ed. pr. Burm. *ictu* ed. ead., tum multi codd. Pier. Heins. et Goth. sec., nonnulli a m. sec. Sed hoc Pierio placere non debebat. *agi*, moveri, deturbari, docte dictum: hincque *actus*.—689. *Dejecta* Oudart. et Zulich., perpetua varietate; vide modo v. 655.—

NOTÆ

680 *Furere furorem*] Græca locutio, cujus multa exempla suppeditat Cerdanus.

687 *Improbus*] Magnus, &c. Ge. I. 146. 'Labor omnia vincit Improbus.'

Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus auræ;
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini;
Quæcumque est Fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis fœdus luere, et decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces;
Præcipitatque moras omnes; opera omnia rumpit;
Lætitia exultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Cum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.

agmina disturbata currit ad muros urbis: ubi multa terra tincta est fuso sanguine, et aër stridet sagittis: et signum facit manu, et simul alta voce incipit loqui: *Abstinete jam,* o *Rutuli, et vos Latini cohibete arma: quæcumque est sors* hujus pugnæ, *mea est: justius* est *me solum implere fœdus pro vobis, et dimicare ferro. Omnes* qui erant in *medio recesserunt, et fecerunt spatium. At pater Æneas, audito nomine Turni, relinquit muros, et relinquit altas turres: et accelerat omnes moras, et abrumpit omnia opera, exultans gaudio, et horrendum sonat armis. Quantus* est *Athos, aut quantus* est *Eryx; aut quantus* est *ipse pater Apenninus, quando sonat*

691. *striduntque* ad vetustiorum Pier. et suorum ductum Heins. reposuit. Vulgg. *stridentque*. vid. sup. IV, 689 et Ge. IV, 556. *que* aberat Sprot.—692. *increpat ore* facile cuique in mentem veniat: sic tamen poëta hic noluit: ut tot alia, argutius dicta, quibus carere maluit.—694. *me justius unum* Sprot. ex glossa.—696. *mediis* Dorvill.—700. *exsultat* Ondart. et Sprot. *horrendisque* Parrhas. *insonat* pr. Hamb. a m. sec. vid. sup. VIII, 239 et al.—701. *Athos* Medic. et alii; atque sic Ald. sec. et cett. At veteres edd. cum codicum majore parte *Athon:* quam male Servius pro vera lectione venditabat, metro perperam metuens. Est Ἄθως. Monuit quoque Benedictus. *et*

NOTÆ

694 *Verius*] *Æquius.* Livius l. XXXII. 38. Sociorum 'audiri postulata verum esse.'

701 *Athos*] Mons Macedoniæ, imminens mari Ægæo, Ἄθως, ultima longa, nunc *Monte Sancto.* Ge. I. 332. *Eryx*, mons in Sicilia post Ætnam maximus, nunc *S. Juliani:* Æn. III. 707. Æn. V. 759.

703 *Apenninus*] Montium perpetua series, ex Alpibus propagata, in Liguribus circa Genuam incipiens: tum continuo dorso mediam Italiam secundum longitudinem intersecans: et ad fretum Siculum desinens. *Pater* dicitur, tot sylvarum, tot fluminum, quæ in utrumque latus Italiæ ex eo erumpunt. Vel ob dignitatem, quia montium omnium Italiæ maximus est. *Ilex, yeuse,* arbor e querno genere. *Coruscis ilicibus,* foliorum motu coruscantibus. Æn. I. 168.

Jam vero et Rutuli certatim, et Troës, et omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros;
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentes, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus

ikcibus mobilibus, et gaudet tollens se nivoso cacumine in aërem. Tunc autem et Rutuli et Trojani et cuncti Itali certatim converterunt oculos, et qui defendebant sublimes muros, et qui quassabant ariete muros infimos: et demiserunt arma ex humeris. Ipse Latinus obstupescit, magnos illos *viros ortos e disjunctis regionibus terrarum congredi inter se et dimicare ferro. Illi autem, postquam campi aperti sunt spatiosa planitie, celeri incursu procul vibratis hastis incipiunt pugnam clypeis æreis sonanti-*

---

quantus Reg.—703. *se tollens* Goth. tert.—705. *qui alta* et *qui imos* Dorvill.—706. *altos* Oudart. *abiete* Moret. sec.—708. *Ingentes* ante Heins. *Tum diversi partib. orbis* Maronis mos postulat. Sicque jam conj. Heins.—709. In Heinsianis et Burm. *coisse* vitiose expressum. Ceterum memorabile exemplum hic versus prodit librorum in manifestam corruptelam conspirantium; quo quis abuti possit ad auctoritatem codicum elevandam. Legitur enim in Romano juxta ac Mediceo, et in ceteris Pierianis et Heinsianis omnibus, it. in Erf., adversus metrum: *viros et decernere ferro*. Unus erat Pier., a quo aberat *et*, quod et Goth. sec. ignorabat cum aliis, quos Ursin. viderat, qui et Faërnum sic emendasse testatur. Sequuntur codicum vitium edd. vett., quantum video, omnes, exceptis iis, quæ ex Egnatii recensione Ven. 1507 profectæ, in quibus *et cernere*: hoc etiam Ge. Fabricius recte repetiit, hincque alii. Auctoritatem faceret jam per se satis magnam ratio poëtica: sed *cernere* etiam firmat Seneca Ep. 58, tum Quintil. et Priscian., teste Heinsio, inprimis autem Servius, docta in Nota ad h. l., et *cernere* etiam a m. sec. in Mentel. erat emendatum. Post virorum doctorum observationem nunc constat, *cernere*, κρίνειν ἀγῶνα, pro decernere, jam Ennio esse frequentatum. conf. Heins. ad h. l. cum Cerda et Burm.—710. *p. pulvere* Zulich. a m. pr. Jo. Schrader. tentabat: *ut vacui patuerunt æquora campi*.—711. *conjectisque* Medic., ut Heins. tradit. Sed Fogginii diligentia dedit a m. pr. *colectique*, et a sec. *conlectis*: hoc etiam Rom. exhibebat. Etiam Bigot. *collectis*, Goth. tert. *dejectis*.—712. *simul ære* sec. Menag.—713. *crebris ictis* Medic. (a m.

NOTÆ

706 *Ariete*] Machina, quassandis muris comparata, Æn. II. 492.

709 *Cernere ferro*] Testatur Pierius codices antiquos fere omnes habere, *et decernere ferro*, ita ut in versu syllaba redundet. Tamen Seneca legit *cernere*: sic enim Ep. LVIII. 'Quædam simplicia in usu erant, sicut cernere ferro inter se dicebant: Virgilius hoc probabit tibi,' &c. Muretus hujus item locutionis exempla affert, ex Ennio et Actio.

712 *Clypeis atque ære sonoro*] Clypeis æreis, ictuum inflictu sonantibus. Sic Ge. II. 192. 'Pateris libamus et auro.'

Congeminant. Fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut, ingenti Sila, summove Taburno,
Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Æneas et Daunius heros
Concurrunt clypeis. Ingens fragor æthera complet.
Jupiter ipse duas æquato examine lances

bus: terra reddit gemitum: deinde infligunt gladiis frequentes ictus: sors et fortitudo confunduntur simul. Et quemadmodum in *magna Sila, aut alto Taburno, quando duo tauri obversis capitibus congrediuntur in certamen hostile, pastores timidi fugerunt: armentum totum manet tacitum* præ *timore, et juvencæ mugientes* expectant, *quis dominetur armento, cui tota armenta pareant: illi confundunt inter se plagas multo robore, et obluctantes infigunt cornua, et tingunt colla atque humeros multo sanguine: tota sylva reboat gemitu. Non aliter Æneas Trojanus et heros Dauni filius incurrunt* in *clypeos: magnus fragor ferit cælum. Ipse Jupiter librat duas lances examine æquato, et addit* lancibus *fata opposita amborum:* ut

pr. et Gud. a m. pr.—714. *Congeminat* sec. Rottend.—715. *Sila* diserte Medic. et al. In aliis, et in edd. vett., necnon in Servio *Syla*. In Rom. *sylva*, ut supra erratum Ge. III, 219, et ut h. l. ab aliis errari Servius monet. *Sylla* Dorvill. a m. sec. *sub monte Taburno* ap. Serv. ad Ge. III, 219. —716. *conversi* alter Menag. *diversis* Menag. pr. et Goth. tert. *c. inter se prælia* Zulich. a m. pr. *in* abest alteri Menag.—719. *Quis nemori* Heins. tandem restituit e Medic., tum Rom. aliisque Pier.; adde Goth. sec. Vulgo lectum: *Quis pecori*. Porro *imperet et* aliquot Pier. et Burm. *sequuntur* Sprot. et duo alii Burm.—720. *prælia miscent* Gud. Sed alterum figuratius.—721. *infigunt obnixi* Parrhas.—722. *rigant* Oudart. a m. sec., ex interpretamento *roũ lavant. lavunt* aliquot Pier.—723. *Non aliter* duo Goth. et pars Pier. *Lavinius heros* pr. Moret.—724. *fr. a. pulsat* Oblong.—725. *Jupiter ille* Bigot., ut toties. vid. lib. VII, 110. *ex agmine* Parrhas. Goth. pr., ut toties alibi. *æquato pondere* Goth. tert.—

NOTÆ

715 *Sila.... Taburno*] *Sila*, sylva ingens Apennini montis, adhuc nomen antiquum retinens, in Brutiis nunc *Calabre citerieure*; circa Consentiam urbem, quæ hodie *Consenza*. *Taburnus*, mons olivifer, in Samnio Campaniæ confini; furcas, sive angustias Caudinas, a septentrione obvallans, nunc *Tabor*, vel *Taburo*. Ita Cluverius.

718 *Mussantque juvencæ*] Timide et quasi tacite mugiunt; videturque ipso vocabulo vox juvencarum expressa.

722 *Armos*] Humeros, Æn. X. 894.

723 *Daunius*] Turnus, Dauni filius, Æn. VII. 56.

725 *Æquato examine lances, &c.*] Locus imitatus ex Homero Iliad.

Sustinet, et fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, impune putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troës trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocyor Euro,
Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cum prima in prælia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci;

videat, *cui labor male succedat, aut quo pondere mors inclinet. Tunc Turnus exilit, et toto corpore exsurgit in gladium alte erectum, existimans* id futurum *impunitum, et ferit Æneam. Trojani et turbidi Latini clamant, et amborum exercitus suspensi. Sed gladius infidus rumpitur, et deserit ferventem in medio ictu, nisi fuga succedat* in *auxilium. Fugit velocior Euro, quando vidit manubrium incognitum, et manum exarmatam. Fama perhibet,* Turnum *inconsultum, cum conscenderet equos jugatos ad primum certamen, dum properat, omisso gladio paterno, sumsisse gladium*

—727. *aut quo* complures scripti Heins., tum Parrhas. et Goth. sec. ac tert. Possunt hi videri ad Servii exemplum interpretationem instituisse, sicque edidit Cuninghamus ex Huls. et Nonio p. 177, laudato Castalione Obss. Dec. III, 9. Monet tamen esse hoc durissimum, quod, in *Quem damnet* substituendum sit *voti;* quodque *labor* sit virtus, quæ alterum victorem reddat. Nescio, an procedat, si quis *τὸ labor* sic sumat: *Quem damnet, labor* est Jovi, laborat Jupiter, dubitat, deliberat, *Quem damnet* (leto) *et quo* etc. Sed vid. Not.—728. *hac* Montalb. *hoc* Dorvill. a m. sec. *impune micans* Zulich. *corpore tanto* Sprot.—731. *acies amborum* Bigot.; idem cum multis *ac,* etiam Goth. sec. *et.*—732. *que* aberat sec. Hamb. *in medio tardentem* Medic. a m. pr. *ictum* Rom. et aliquot Pier. Post hunc versum in Zulichemio sequebatur versus imperfectus: *Quid superest?* Vidit scilicet aliquis, hic deesse aliquid sententiæ explendæ. vide Notam.—733. *ocior aura* Sprot.—734. *inertem* Leid., perpetua varietas.—735. *cum primum* tres Burm. et aliquot

NOTÆ

XXII. 209. ubi Jupiter Hectoris et Achillis fata lancibus imponit. Is autem morti destinatus putatur, cujus fatum præponderat, et magis ad terram accedit. *Examen,* filum est, sive lingula in medio bilancis pendula; cujus momentis judicatur, quo pondus vergat.

727 *Quem damnet labor*] Juxta Scaligerum: 'a quo labor frustra suscipiatur.' Juxta alios, 'quem labor infelix addicat morti.' Juxta alios, 'quem felix labor damnet votis, obnoxium reddat votis exsolvendis:' quomodo Ecl. v. 80. 'damnabis tu quoque votis.' Ceteri nugantur.

733 *Euro*] Vento orientali, Ge. I. 371.

736 *Patrio mucrone*] Quem Danno, Turni patri, Vulcanus fecerat, supra 90.

737 *Trepidat*] Properat, Æn. IX. 114.

Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit; postquam arma Dei ad Vulcania ventum,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit; fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus;
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densa Teucri inclusere corona;
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Æneas, quanquam tardata sagitta
Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urget:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,

aurigæ sui *Metisci. Is quidem diu sufficiens* fuit, *dum Trojani objiciebant* ipsi *terga fugientia: sed quando ventum* est *ad arma Dei Vulcani, gladius mortali* manu factus *fractus est ictu, veluti glacies fragilis: fragmina relucent* in *fulva arena. Itaque Turnus attonitus adit fugiens campos remotos: et miscet dubios circuitus, nunc huc, deinde illuc. Nam Trojani undique cinxerunt* eum *spissa multitudine, et hinc magna palus, hinc alti muri sepiunt. Æneas non segnius persequitur, et ardens tangit pede pedem timentis: quamvis aliquando genua* Æneæ *impediant et negent cursum, vulnere sagittæ remorante. Quemadmodum canis venaticus, cum aliquando reperit cervum deprehensum in fluvio, aut circumdatum formidine*

Pier.—738. *Jamque diu* sec. Moret. et Montalb. *Teucris* Leid.—739. *ventum est* nonnulli scripti et editi cum trinis Goth. et Erf.—740. *Fatalis* Ven. *gl. est* Rom. et aliquot Pier. *fusilis* Leid.—741. *resplendet fragmen* Rom. cum aliis Pier., tum Medic. a m. sec. aliique Heins. cum ed. pr. Burm., quod exilidis esset. Heinsius tamen subtilitatem captat et conj. *resplendent fragmen;* ut *crepitabant bractea* excudebat sup. VI, 209. *respondent* Goth. tert. *resplendunt* Dorvill. *resplendet lumina* Zulich. *resplendent agmina* Ven.—742. *æquore* Leid.—743. *Nunc huc atque huc* alter Menag. *nunc huc* Ven. *deinde huc* Oudart. Sprot. et pr. Hamb. cum binis Goth. *nunc hunc inde illuc* Dorvill. a m. sec.—744. *Teucri densa* Goth. tert. *incl. caterva* Goth. tert.—745. *mœnia spargunt* Menag. pr.—746. *tardante sagitta* plerique libri, etiam Medic. a m. pr. et vett. edd. ante Dan. Heinsium, qui primus *tardata* sc. genua, sagitta s. vulnere: quod ex Rom. et aliis notaverat Pierius. *turbata* Montalb.—748. *instat* pro *urget*, ex Arusiano Messio laudat et illustrat Heins. conf. sup. VIII, 433. 434.—749. *in flumine* vulgg. ante Heins. unde prava erat nata interpretatio, *ac si cervus in flumine natans mille vias fugeret*, atqui erat ille *ripa territus alta:* quo minus in amnem se dejiceret.—750. *captum* Goth.

NOTÆ

738 *Palantia*] Vaga, Æn. X. 674.

739 *Dei ad Vulcania*] Vulcani Dei, qui Veneris rogatu ensem, clypeum, galeam, Æneæ fecerat, Æn. VIII. 370. 620.

740 *Futilis*] Fragilis, inutilis, Æn. XI. 339.

746 *Sagitta*] Qua vulneratus fuerat, 319. Sanatus ab Iapide et Venere, 411.

750 *Puniceæ formidine pennæ*] Fune, rubris et versicoloribus plumis dis-

Venator cursu, canis et latratibus, instat;
Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor: ripæque lacusque
Responsant circa, et cœlum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contra, præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur
Præmia: sed Turni de vita et sanguine certant.

plumarum rubrarum, imminet ei *cursu et latratu: ille vero territus insidiis et alto margine* fluvii, *fugit et refugit* per *mille vias: sed acer* canis *ex Umbria adhæret* ipsi *hians, et jamjam apprehendit, et similis apprehendenti insonuit dentibus, et deceptus est vano morsu. Tunc autem clamor emittitur, et ripæ et lacus respondent circum, et totum cœlum sonat tumultu. Ille* Turnus *simul fugit,* et *simul objurgat omnes, appellans unumquemque nomine* suo, *et petit ensem solitum. Contra Æneas intentat necem et præsentem ruinam, si ullus adeat* Turnum: *et terret trepidos, minitans se eversurum urbem et urget* eum licet *vulneratus. Conficiunt cursu quinque circuitus, et totidem relegunt, huc, illuc: non enim quæruntur præmia tenuia aut ludicra, sed contendunt de vita et sanguine Turni. Forte oleaster*

sec. *pinna* plures Pier. et Heins. conf. Ge. III, 372 et alibi.—753. *ac* Medic. et al. *aut* Sprot. *invidus* Bigot. *umidus imber* alter Hamb.—754. *tenens* Rom. et Hamb. pr. a m. sec.—755. *illusus* alter Menag. et alter Goth.—757. *Responsat* Goth. pr. *circum* etiam legitur. *et* aberat Exc. Burm. *intonat* Sprot. et alii apud Burm. et Pier. *fragore* iidem et alii permulti cum Goth. tert. et Erf.—760. *Æ. contra præsens mortemque m.* ed. pr. Burm. et Goth. pr.—761. *Excidium* Ven. *aderat* Dorvill.—762. *Excisurum* Parrhas. *saucius* est vel etsi saucius; vel, quantum licebat ei saucio. Estque adeo poëta dignius, quam quod conjicere possit aliquis: *nec secius instat,* aut *et sævius instat.* Nam poëta, *et sævior instat,* dixisset. *instant* Medic. a m. pr.—763. *implent* Menag. pr. et Leid. *complent* Parrhas.—764. *Huc atque huc*

NOTÆ

tincto, ad terrendas feras. *Linea* vocatur a Seneca Philosopho et Tragico, *formido,* a Virgilio et Lucano: *penna formidatæ* ab Ovidio. De *puniceo colore,* rubro, Ecl. v. 17.

753 *Umber*] Canis ex Umbria, Italiæ septentrionali regione: a septentrione Mari Adriatico definita; a meridie fere Tybri et Nare amnibus: Apennini jugis aspera, nunc fere

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo, et votas suspendere vestes.
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Æneæ stabat: huc impetus illam
Detulerat, fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit; tuque optima ferrum

frondibus amaris hic fuerat sacer Fauno, arbor quondam veneranda nautis: ubi nautæ *erepti e naufragio solebant affigere dona Deo* illi *Laurentino, et suspendere vestimenta devota. Sed Trojani abscideranl sine discrimine sacram arborem, ut possent pugnare campo expedito. Hasta Æneæ hærebat illic: impetus illam impulerat illuc fixam, et retinebat in radice tenaci. Trojanus* Æneas *institit, et voluit manu extrahere* hastam *ferratam: et assequi hasta* eum, *quem non poterat attingere cursu. Tum vero Turnus exanimatus metu, ait:* O *Faune, oro, miserere:*

Oudart.—766. *Fauni* Aldd. edd. inde a prima, cum sequacibus (usque ad Commel., quæ discessit), et sic Serv. laudat ad v. 779, quod præfert cum Cerda Schrader. ad Musæum pag. 380, tanquam exquisitius. Sed aliter codices; et impedita fit junctura *sacer Fauni foliis. foliisque* pr. Hamb.—767. *olim nautis* Goth. tert. *signum* Menag. pr. et Parrhas., non indocte, ut Homericum σῆμα, quod late conspectum præbet.—768. *ibi* pr. Hamb. et Sprot.—769. *notas...vestes* edd. vett.; emendatum *votas* in ed. Ald. tert. et a Ge. Fabricio: sicque Pier. et Heins., paucis exceptis. *voto* Leid. et a m. sec. Rottend.—772. *huic* tert. Rottend. *hic* tert. Goth.—773. *et* abest multis, ab aliis *in*, ut a tribus Goth. et Erf. Aberat etiam a Mediceo; sed altera manus inseruit *ab r.* et delevit *et*. In Ven. *ut lenta*. Tum Bigot. *fixum lenta radice*. Porro, idque unice verum, Servius jungebat: *fixam et lenta radice tenebat*, non, ut vulgo factum, *Detulerat fixam, et l.* Ge. Fabricius Donatum legere ait: *Detulerat mollem et lenta r.* Quod verum non est: nam Donatus *lentam radicem* explicat mollem.—777. *tuaque* sec. Rottend.—

NOTÆ

capit ducatum *Urbinatem*, *Spoletanum*, et *Anconitanam* Marchiam.

766 *Fauno oleaster*] De *Fauno*, Deo Laurentinorum, Latini patre aut avo, Æn. VII. 47. &c. *Oleaster*, olea sylvestris, sæpe pro templis constituta, suspendendis donariis: quia vivacitas hujus arboris tanta est, ut multis confixa clavis, nihil tamen lædatur.

768 *Dona*] Tabulas naufragii testes, et vestimenta. Sic enim Horat. Od. I. 1. 5. 13. 'me tabula sacer Votiva paries indicat uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo.'

771 *Puro campo*] Vacuo, absque impedimentis. Horat. Epist. I. II. 2. 71. 'Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet.' Æn. XI. 711.

773 *Lenta*] Tenacl. Sic dicitur *Lenta pix*, Ge. IV. 41. *lentum gluten*, ibid. 161.

Terra tene; colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.
Dixit, opemque Dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. Dum nititur acer, et instat:
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem Dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
Assistunt contra certamine Martis anheli.
Junonem interea Rex omnipotentis Olympi

et tu, o bona terra, retine ferrum: si fovi semper vestros cultus, quos Æneas contra reddidit bello profanos. Dixit: neque imploravit auxilium Dei in vota inutilia. Nam Æneas diu obnixus et moratus in tenaci radice, nullo robore potuit solvere tenacitatem ligni. Dum Æneas *ardens conatur et urget: Dea filia Dauni, iterum conversa in formam aurigæ Metisci accurrit, et reddit gladium fratri. Venus irata* quod *id liceret audaci Nymphæ, venit et attraxit hastam e profunda radice. Illi alti, reparati animis et armis, hic confidens ensi, hic ferox et sublimis hasta, stant oppositi, anhelantes prælio Martis. Interim rex cæli omnipotentis affatur*

778. *vestros colui* Goth. tert.—779. *ferro fecere profanos* duo Rottend. Zulich. et pro var. lect. Gud. Saltem hoc interpretationem juvat. Sed hic miror Maroni non tenuem et exilem visum versum, inprimis in hoc: *fecere profanos*, pro, profanarunt. Paulo ante ad v. 775 notatum erat in Servianis: humiliter quibusdam visum dictum: *prendere cursu*.—781. *Jamque* Hugen. *lento stirpe*, cf. Pier. et sup. v. 208.—782. *potuit* Leid. *discurrere* Medic. a m. pr. et Gud. pro var. lect. *discindere* Ven. *convellere* qu. Moret. et Leid.—784. *conversa* Zulich. Ven. et duo Rottend. cum Medic. a m. sec. *mentita* nonnulli apud Cerdam, non constat, qui.—785. *tradit* alter Hamb.—787. *ab* abest Parrhas. *revulsit* Ald. (prima et sec.) ap. Burmann.—788. *animis armisque* Parrhas. vide sup. II, 799.—790. *Adsistunt contra certamina:* velim Heinsium, qui hoc reposuit, etsi jam Commelinum e Palat. idem recepisse video, vel Burmannum exposuisse, qua ratione hoc dictum sit. Exhibent utique hoc Medic. (nam Romanus hic mancus est) Mentel., ceterique Heins., sicque edd. vett. ed. pr. Burm. Venetæ nostræ 1484. 1486. Hinc aliæ, ut Norimb. et Veneta 1495 etc.; item Egnatii recensio: *Insistunt contra certamina:* quod rationem habet. Sic sup. Ge. III, 164 *viamque insiste domandi*. Rationem

NOTÆ

782 *Morsus Roboris*] Tenacitatem oleaginæ radicis, quasi mordicus hastam tenentis. *Robur* itaque, durum quodvis lignum est, ut jam notavimus, Ge. I. 162.

785 *Dea Daunia*] Juturna, Turni soror, Dauni filia, supra 139.

791 *Omnipotentis Olympi*] Æn. X. 1.

Alloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique restat?
Indigetem Æneam scis ipsa, et scire fateris,
Deberi cœlo, fatisque ad sidera tolli. 795
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere Divum?

Junonem, spectantem prælia e rutila nube: O uxor, quis nunc finis erit? quid demum superest? tu *ipsa nosti et fateris* te *nosse Æneam destinari Divum cœlo, et fatis evehi ad astra. Quid paras? aut qua spe manes in frigidis nubibus? an decuit Divum* illum *lædi plaga* inflicta a *mortali? aut gladium subductum reddi*

habet quoque alterum, quod verum esse arbitror, quodque Servius alios legere ait, *Adsistunt contra certamine:* Sic *stare, astare, παρεστάναι, assistere,* de certantibus, ut sup. XI, 710. *contra, ἀντίον. ἔντην.* Atque hoc exhibent Menag. et Sprot. cum Goth. tert., ita quoque edidit Ald. statim in pr. ed., quod sequuntur alii, ut Steph., alii e vulgatis *Insistunt contra certamine,* quod Paullus Manutius intulisse videtur, vel *Insistunt contra certamina,* quod Egnatium dedisse diximus; tum repetiit Pulmann. et hinc vulgg. Tandem *Adsistunt contra in certamine* Hugen. *in certamina* pr. Moret., doctius utique, ut sit *Assistunt in certamina,* in pugnam; quod equidem ceteris præferam, si librorum auctoritas satis gravis adest. Sed *Assistunt certamina,* aut *contra certamina,* equidem quomodo interpreter non habeo, adeoque revocavi vulgatam antiquiorem. Junxi quoque *assistunt certamine Martis,* ut *anheli* ornet; non, *assistunt contra, certamine Martis anheli.*—792. *pugnam* Bigot. *videntem* Mediceus Pierii.—793. *Qui* Leid. *Quis* pr. Hamb. *erat* sec. Menag.—796. *gaudis* Goth. tert. pro *gravidis. in montibus* Oudart. et Zulich. a m. pr., merus lapsus librarii; ne quis putet, cum ratione dictum e v. 133 sqq. Nam et ibi Juno ad cœlum redit v. 159.—797. Debet scribi *Mortali 'n* pro *Mortali an;* ut supra monitum. *Mortali* ed. Ven. Burm. cum Goth. sec. et tert. *Mortalem* legitur in marg. ed. Ven. Scoti 1544, non mala emendatio viri docti, qui in sententia hærebat; nam hoc utique indignum: vulnere Divum, h. Divorum, mortalem peti, violari. Video nunc esse eum virum doctum Benedictum in ed. Flor. 1520, cujus verba ascribam: "In vetustis et fide dignis codd. legitur *Mortalem decuit;* quod magis placet; etsi Servius *Mortalis* legat. Sensus erit: o Juno, *decuit mortalem,* hoc est Æneam, *violari vulnere Divum?* i. feriri manu Dearum, hoc est Juturnæ, quæ Dea est; q. d. minime. Et hoc dicit Jupiter, ut Junonem incesseret, criminareturque, quod impulerat Juturnam ferire Æneam. Ad quod paulo post se expurgans respondet Juno: *Juturnam fateor* etc. v. 813 sqq." Scilicet sic statuendum, vulnus Æneæ sagitta ignotum unde allapsa (sup. 818 sqq.) Juturnæ tribui a Jove. Quod si statuas et inf. 813 sq. verba Junonis compares, lectionem *Mortalem* valde arridere non inficiabere. Contra id, quod nunc in libris legitur, difficultatem haud duble facit, si *mortale vulnus* communi significatu accipiendum est, ut sit vulnus mortalis, seu a mortali illatum: quid enim in eo mirum, si Æneas,

NOTÆ

798 *Quæ finis*] Nomen interdum Virgilio etiam fœmininum. Æn. v. 384.

794 *Indigetem Æneam*] Indigetes Dii, qui primo in terra *degentes,* inde in cœlum traducti fuerant. Talis præcipue Æneas; quem Livius testatur, non tantum *indigetem* dictum fuisse, sed etiam *Jovem indigetem.* Ge. I. 498.

Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris;
Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare, vel undis,
Trojanos potuisti; infandum accendere bellum,
Deformare domum, et luctu miscere hymenæos;
Ulterius tentare veto. Sic Jupiter orsus;
Sic Dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,

Turno, et robur augeri victis? nam quid Juturna posset absque te? Cessa nunc denique, et flectaris meo rogatu: nec tantus dolor angat te tacitam, sed mœstæ solicitudines tuæ *innotescant mihi sæpe e tuo dulci ore. Ventum est ad ultimum. Potuisti insecturi Trojanos terra et mari, excitare dirum bellum, fœdare domum* Latini, *et turbare calamitatibus nuptias: prohibeo te aggredi* quicquam *præterea. Sic Jupiter locutus* est: *sic Dea Saturni filia contra* respondit

futurus Deus, nunc tamen homo, a mortali, ab homine, telo petebatur, cum is in media pugna versaretur? cum Turno congrederetur? Itaque inducor, ut credam, Maronem primum h. l. ausum *mortalem* pro letali dicere: quod ad analogiam tot aliorum simillim, v. c. letalis, fit præclare; etsi Serv. damnet, et Burm. recte moneat, esse usum vocis sequioris ætatis. Sed hæc ipsa, quæ seriores scriptores sibi permittunt, omnia fere a poëtis primum profecta sunt. Ita tandem sententia digna poëta exit. Erat utique quod miraretur Jupiter, Junonem, cum sciret ipsa Æneam immortalem futurum, tamen putasse se assecuturam hoc, ut ille telo percussus vulnere letali occideret. Ascribendus adeo hic locus iis, in quibus poëta novasse aliquid dicendus est, ne ineptæ orationis crimine oneretur.—798. *Haud e.* Reg.—799. *Erectum* Goth. tert. *et* deest Bigot.—800. *que* abest Dorvill.—801. *tacitus* Leid. *edit* Diomedes legerat, sicque Gud. a pr. m., quod copiose illustrat Heins. ex vetere forma: edim, is, it. *ne mihi* Dorvill.—802. *tristi* pr. Hamb. pro var. lect. *τοῦ dulci.* Male; et similis forma apud Tibullum notata: *Edidit hæc dulci tristia verba sono. tristes dulci* Goth. tert. *recurrant, recusant, recusent* (hoc et Medic. a m. pr.), *recurrent*, aberrationes apud Burm.—803. *est* deerat Ven. *Ventum est ad summum* Leid.—808. *quod*

NOTÆ

798 *Aut ensem, &c.*] Merito sane accusatur Virgilius indiligentiæ, in hoc Turni cum Ænea certamine. I. Quod eos armis ita imparibus inter se commiserit. Hinc enim Æneas galea, clypeo, ense cœlesti armatus: inde Turnus gladio mortali ac futili. II. Quod ubi suus Turno gladius, item cœlestis, redditus est; Jovem inducat ea de re, quasi contra jus facta sit, conquerentem. III. Quod Turnum ita bonæ rectæque mentis expertem describat, ut recuperato ense suo uti non meminerit sed eo omisso se sani impulsu defendat, 896.

804 *Accendere bellum, &c.*] Excitata ex Inferis Furia, quæ fœdus Latini cum Ænea disturbaret, Æn. VII. 323. *Hymenæos*] Nuptias, Ge. III. 60.

Jupiter: et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres
Digna indigna pati; sed flammis cincta sub ipsam
Starem aciem, traheremque inimica in prælia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, et pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum;
Adjuro Stygii caput implacabile fontis:
Una superstitio superis quæ reddita Divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:

dejecto vultu: O *magne Jupiter, deserui et Turnum et terras invita, quod quidem tua voluntas mihi esset cognita:* alioqui, *non videres me jam solam in aëria regione tolerare digna et indigna; sed circumdata ignibus essem in ipso exercitu, et vocarem Trojanos in adversa certamina. Fateor, suasi* ut *Juturna auxiliaretur fratri suo infortunato, et approbavi ut susciperet majora pro vita ejus; non tamen* ita *ut iacula intenderet, neque ut arcum: juro per originem inexorabilem fontis Stygii, quæ sola religio imposita est Diis cœlestibus. Et nunc quidem cedo, et aversata pugnas relinquo* eas. *Peto a te pro Latio, pro dignitate tuorum* Latinorum, *id*

nota Sprot. *mihi est tua* Parrhas. *tua magna voluntas* perpetua lectio edd. vett., tum Ald. sec. et hinc profectarum. *magne* reposuit Paullus Manutius, hinc aliæ, Commelin. Steph. Pulmann., idque Pierii codd. et Medic. cum aliis Heins. firmarunt: et ex Goth. sic sec. ac tert. *tua celsa* v. ed. Ald. pr. Junt.—809. *incisa* Menag. pr. *relinquo* aliquot apud Burm. cum trinis Goth.—810. *Nec me tu* alter Menag. *aëriam* Dorvill. *sub nube* Parrhas. et pr. Hamburg. pro var. lect. *sub sede* alter Menag.—811. 812. *sub ipsam—aciem* e Medic., tanquam elegantius, refinxit Heins. pro vulgato: *sub ipsa acie;* nisi quod sec. Rottend. et Dorvill. cum binis Goth. *ipsam acie,* et Parrhas. *ipsa aciem.*—813. *fateor misero* tres Burm. et ap. Macrob. VI, 6, incondito ad aurem sono. *fateor miseram* Dorvill.—815. *ut ostenderet* alii olim ap. Serv.—816. *implicabile* Leid. *intractabile* Montalb. *insatiabile* Zulich.—817. *Vana* Parrhas., perperam. conf. Not. Aliter sup. VIII, 187.—818. *que* abest Dorvill. *exorsa* ed. Ald. tert.—819. *quod n. f. te l.* Goth. tert. *tenen-*

NOTÆ

810 *Nec tu me aëria, &c.*] Supple, *nisi tua voluntas mihi nota esset, nisi prohibuisses.*

814 *Suasi*] Supra 157.

816 *Stygii, &c.*] Fontis inferni, Æn. VI. 323. Per hunc Dii jurare solent: causam habes Ge. III. 551.

817 *Superstitio superis reddita*] *Superstitio,* gravis et formidolosa religio, metus religiosus. *Reddita:* explicat Servius, *data et imposita:* compositum pro simplici. Explicant Passeratius, Germanus, Cerdanus, *vicissim reposita superis Diis ab inferis:* cum enim inferi superis subjecti sint multis in rebus; hac una re superi vicissim inferis subditi sunt, ut per Styga jurare cogantur.

Cum jam connubis pacem felicibus, esto,
Component, cum jam leges et fœdera jungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium; sint Albani per sæcula reges;
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit, occideritque, sinas, cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Et germana Jovis, Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?

quod nulla lege fatorum continetur: scilicet *quando jam constituent pacem fausto conjugio* (itaque *sit*) *quando jam sociabunt leges et fœdera: ne imperes*, ut *Latini indigenæ amittant nomen antiquum; neve* imperes ut *fiant Trojani, et appellentur Trojani, aut* ut *viri* illi *mutent linguam, aut convertant vestimenta. Sit in æternum Latium, sint reges Albani, sit posteritas Romana potens Italica fortitudine: Troja cecidit, permitte etiam* ut *ceciderit cum* suo *nomine. Auctor rerum et hominum respondit illi subridens:* Tu *es soror Jovis, et secunda soboles Saturni:* an *versas in animo tantos fluctus irarum? Sed age, et mitiga furorem frustra susceptum:*

---

tur Mentel. pr. a m. pr.—821. *infelicibus* Vratisl.—822. *Componant* Parrhas. *Componet* Goth. tert. *leges ad fœd.* pr. Rottend.—823. *Nec* ed. pr. Burm. Goth. tert.—824. *Ne* Parrhas. *Nunc* Serv. ad lib. I, 148. *jubeas fieri* Goth. tert.—825. *vestem* Medic. et Rottend. sec. ac tert.—826. *Sint Latii* Goth. tert.—828. *sidas* Medic. a m. pr., unde Heins. ejecto *que* facit: *occiderit, si das. o. licet cum* Goth. tert., ex interpretatione. Occidit Troja, et sit ita, occiderit adeo cum ipso nomine; tum *sine nomine* Vratisl. *cognomine* Bigot. —830. *Est* Mentel. pr. et Hugen. *Es* duo Goth. Erf. et edd. vett. nostræ omnes; sic quoque Aldd. Fabric. Dan. Heins. *Et* non nisi in Ven. Scoti 1544 video exhibitum. *O germana* complures codd. Burm. et edd. habere ait; sed videtur vitio factum, cum vellet idem docere, *es* passim occurrere. *Saturniaque* Mentel. pr. a m. pr.—831. *tantum* Medic. (Fogginius *tantos* dedit,

NOTÆ

823 *Indigenas Latinos*] Itaque Virgilius Latinorum nomen, non a Latino rege profectum, sed multo antiquius censet: ut diximus Æn. I. 10. Quanquam aliter censet Dionysius: aitque vocatos eos ante Latinum regem, *Aborigines*, Æn. VII. 181. Æn. VIII. 314. ubi quærimus, an reipsa *Aborigines indigenæ*, id est in ipsa Italia nati; an vero aliunde advecti sint. *Teucros*, Æn. I. 239. *Latium*, Æn. VII. 54. *Albani reges*, ab Ascanio instituti, Æn. VI. 763. Æn. VIII. 48.

830 *Et germana Jovis, &c.*] Sensus est, juxta Servium: 'Tu quidem mea es soror, et filia Saturni: unde non mirum est tantam te iracundiam animo concepisse. Potentissimi enim quique, iræ retinentissimi sunt.' Juxta me secundus versus cum interrogatione legendus est, ut sensus sit: 'Tu quidem mea soror es, et Saturni filia: quid ergo irarum tantos volvis sub pectore fluctus?' quod affine est iis quæ dicta sunt Æn. I. 15. 'tantæne animis cœlestibus iræ?'

Verum age, et inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis; et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt;
Utque est, nomen erit; commixti corpore tantum
Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire Deos pietate videbis;
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores.
Annuit his Juno, et mentem lætata retorsit.
Interea excedit cœlo, nubemque reliquit.

concedo quod petis, ac me submitto et sponte et superatus tuis precibus. *Itali servabunt linguam patriam et consuetudines, et nomen* eorum *erit, quale est: tantummodo Trojani juncti connubiis* illic *sedebunt: addam modos et ceremonias sacrorum, et faciam omnes Latinos unius linguæ. Videbis posteritatem, quæ hinc orietur mixta sanguine Italo, pietate superare homines, superare Divos. Nec ulla natio adeo celebrabit cultum tuum. Juno assensa est his* verbis, *et gaudens convertit animum. Interim abiit ex aëre et reliquit nubem. His perfectis, pater ipse volvit*

---

sed *volvi* a m. pr.) *volves* tert. Mentel. Leid. *volvit* Serv. ad IV Æn. 377. *volvens* ed. Ven. Burm.—833. *Dic q.* Leid. *qua ris* Bigot. *nam me* alter Hamb.—834. 835. *moresque tenebunt Usque: est* n. Paris. *commixti corpore tanto* reposuit Heinsius; et illustravit exemplis, opportunis, importunis, *corpus* de universa rep., populo, civitate, imperio, exercitu dici, ad vulgarem comparationem corporis et membrorum hominis. Sic sup. XI, 313 *toto certatum est corpore regni.* Itaque sunt h. l. Teucri commixti cum *toto* populo Latinorum. In quo facile sentis *toto* otiosum esse. Pessime ad concubitum traxit Cerda cum aliis *τὸ corpore commixti* et *subsident.* Enimvero veterum, et hinc omnium, quas vidi, edd. lectio est: *commixti* vel *commisti corpore tantum.* Eandem firmat Medic. cum aliis codd. Pier. et Heins. Erf., item Serv. ad I Æn. 249, nec, cur *tantum* mutare necesse fuerit, video. Nam sensus: *Tantum Teucri subsident, commixti corpore,* cum populo Latinorum: tantum transibunt in nomen eorum; nulla alia rerum mutatio fiet. Mediceus Pierii et Porcius, tum Parrhas. Montalb. Hamb. pr. et Goth. tert. *commixto corpore* exhibebant; sed *commixti* elegantius. Romanus autem *commixti sanguine tantum.* At *tanto* in nullo legitur præterquam in uno Pierii *commixti sanguine tanto;* et *commixti corpore tanto* in pr. Menag. et tert. Mentel., et *commixto corpore tanto* Goth. tert.—836. *Teucris* Goth. sec. *sacrorumque* Bigot.—838. *Hinc g. Ausonium, mixto quod* Goth. pr. *mixtum cum s.* Parrhas. —839. *Ultra homines* alter Hamb. a m. pr. *pietate jubebis* Leid.—842. *reliquit* Medic. cum plurimis aliis. Solenne tamen poëtæ, motum, inprimis concitatiorem, præterito tempore declarare. Sed meo judicio totus hic versus melius abesset: nisi ille aliter olim lectus fuit. Saltem post *retorsit* sequi debuisse videtur: *lumina, et e.* Ut solent Dii in suorum morte. Ut sup. X, 473 Hercules: *oculos Rutulorum rejicit arvis.* Et ipsa Juno sup. 161 *Non*

NOTÆ

834 *Ausonii*] Itali, quos prius Latinos vocavit, Æn. VII. 54.

835 *Commixti corpore*] Initis connubiis.

His actis, aliud Genitor secum ipse volutat:
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ,
Quas et Tartaream Nox intempesta Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium, sævique in limine regis,
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,
Si quando letum horrificum morbosque Deum rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demisit ab æthere summo
Jupiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus, ac nervo per nubem impulsa sagitta;
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,

aliud secum, et meditatur deducere Juturnam a pugna fratris. Dicuntur esse *duæ pestes, nomine Diræ; quas, et infernam Megæram, Nox profunda edidit uno et eodem partu, et implicuit similibus nexibus anguium, et applicuit* eis *alas celeres. Hæ adsunt ante solium Jovis et in vestibulo severi* illius *regis, et excitant timores miseris hominibus; si aliquando rex Deorum parat horribilem necem ac morbos, aut terret bello urbes* quæ id *meruerunt. Jupiter mittit ex alto cælo unam illarum celocem, et imperavit offerri Juturnæ quasi portentum. Illa* Dira *volat et labitur in terras veloci impetu: non aliter ac sagitta per aërem immissa nervo, quam Par-*

pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum. Jo. Schraderum conjicere video: *et vultum lætata retorsit.*—843. *His dictis* Goth. tert. *secumque volutat* Dorvill.—844. *fratri* Hugen. *demittere* quatuor apud Burm. *descendere* Goth. tert.—847. *Unum* Leid. *reduxit* Hugen.—849. *Hæc*, aberratur. *sæ-roque* Leid. et Par. *ad limina* alter Menag. Oudart. Parrhas.—851. *horrificos morb.* Goth. pr.—852. *meritasque* Parrhas. *ac bello* Gud.—853. *demittit* editum ubique, quantum video, ante Commelin., qui primus *demisit* e Palat. edidit, cui Pier. et Nic. Heinsii codd. astipulati sunt. In nonnullis *dimisit:* pr. Moret. *dimittit:* tandem pr. Hamburg. *summo demisit Olympo.*—856. *a nervo* Exc. Burm. *a verno* Montalb.—857. *Armatus* Sprot. a m. sec. *Armavit* Goth. sec. *quam Parthus* Parrhas. Malim Codicem aliquem pro *Parthus* meliorem dare lectionem; nam illud vitiosum utique esse arbitror: quid enim *Parthus, Parthus sive Cydon*, aut gravitatis aut suavitatis habeat? Non

NOTÆ

845 *Cognomine Diræ*] Apud Inferos *Furiæ*, in medio *Harpyiæ:* in cœlo *Diræ* et *Jovis canes* dictæ, Æn. III. 211. Et vero cum Virgilius ait eas esse duas numero, eodemque cum Megæra Furia partu editas, innuit Diras ipsas, esse Furias alias duas, *Tisiphonen*, et *Alecto*, Æn. VI. 572. Noctis et Acherontis dicuntur filiæ.

846 *Nox intempesta*] Obscura, media, ad agendum intempestiva, Æn. III. 587.

857 *Felle veneni*] Veneno amaro: aut felle venenato.

Parthus, sive Cydon, telum immedicabile, torsit;
Stridens et celeres incognita transilit umbras.
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni:
Alitis in parvæ subitam collecta figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis

thus sive Cydon conjecit imbutam felle diri veneni, ut sit *jaculum immedicabile, trajicit stridens et improvisa leves umbras. Filia Noctis talis intulit se, et adivit terras. Quando cernit exercitum Trojanum et exercitum Turni, statim contracta in formam parvæ avis, quæ aliquando nocte manens in sepulcris aut in tectis deser-*

ignoro, tales iterationes et alliterationes occurrere apud poëtas, ipsum Homerum et Virgilium; sed ubique vim aliquam habent, aut addunt aliquid tanquam pro compendio vel cumulo v. c. Ecl. VIII, 55 *sit Tityrus Orpheus, Orpheus in sylvis, inter delphinas Arion.* at h. l. nihil ejusmodi video. Aut genus ponendum erat, ut individua vel formæ sequerentur: aut utrumque iterandum, ut v. c. Iliad. X, 127. 128. Latet, arbitror, epitheton seu *Parthi* in sq. versu, seu *fellis:* v. c. *Armatam sævi fallax quam* etc. aut simile quid. Nisi ultima poëtæ manus versui deest: quod probabile fit. Waddelium nunc video Animadv. Crit. p. 39 conjecisse *Arcu sive Cydon:* vel, *Partho sive Cydon,* h. in Parthum; prius ferri possit. Jo. Schrader. autem Obss. I, 2, p. 17 *Armatam sævo patrii quam felle veneni,* ingeniose sed parum probabiliter.—858. *seu Cydon* Oudart., male. cf. Ecl. X, 59. *medicabile* idem.—859. *aurus* nonnullos legisse testatur Servius, qui rem male expedit de umbra sagittæ. Immo, ad majorem phantasmatis horrorem pro *auris* exquisitius dixit *umbras,* h. e. nigrum aërem, quem transvolat sagitta: hinc *celeres umbræ,* ut *celeres auræ,* quæ celeriter transmittunt telum. Vix tamen Maro, si carmen emendasset, ter eadem voce usurus fuisset 853. 855. 859.—860. Non *Talem,* sed *Talis,* ut toties vidimus in voce *ferre se* pro *incedere,* v. c. VII, 492.—861. *acies venit I.* pr. Moret., quod non displicebat Heinsio.—862. *in pravæ* Waddel. conj. apud Burm., prave utique: etsi sic lectum in Parrhas., idque receptum a Cuninghamo; nam usus sermonis non ita fert. Jo. Schrader. tentabat: *in ravæ, raucæ, furvæ.* Miror nemhnem incidisse in inauspicatam avem *parram. subitam figuram* Rom. et plerique alii Pier., et Heinsianis Mentel., et secundum Burm. fere omnes: receptum ab Heinsio: vulgo, *subito collecta figuram.* Porro *subito conversa* Medic. Pierii, et Mediceus princeps: *subitam conversa figuram.* Sed *collecta,* quod ubique editum, copiose defendit et illustravit Heins. Conf. sup. 491, et X, 412, et multo magis de angue Ge. II, 154 et al. Est autem ratio hæc formam contrahendi, diversa a nota illa Homerica, qua Somnus avi non assimilat se specie, sed avis more ac ritu in arbore sedet Iliad. Ξ, 290.—863. *in* abest apud Marium Plotium de metris:

NOTÆ

858 *Parthus, &c.*] Parthi sagittandi arte nobiles, Ecl. I. 62. *Cydon*] Incola urbis, quæ *Cydon* ipsa quoque dicta est, in Creta sive Candia insula, Ecl. X. 59.

862 *Alitis in parvæ, &c.*] *Noctua* ab interpretibus intelligitur: quia 864. dicitur *nocte sedens:* tum quia minor est quam *bubo,* unde *parva:* tum quia deserta loca incolit, bubo frequenter urbana ædificia. Et licet *noctua* Atheniensibus boni ominis haberetur; omen erat in volatu faustum, non in cantu: at hic, 'canit importuna.... Fertque refertque sonans.' De *bustis,* Æn. IV. 494.

Nocte sedens, serum canit importuna per umbras;
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clypeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor;
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
At, procul ut Diræ stridorem agnovit et alas,
Infelix crines scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis;
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam duræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscenæ volucres; alarum verbera nosco,
Letalemque sonum; nec fallunt jussa superba

tis, sero canit ingrata per tenebras; Dira mutata hanc in speciem, fert ac refert se stridens circa vultum Turni, et ferit alis clypeum ejus. *Novus torpor debilitat ipsi membra timore; et capilli subrecti* sunt *horrore, et vox stetit* in *gutture. At misera Juturna, quando procul animadvertit stridorem et volatum Diræ, lacerat capillos sparsos, turpans vultum unguibus et pectus planctu,* quia erat *soror,* atque: O *Turne, quomodo tua soror potest jam succurrere tibi? aut quid jam restat infelici mihi? quo artificio producam tibi vitam? an possum objicere me tali portento? nunc nunc desero exercitum. Ne terreatis me* jam *timentem,* o *infaustæ aves: cognosco verbera alarum* vestrarum *et sonitum mortiferum; nec dura im-*

ibidem: *et culminibus.* Bigot. *aut cumulantibus aris.*—864. *sævum canit* in lib. apud Pier. Etiam *serum* Servius exponit triste, luctiferum, perperam. Est: sera nocte; *νύκτερον ἀείδει* Aratus. *per umbram* Menag. pr. cum parte Pier.—865. *versam* Medic. a m. sec. et Leid. *se Turni* Goth. tert. *ob ora* Heins. emendavit e Romano, Moret. et Leid. cum Arusiano Messio (accedit Donatus): idque diserte illustravit. Vulgg. *ad ora. in ora* Medic. et Goth. tert.—866. *fertque refertque volans,* pr. Hamb. *réverberat* Medic. Pierii, Parrhas. et ed. pr. Burm.—867. *Olli* Bigot. *novos* Medic. et Mentel. pr., uterque a pr. m. *solvat* alter Menag., vel *subito* pr. Hamb.—868. *errore* pr. Hamb. *hæret* idem a m. sec.—870. *crines solvit* Dorvill. *scindit crines* Rom. —872. *duræ* repositum ab Heinsio, auctoritate Romani, tum Medic. reliquorumque vetustiorum omnium. Sicque Servius: *duræ, immiti,* quæ posset fratrem cernere tot laboribus subditum. Locum ante oculos habuisse putatur Statius XII Theb. 214. 215. Vulgo editum: *miseræ.* Fateor hoc lenius, etiam ad sensum mollius, videri; etsi alterum illud doctius est. *diræ* Goth. tert.—874. *moror* sec. Rottend. et Erf. *tali non possum* tres apud Burm. et Erf. *me* deest Leid. *tali me possum* Zulich.—875. *Nam jam* Leid. *trementem* Oudart.—876. *dirarum verbera nosco* Schol. Cruqu. ad Horat. I Od. 2. —877. *fallant* a m. pr. Zulich.—878. *Magnanima* Gud. *Hoc pro* Ven. et sec.

NOTÆ

876 *Obscenæ volucres*] Funestæ et mali ominis, Æn. III. 262.

Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit!
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.
Immortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quæ satis alta dehiscat
Terra mihi, Manesque Deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, et se fluvio Dea condidit alto.
Æneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, et sævo sic pectore fatur:

peria magni Jovis decipiunt me. An *reddit ista* mihi *pro virginitate* erepta? *cur dedit* mihi *vitam perpetuam? cur ablata est* mihi *lex moriendi? jam certe possem terminare tantos dolores, et ire socia fratri misero inter umbras,* si *ego nunc* essem *mortalis. Nihil quicquam meorum* bonorum *jucundum erit mihi absque te, o frater. O quæ terra satis profunda aperietur mihi, et detrudet* me *Divam ad infimas umbras! Eo usque locuta, Dea texit caput viridi velamine, gemens valde, et immisit se in profundum flumen. Contra Æneas urget, et quassat hastam magnam, arboream; et sic loquitur duro animo: Quæ jam deinceps est mora? aut quid jam revolvis,* o

Moret. cum Parrhas.—879. *Cur vitam* aliquot Pier. *Quid vitam* alter Hamb. *Quo vitam æternam dedit, et cur* Medic. Pierii. *cui mortis* Oudart. a m. sec. —880. *possim* Medic. *ut possem* Leid. et Zulich. cum Goth. tert. et Erf. *labores* pr. Hamb. sec. Moret. et Exc. Burm., idque receptum a Cuninghamo e Ms. Bœcleri.—881. *sub umbras* Medic. Pierii, pr. Hamb. duo Rottend. Ven. et Gud. pro var. lect., quod et ipse præferam.—882. *Jam mortalis ego haud q.* vett. edd. et multi codd., ut distinguant post *ego,* alii post *haud quicquam.* Sed jam Ald. pr. emendatum dedit: *Immortalis ego?* Sicque Rom. aliique Pier. Malim tamen per exclamationem: Me miseram! *Immortalis ego!* Tum *haud q.* vett. edd., etiam Aldd. et hinc ductæ. Etiam sic Priscian. lib. XIV. *haud mihi quicquam* ed. Ven. et Mediol. et Goth. pr. Prima mutavit Commelin. e Pal. *aut* Cuningham. id sublatum esse volebat.—883. *O qua* Leid. *quam* Gud. a m. pr. *quo* Leid. alius. *satis una* Ven. *satis ima,* quod etiam Rom. habet, lectum vulgo ante Heins., qui *alta* e præstantioribus dedit.—884. *dimittat* multi ap. Burm.—885. *detexit* Zulich.; an *prætexit?* inquit Burm.—886. *et fluvio se condit in alto* Leid. et Reg.—888. *Ingemens* a m. pr. Medic. *arboreum:* Jo. Schrader. tentabat *roboreum.* Adeo poëtæ nihil novare licet.—889. *Qui* Leid. *relaxas*

NOTÆ

878 *Pro virginitate*] Quam Juturnæ rapuerat Jupiter, 140.

884 *Manes*] Inferos, Æn. VI. 743.

885 *Glauco amictu*] Ex colore aquarum, quibus præerat Nais Juturna, 139.

886 *Fluvio*] Tybri: unde in lacum suum, qui influit in Tybrim, facilis fuit via, 139.

887 *Coruscat*] Active. Æn. V. 642.

Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
Non cursu, sævis certandum est cominus armis.
Verte omnes tete in facies; et contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumve cava te condere terra.
Ille caput quassans: Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; Di me terrent, et Jupiter hostis.
Nec plura effatus; saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis;
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus;
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,

Turne? non pugnandum est cursu, sed *propius duris armis: muta te in omnes formas, et collige quicquid potes sive virtute sive dolo: opta adire alis alta sidera, et occultare te abstrusum cava tellure. Ille* Turnus *commovens caput* ait: *Dure* hostis, *tua superba verba non terrent me: Dii, et Jupiter adversus, me terrent. Nec locutus plura, aspicit magnum saxum: saxum magnum, vetus, quod forte jacebat campo, constitutus limes agri, ut dirimeret lites agrorum. Duodecim electi* viri *difficile sufferrent illud collo*, tales, *qualia* sunt *corpora hominum, quæ terra jam profert. Ille heros assurgens altius et impulsus cursu, mittebat in hostem* hoc

Bigot., male. *retractare* eleganter, recusare, tergiversari, detrectare.—890. *est* post *certandum* omittit Ms. Coll. Jesu, et ex eo Wakef.—892. *armis* Ven. *animis aut arte* ed. pr. Burmann. *apta ardua* Gud. a m. sec. *pinnis* ed. Junt. *pugnis* alter Hamb.—893. *clausumque* vulgo. *clausumve* Menag. pr., recte. accedit Ms. Coll. Jesu. *te credere* Oudart.—895. *ferox hostis* jungit Servius, seu quisquis laciniam hanc attexuit, adeoque jungit: *ferox Di me t.*, perperam. *ferox*, o Ænea.—897. Deerat versus Parrhas. Mox *campo qui* (scil. *limes*) ubique editum ante Heinsium, idque eleganter, sicque pars codd. cum Goth. pr. Recepit tamen Heinsius *quod* e Medic. a m. sec. (erat a prima sigla q.) aliisque suis et Pier., scilicet idem mutaturus hoc in istud, si alterum reperisset.—898. *Limes agri* invenit nescio in quibus Pier., sicque ed. pr. Videtur sic variari oratio post antecedens *campo. agros* Leid. *agris* cod. Barthii, quod insuave sequente statim *arvis. positum* Parrhas. *decerneret* duo Moret. *arvi* Hugen. et Goth. pr.—899. *Vix illum* Medic. et Ven. *levarent* Leid. *moverent* Goth. tert. Intulit e Virgilio *bis senos* viros in Homerum, loco *duo-*

NOTÆ

898 *Limes...litem ut, &c.*] *Limes* dictus est, saxum vel via *lima*, hoc est *obliqua, transversa*, discernendis agris constituta. Hinc *lis* dicta creditur a *limite*, quod primæ lites et contentiones de limitibus fuerint. Alia tamen *litis* etyma affert Vossius.

899 *Bis sex, &c.*] Locus ex duobus Homericis expressus: Iliad. v. 302. ubi Diomedes saxum in Æneam immittit, quale vix duo temporis Homerici homines efferrent. Iliad. XXI. 405. ubi Minerva saxo Martem percutit, qui agris limes erat positus. Quam indiligenter Virgilius id Turno tribuerit, diximus supra 798.

Altior insurgens, et cursu concitus, heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu saxumque immane moventem;
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum Dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos aspectat, et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit;

saxum *apprehensum manu tremente. Sed neque cognoscit se currentem, neque irruentem, aut erigentem manu et versantem saxum grande. Genua titubant, sanguis gelidus cogitur frigore. Præterea saxum ipsum, rotatum per aërem, nec pertransiit intervallum hominis, nec servavit totam vim. Et quemadmodum nocte in somnis, quando languida quies clausit oculos, frustra videmur velle producere cursus optatos, et infirmi deficimus in medio impetu; lingua non viget, vires solitæ non suppetunt* in *corpore, nec vox nec verba erumpunt: sic Dira divina abnuit Turno successum, quacumque vi tentarit modum. Tunc diversæ sententiæ agitantur* ejus *animo. Respicit Rutulos et urbem, et moratur* præ *timore, et timet hastam*

---

rum, (*οὐ δύο γ' ἄνδρε*) Pindarus Theb. vulgo dictus.—908. *nec curr.* Dorvill. *nec se* Goth. tert. *cognovit* sec.—904. *Tollentemque* multi, vitiose, et ipse Mediceus: qui et perperam *T. manus*, sec. Moret. *manum.* Tum *saxumve* Medic. Dorvill.—905. *concurrit* alter Hamb. a m. sec.—906. *viri vacuus* Ms. Barthii ad Stat. Theb. VI, 938, qui ipse contorta oratione et sententia distinguit: *ipse, viri vacuum.* Burm. *vir vacuum* tentat. Enimvero *lapis viri* (pro ejus) est lapis ab eo projectus: dictum ad vulgarem formam: jactus viri. Poterat *viro* dicere, ut esset *viro volutus*, h. a viro; sed alterum maluit: cur non feramus? *inane* de aëre nunc non primum occurrit, nec ejus epitheton *vacuum*; utrumque Lucretio sublectum.—907. *evasit, totum* nec interpungunt alii, etiam apud Servium. *neque* Medic. Menag. Parrhas.—908. *veluti* Dorvill. et nonnulli editi. *oculos cum* alter Menag. Post hunc versum in Leid. et Reg. sequebatur initium versus: *Et jam jamque*, vacuo spatio relicto. (Fraudem librario fecerat versus in idem verbum desinens 939. 940 *reprensit, Et jam jamque*).—911. *volet* Medic. (a m. pr.) *corpora* Gud. *notæ* alter Menag. *nocte* Leid. et Exc. Burmann. cum Goth. sec.—912. *aut verba* inde ab Ald. tert. legitur: in aliis nec verba.—913. *quamcumque viam* Leid. et Par., quod expeditius esset: alterum exquisitius. Sic *Nulla viam fortuna regit* sup. 403.—914. *Dea dicta* Zulich. *cum pectore* sec. Rottend. et Leid. *pectora* Rigal. 915. *comperit et urbem* Zulich. 916. *Cunctaturque* alter Menag. et alter Gothe *telumque* pr. Hamb. a m. sec., argute: instantem Æ-

Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, aurigamve sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis; et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricæ, et clypei extremos septemplicis orbes;
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;

imminentem; nec cernit usquam, quo se subducat, nec quo robore irruat in hostem, nec currum, nec sororem aurigam. Æneas incutit moranti hastam letalem, explorans oculis opportunitatem; et procul immittit toto corpore. Nunquam saxa sic sonant, pulsa murali machina, nec tanti crepitus eduntur fulmine. Hasta portans sævam mortem volat sicut nigrans procella, et aperit extremitates thoracis, et sinuosos circuitus clypei septemplicis: stridens penetrat per medium femur: Turnus magnus cadit percussus in terram flexo poplite. Rutuli surgunt cum *lamentis, et mons totus reboat circum, et profundæ sylvæ late reddunt vocem. Ille abjectus et supplex, intendens oculos et dexteram supplicantem, ait: Sane merui, nec precor ut*

---

neam telo. *letumque* Rufinian. de Schem. Lex. p. 258, ubi vid. Ruhnken. v. c. *tremescit* scribitur in multis etiam alibi: ut passim vidimus.—917. *Nec qua* Gud. a m. sec. *se rapiat* Ven. a m. pr. et Erf.—918. *currum* Oudart. *cursus* duo Burm. *curruus* Rom., etiam h. l. conf. sup. ad XII, 61. *aurigamve* Medic., unde Heins. recepit pro *que*.—920. *Sortitam* Goth. tert. *pectore* alter Menag. et Leid.—921. *nusquam* Bigot.—922. *saxa* sonant pro var. lect. pr. Hamburg.—923. *strepitus* nonnulli apud Burmann. *trepidus* Reg.—924. *Excidium* tert. Mentel. et Parrhas. *durum* Medic. Pierii, Goth. tert. et aliquot apud Burmann., qui laudat Silii XVII, 188 *O dirum exitium mortalibus*; ex Virgilio adumbratum. *reclusit* Zulich. *recludens* Thuaneus ap. Burm., minus suaviter.—925. *Loricæ clipeique extremos* Medic. Pierii. *clipei extremo septemplicis orbe* Heins. conj., causam non video.—926. *Et medium* multi cum Goth. tert. Erf. et Medic. Pierii, quod verum arbitror: *orasque recludit... orbes, Et medium stridens transit femur. stringens* Parrhas. *ictu* Hugen.—929. *Mons circa* pr. Moret. et Parrhas. *ictu* Hugen.—929. *Mons circa* pr. Moret. et Parrhas. *late vocem* Dorvill. *alta dederunt* Vratisl.—930. *que* abest aliquot Pier. tribus Burm. et Goth. tert.—931. *Protendens* pr. Mentel. *nec d. unquam* Lutat.

NOTÆ

924 *Oras Loricæ, &c.*] Extremitates loricæ, quæ femur attingunt; et extremitates imi clypei, quem tegendo capiti altius sustulerat.

925 *Septemplicis*] Septem coriis, aut laminis ferreis æreisve contexti.

Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest; oro (fuit et tibi talis
Anchises genitor), Dauni miscrere senectæ;
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia conjux:
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat; infelix humero cum apparuit alto
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum

ne me occidas: *fruere tua fortuna: si ulla cura miseri patris potest commovere te, oro, miserere senectutis Dauni: fuit quoque tibi talis Anchises pater: et redde meis*, vel *me* vivum; *vel, si mavis, cadaver privatum luce. Vicisti, et Itali viderunt me victum tendere* tibi *manus: Lavinia tua est uxor. Ne progredere ulterius odiis. Æneas constitit ferox in armis, torquens oculos, et retinuit manum. Et jam jam magis sermo* Turni *cœperat commovere morantem Æneam; quando magnus* ac *infaustus balteus Pallantis juvenis apparuit* in *humero* Turni, *et cingulum emicuit notis clavis; quem* juvenem *afflictum vulnere Turnus occiderat, et gestabat humero insigne hostile. Ille* Æneas, *quando percepit oculis monumentum crudelis luctus et spolia, inflammatus furore, et terribilis ira,* ait: *An tu ornate*

ad Stat. VIII, 116.—932. *te forte* Goth. pr. *si te qua* pr. Menag.—935. *sive meum corpus* Valer. Prob. Art. Grammat. lib. I.—936. *evictum* sec. Rottend.—938. *nec tende* Leid.—940. *flectere mentem* aliquot Pier.—941. *alto* editum inde a pr. edd. Attamen *ingens* Carisius lib. I laudat: quam Ge. Fabricius omnium veterum librorum lectionem esse ait, mutatam ab iis, qui bina uni nomini epitheta (*infelix ingens balteus*) adjungi vitiosum existimarent. Ex codd. tamen suis nec Pier. nec Heinsius id firmant: videtur ubique *alto* legi: *alte* Oudart. *ultro* Parrhas.—942. *fluxerunt* Bigot.—946. *incensus* Dorvill.—947. *Spoliis tune hinc* Goth. sec. *hic* Parrh., ita erit *Tune hic;* ut: ille ego. *in spoliis*

NOTÆ

934 *Dauni*] De illo, Turni patre, 44.

942 *Balteus, et notis, &c.*] *Balteus, cingulum* humero laterique circumdatum: ornatum *bullis*, id est, clavis aureis. Æn. IX. 359. Balteum hunc Pallanti a se occiso Turnus eripuerat, Æn. X. 496. Agnoscit eum Æneas ex pictura Danaidum, quarum facinus in eo expressum erat, ibid. Tumque accidit, quod a poëta prædictum est, ibid. 503. 'Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque Oderit.'

Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

spoliis meorum sociorum *eripieris hinc mihi? Pallas, Pallas mactat te hoc ictu, et sumit supplicia ex inpio sanguine. Hoc dicens, ardens occuluit ferrum intra pectus oppositum: illi autem* Turno *membra deficiunt* præ *frigore, et vita dolens abit cum gemitu ad ur bras.*

alter Menag.—948. *Eripiere* Parrhas. *te* abest Leid.—949. *pœnas* qu. Moret. et Dorvill. *ex* deerat alteri Hamb. *de sanguine* Oudart. pro var. lect.—950. *adversum sub* Bigot. *adversus pectore* Leid. *in pectore torsit* qu. Moret.

NOTÆ

952 *Indignata*] Quod juvenis morte immatura moreretur, quod victus ab extero, quod regno et sponsa privatus, quod post spem veniæ conceptam.

PROŒMIUM

IN

CULICEM.

FUISSE aliquando Culicem inscriptum carmen, vulgo pro Maroniani ingenii juvenili fœtu habitum, dubitari nequit. Docent id loca T. I ad Vitam Virgilii §. 28 excitata Martialis XIV, ep. 185, et VIII, ep. 56, 19. 20, Suetonii in Vita Lucani, Statii Sylv. II, 7, 14.[1] Quibus adde eundem præf. Sylv. lib. I, ubi veretur de Thebaide edenda: *Sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam etiam cognoscimus. Nec quisquam est illustrium poëtarum, qui non aliquid operibus suis stylo remissiore proluserit.* Nonius quoque Marcellus p. 211 versum laudat in *labrusca*—"Neutro Virgilius in Culice: *Densaque virgultis avide labrusca petuntur.*" An tamen is ipse, quem nunc manibus terimus, pro Maroniano Culice habendus sit, non modo inde confectum non est,[2] verum

NOTÆ

[1] Martial. XIV, ep. 185 *Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis.* VIII, 56 *Protinus Italiam concepit et* Arma virumque, *Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.* Sueton. in Vita Lucani: *Quin tantæ levitatis, et tam immoderatæ linguæ fuit, ut in præfatione quadam, ætatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: Et quantum mihi restat ad Culicem?* Statii Sylv. II, 7, 73. 74 *Hæc primo juvenis canes sub ævo Ante annos Culicis Maroniani.*

[2] Virgilio Culicem Jo. Schraderus quoque vindicare voluit Emendatt. I. 2.

etiam dubitari potest: quandoquidem istud alterum carmen non invenustum fuisse necesse est; memoratur enim passim cum laude, et Lucanus non sine superbiæ nota dixisse existimatus est: *Et quantum mihi restat ad Culicem?* hoc autem, quod nunc habemus, splendet utique uno et altero loco, et habet laudes nonnullas; sed et tota illud summa peccat et plurima habet, quæ vel parum subtili judicio vix satis se probare possint. Quæ ne temere pronuntiasse videamur, age de carminis argumento et habitu dispiciamus paulo accuratius.

Inter lusus refertur hoc carmen merito argumenti sui vi et natura. Culex, cum pastorem infixo aculeo e somno excitatum præsenti morte liberasset, quam subrepens ei serpens inflicturus erat, inflicta manu obtritus, sequente nocte pastori per somnum oblatus, de male relata gratia conqueritur, hominemque adeo miseratione movet, ut tumulum culici exstruat. Nec tamen omnino poëta carmen epicum jocular, cujusmodi nostra ætas plura vidit, componere voluisse putandus est. Narratio est serio instituta, nec tamen epica, sed ad pastoritium seu bucolicum carmen propior, et delectare voluisse poëta videri debet, partim rerum narratione et descriptione, partim culicis de injuria sibi facta conquerentis miseratione.

Argumentum, si intentiore animo contempleris, per se satis tenue ac jejunum esse vixque magnum ornatum capere posse videtur. Cumulavit tamen ornamenta quisquis hæc scripsit, et in ornamentis his majorem operæ partem consumsit; quod per se non erat improbandum, si ornamenta sagacitas aliqua ingenii ex ipsa re elicuerat; verum auctor ad locos poëticos communes fere omnia revocavit, quibus ita immoratus est, ut orationis ordinem et seriem penitus interrumpi et mentem a carminis summa abduci necesse esset, quod v. c. factum videas in loco de laudibus vitæ rusticæ, de arboribus ad fontem natis v. 122 sqq., in locis inferis, in Tartaro, in Elysio, in tumulo plantis conserendo. Nimium adeo in parergis hæret poëta; nec pravum hoc studium exemplo non minus pravo Catulli, in Pelei et Theti-

dos epithalamio, aut Panegyrici in Messalam Tibulli Elegis subjecti, defendi aut potest aut debet.

Est vero interdum puerilis prorsus in cumulandis et variandis rebus similibus copiæ affectatio; quæ, si vel maxime eum juvenili ætate hæc lusisse dixeris (Scaligerum, qui jam grandiorem natu Maronem scripsisse Culicem contendebat, nemo facile audiet æquo animo,) vix tamen ab eo poëta proficisci potuit, qui Georgica et Æneidem scripsit; ut adeo aliquando in eam opinionem pronior essem, quam etiam Franc. Oudinum tuitum esse video (disp. de Culice Virgiliano in Misc. Obss. crit. nov. T. IV, p. 307), qua persuasum mihi esset, nos veterem illum Maronis Culicem omnino non habere. Occurrunt tamen altera ex parte loci carminis præclari poëta bono haud indigni; video itaque haud paulo probabilius esse alterum: habere quidem nos carminis fundum aliquem Virgilianum, interpolatum tamen et oneratum infinitis aliorum laciniis intextis et interpositis. Ducit etiam eo diversitas illa locorum ac versuum in eodem carmine, et variata per plures diversæ notæ versus eadem sententia. Quod si teneatur, facile et virtutum et vitiorum in hoc carmine causæ explicari totaque ejus ratio constitui potest.

Scilicet, literarum bonarum studiis, jam per rhetoricas scholas et μελέτας corruptis, fuit doctorum hominum male sedulorum mos, ut cum Ovidianis, tum Virgilianis, his tamen maxime, quandoquidem intra Virgilianam orationem omne fere poëtices studium eorum temporum se continebat, versibus variandis, ornandis vel amplificandis, ingenium suum experirentur. Multa sunt sub Scholasticorum nomine in Anthologia Latina carmina, quibus, interdum decies vel duodecies, eadem sententia vel idem versus variatur. Alii thema, quod vocabant, seu argumentum fabulæ alicujus ex Virgilio vel aliunde desumtum, versibus modo ex Virgilio consarcinatis in Centonis morem, modo ad Virgilii exemplum formatis, pertractarunt: utriusque generis exempla in Ausonio prostant. Sunt vero in his multa non malæ notæ carmina; sunt singula loca, singuli versus docte et ornate facti:

Comparet v. c. aliquis narrationem de adulterio Martis et Veneris Anthol. Lat. P. 1, ep. 72. Non defuit homini, qui id carmen scripsit, ingenium nec poëtica oratio: defuit judicium ad summam carminis constituendam et ad eliminandam copiam otiosam et inanem. Adde ibid. lib. 1, ep. 89 et al. Lecto itaque Virgilii carmine, ascripserunt in margine codicis sui hi homines ea quæ ipsi tentaverant, ad variandam vel amplificandam sententiam; idque inprimis in minoribus his Virgilii carminibus factum apparet; multo autem maxime in Culice, cujus, si recte judico, plus quam dimidia pars ejusmodi Scholasticorum versibus consarcinata est. Versus hos aut inter lineas aut in margine ascriptos librarii indocti, qui codicem describebant, forte etiam ut pleniorem codicem venditare possent, in ipsum carmen inferserant; atque sic evenit, ut illud interpolatum et, modo versibus satis bonis, modo inscitis et indoctis, aut hiulcis et scabris, fœdatum ad nos perveniret. Quod non animadversum fraudi fuit viris doctis, quos, tam diversæ notæ monetam eodem loco habentes, in multis trepidare necesse fuit. Facile adeo ex his potest intelligi, fundum quidem carminis esse posse Culicem illum Maronianum, sed attextas esse a Scholasticis et Grammaticis lacinias plurimas, quibus priscus carminis nitor plerisque in locis admodum attritus ut sit necesse est.

Atque hæc ipsa faciunt, ut vix cum delectatione, nec nisi ab eo, qui jam aliquantum in poëtarum lectione versatus sit, legi possit hoc carmen.[1] Male enim cohærent tot panni a diversis hominibus assuti, et natæ sunt ex eo ipso corruptelæ dictionis et sententiæ plurimæ; ut adeo in his carminibus res aliter procedat, quam in superioribus vo-

NOTÆ

[1] Patrio sermone, octonis versibus in strophas coëuntibus, redditum est hoc carmen a Spensero, poëta nobili Britanno (*Virgil's Gnat*), in ejus Opp. Nec sine voluptate illud facile perlegas. Adeo mihi vel hoc exemplo patuit, quanto expeditius esset poëtam carmine vernaculo reddere, quam verba subtiliter interpretari. Nihil enim vetabat sententias integras summatim efferre, ejusve partes in quemcumque placeret sensum deflectere, aut verba corrupta aptis et idoneis permutare.

luminibus, cum in interpretationis subtilitate major studii nostri pars versaretur. Nunc enim nostra opera fere tota ad criticas animadversiones, lectionemque constituendam vel emendandam, transferenda erat. Propositum itaque velim hoc volumen adolescentibus, qui in critico studio exercere ingenia volunt, tanquam campum, in quo lusus hujus ingenui periculum aliquod faciant, aut gustum saltem sibi comparent.

Ceterum, antequam lectionis originem et progressum ad emendationem satis accurate cognoscere liceret, molestiæ mihi in hoc et sequentibus carminibus enarrandis devorandæ fuere plurimæ eæque maximæ. Nunc satis mihi liquet Culicem statim in editione principe vulgatum, inde in multis aliis editionibus repetitum, vix tamen criticam manum esse expertum ante P. Bembum. Nam in Domitii Calderini, Pomponii Sabini, et Badii Ascensii commentariis præter vulgarem varietatem nihil occurrit, quod ad emendationem poëtæ faciat. Bembus autem præter alterum illum codicem, qui totum Virgilium complectebatur, codicem perantiquum adhibuit, truncum tamen et mutilatum, quippe cui, præter *juvenilis ludi* libellum et Bucolica ac Georgicorum primi libri partem, nihil supererat (conf. De Virgilii codd. Mss. s. VIII). Liber autem ille juvenilis ludi continebat *Culicem, Diras, Copam, Est et Non, Vir bonus, Moretum, Rosas.* Hæc ipse Bembus exposuit in Dialogo *de Culice et Terentii fabulis,* in quo ex codice illo Culicem recensuit. Exiit ille liber primum a. 1530 apud fratres Sabbios Venetiis: cum ex eo codice recensio minorum carminum Virgilii dudum facta esset ab Asulano. Aldus enim, in epistola ad P. Bembum editioni 1514 Naugerii auxilio emendatæ præfixa, *Virgilii lusus, quos Bembus correctissimos habeat, tunc se editurum esse promittit, cum ab eo acceperit,* quod futurum putabat brevi; verum morte præventus fidem non exsolvit Aldus; perfecit tamen Asulanus, qui 1517 *Diversorum poëtarum in Priapum lusus, P. V. M. Catalecta, Copam, Rosas, Culicem, Diras, Moretum, Cirin* etc. edidit, emendata a se, ut ait, collatis pluribus exemplaribus. In hac Culicis recensione Bembini

codicis lectio in multis locis recepta est, nec tamen in omnibus, quæ Bembus mox ex codice suo constituisse videri voluit. Repetita illa est in ædibus heredum Aldi et Andreæ soceri 1534, mutatis tamen passim lectionibus, inprimis in Ciri. Ut adeo trina sit Aldina recensio; prima antiquior nec emendata ed. Ald. 1505, altera 1517 et tertia 1534. Quæ passim a me excitatur tanquam melioris lectionis fundus, media est anni 1517. Aldinam non vidi qui ante oculos haberet, præter Ge. Fabricium, quia alia et ipse emendasse aut aliorum emendationem admisisse videtur. Heinsius tractavit tertiam. Sed Bembina castigatio a multis recepta est, inprimis Venetis et Antwerpiensibus. Comparavit mox veterem membranam, seu excerpta P. Pithœi, et aliam Ant. Contii ICti membranam, etiam editiones veteres, Josephus Scaliger, idemque emendationes adjecit plurimas, doctas utique, sed raro ulla ingenii vel dictionis ac numeri facilitate se probantes. P. Pithœus, qui haud multo post Scaligerum Epigrammata et Poëmatia vetera edidit, hactenus non nihil in Culicem et Cirin contulisse videri debet, quod in eo lectiones occurrunt nonnullæ, quas apud alios non observavi. Scaligeranas emendationes sine delectu recepit omnes Taubmannus, qui Culicem commentario instruxit, sed qui totus ex Scaligeri opibus aliisque eruditis copiis, inprimis Barthii, qui Advers. lib. XX, 13 et 19. XXI, 3 et 9 et 18. 20 et 23 Culicem emaculare voluit, consarcinatus est; qui enim ingenio suo in jocis lusibusque adeo indulgere narratus est, Taubmannus, in re critica et perspiciendo sensu nec ingenio nec judicio suo ipse aliquid tribuisse videtur; adeo totus ex aliorum acumine pendet. Bembina hinc lectio e Scaligerana emendatione passim interpolari cœpit; idque diversorum virorum doctorum opera. Nam et in Heinsianis ac Burmannianis editionibus satis inconstanter multa expressa esse vidi. Cum in priore editione, quoniam per totum Maronem hoc secutus eram, lectionem editionis Burmannianæ majoris, quam in nonnullis ab Heinsiana, etiam a minore Burmanni

1704, discrepare vidi, retinuissem: in nova hac recensione paulo licentius versatus sum in lectione mutanda, quoties ratione satis idonea id me facere arbitrarer. Iis enim instructus eram copiis, ut aliquid mihi hac in opera sumere possem. Nam præterquam quod lectionis origines investigaveram, ad manus erant cum edd. veteres, quæ antiquam lectionem habebant,[1] tum Bembinæ lectionis auctoritas cum reliquis edd., in quibus emendatus est Culex vel tentatus. Habueram jam in priore editione variam lectionem, quam e codice suo excerptam miserat ad me Jo. Ge. Gu. Kœhler v. c., alteram codicis Helmstadiensis a. 1450 exarati mihi obtulerat Wernsdorfii, viri doctissimi et humanissimi, benevolentia. In nova hac recensione ad manum fuere schedæ Jo. Schraderi cum descriptis ab eo schedis Nic. Heinsii, cujus sagacitatem in poëtis emendandis nemo alius æquavit.[2] Nolui tamen ea, quæ elegantius ille refinxerat, obtrudere indoctis grammaticis interpolatoribus; quorum fraudes hunc eundem virum acutissimum tam parum odoratum esse sæpius miratus sum. Omnino valde diversa inter se habenda sunt: restituere veteris poëtæ lectionem etiam haud bonam, si haud bonus est; et, poëtam refingere, minusque probis substituere meliora. Hoc non critici est, sed judicis.

Extant adhuc passim in bibliothecis, inprimis in Regia Parisiensi, codices, qui poëmatia illa minora, quæ sub Virgilii nomine venire solent, modo plura, modo pauciora, interdum Moretum tantum aut aliud carmen, exhibent. Quos codices si excussos, saltem inspectos a viris doctis, qui ea loca adeunt, audivero; multo magis lætabor, quam si tot

NOTÆ

[1] Excussi edd. Vicentinam 1479 et Ven. 1486, Ven. 1482, Ven. 1484, Norimb. 1492, Ven. 1495, Ed. s. l. et a. Culicis et alior. minorum Carminum.

[2] Edidit nuper (1766) *H. Friseman-nus* v. c. *Collectanea critica*, in quibus Cirin et Culicem exprimi curavit cum conjecturis nonnullis Jo. Schraderi magistri sui, quas ad marginem libri annotatas ab oblivione vindicari voluit; adjecit quoque ex eodem libro lectiones variantes in Cirin codicis Basileensis, in Culicem Petaviani et Vossiani. Cum mihi pleniores Schraderi schedæ obtigissent; multa licuit diligentius constituere, et, quæ Heinsii essent, sejungere ac discernere.

vulgares libros, qui Æneidem, Georgica, et Eclogas habent, quorumque comparatione nullus prorsus fructus ad illa carmina expectari potest, in medium proferri videam. Nisi enim, in codicum inspectione et usu, judicio sano et recto utaris, nullum facile esse potest aliud studium tam jejunum, futile, et liberali homine vix dignum, quam hoc, quod in excutiendis librariæ inertiæ quisquiliis collocari solet.

P. VIRGILII MARONIS

C U L E X

AD OCTAVIUM.[1]

ARGUMENTUM.

PASTOR gregem mane in pascua eductum sub medium diem ad fontem in agro Thebano sub Cithærone (cf. ad v. 108) compulerat, qui erat in valle sylvosa: ipse juxta fontem recubuit et obdormivit—160. Ecce magnus serpens, ex hydrorum genere, in locis, quæ circa fontem erant, paludosis æstum levare solitus, advolvitur et pastori iratus imminet—

NOTÆ

[1] Petaviano codici præscripta erant hæc: " Poëtarum sapientissimi, P. V. M. condiscipuli Octaviani Cæsaris Augusti mundi Imperatoris, juvenalis ludi libellus. Incipit Culex."

Cum difficultates, quæ in hoc carmine occurrunt, lectionis fere depravatæ stribligini debeantur: plerorumque locorum enodatio ex Var. Lect. expositione erit petenda.

Exordium usque ad v. 40 continuatur. Exposito argumento, Phœbum, Musas, et Palem, tum Octavium invocat: quem puerum appellat, cujusque nondum res ullas gestas, quas commemorare posset, habuisse videtur. Octavianum Cæsarem vulgo intelligi video; perperam utique. Cum ei primum commendatus est Maro a Mæcenate, non jam *Octavius* erat, sed *Cæsar Octavianus*; nec *puer*, sed *juvenis*, ut in Ecl. 1. Nec huc faciunt, quæ de usu vocis *pueri* disputari solent. Videtur esse Octavius, cujus in Catalectis n. XIV mentio fit; nec tamen constat, sitne idem, qui ap. Horat. *Octavius optimus*. Nisi Statius cum Martiale et Suetonio Culicis Virgiliani jam meminissent, Octavii nomen fraudem fecisse grammaticis dicerem, ut ad Maronem auctorem carmen referrent.

180; cum forte fortuna Culicis aculeo in oculi angulo infixo expergefactus ex somno pastor manu quidem ad vultus delata miserum Culicem attritu interimit, vigilantibus tamen oculis prospiciens serpentem sibi minantem aspicit. Itaque exilit et arrepto trunco serpentem trucidat—200. Nocte sequente Culicis umbra pastori se per somnum offert, graviterque cum eo expostulat, quod se, qui ei salutis auctor fuisset, manus afflicta vita privasset—230. Tum exponit errores suos per loca infera, sede certa nondum assignata—383. Pastor altero die, ut Culici officium persolveret, tumulum ei exstruit variis floribus fruticibusque consitum et titulo ornatum—ad fin. Videtur autem hoc, etsi diserte poëta non exposuit, eo consilio fecisse, ut ad sedem certam in locis inferis admitteretur umbra Culicis: ad eum morem, quo sine tumuli honore nec aliæ umbræ Stygem tranare posse creditæ sunt.

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
Lusimus: hæc propter Culicis sint carmina dicta.
Omnis ut historiæ per ludum consonet ordo
Notitiæ, ducam voces: licet invidus adsit. 5

2. *f. usum* Ms. Helmst., et *ursum* scripti Petav. et Voss. ap. Heins., *struxe orsus* ap. Plin. XI, 10, in nonnullis codd.—3. *hac propter* Scaliger malebat; nil refert. *sint* a Bembo est; antea *sunt*. Nic. Heins. conj. *Lusimus hæc propere; Culici sic c. d.* Voss. et Petav. *docta*.—4. 5. partim ex Scaligeri emendatione partim aliunde constituta lectio. Vulgata, quam Badius et Taubmann. cum Barthio frustra conantur interpretari, in vett. edd. erat: *Omnis et h.—c. o, Notitiæque ducum voces;* nec Bembus quicquam mutavit, nisi quod *Omnis ut* correxit. Legebatur quidem in nonnullis *Nutritæ:* etiam *Nutrices:* sed hoc interpolatum ex vitiosa lectione: *Notitræque* pro *Notitiæque*. In quibus cum sententia idonea non occurreret, Scaliger emendabat: *Omnis ut historiæ proludens consonet ordo Notitiæ, ducam vocem licet; invidus absit.* Emendatio dura et coacta, et cujus sensum ipse vix satis habet quomodo exponat: *ut omnis ordo historiæ notitiæ consonet, ducam vocem. Deducam vocem in re tam tenui et*

NOTÆ

1 *Gracili Thalia* prava imitatione dictum ex illo: *gracili avena, tenui carmine*. At comparatio, ab aranea texturam ordientis conata petita, suavis.

4. 5 *Ut omnis ordo notitiæ historiæ*, pro historicæ, *consonet per ludum, ducam voces*, h. deducam, canam. Sed vide Var. Lect.

Quisquis erit culpare jocos Musamque paratus:
Pondere vel Culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra: dabunt cum securos mihi tempora fructus:
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu. 10
Latonæ magnique decus Jovis aurea proles,
Phœbus, erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor: sive educat illum

---

humili, ut stylus conveniat materiæ. Et *proludens* quidem Ms. Pithœi habebat, sed quo sensu? an pro, *ludens?* Quanto vero melius *per ludum:* cui ascriptum forte glossema *(pro ludens)* arripuit librarius Pithœani exemplaris. *Notitiæ historiæ* jungit Scaliger, ut sit pro *historicæ*, ut tot alia apud poëtas occurrunt. *ducere vocem* ut, *ducere filum.* Barthius Advers. XXX, 24, et XIX, 13 miro acumine *Notitiæ pecudum voces* legere suadebat. Sed nec hic nec in ceteris quicquam proficit. Heins. *adducam vocem licet;* ut sit *adducere vocem*, contrarium *remittere.* Mihi quidem de hoc loco ita videtur. Cum totum hoc exordium satis jejunum sit, interpolatum quoque illud est a v. 3 ad 7, in quibus nihil est, quod non ineptum versificatorem redoleat. Nec tamen interpolatio profecta ab una manu: nam vs. 5 ab homine, inscito prorsus, infertus videtur; a doctiore vss. 3. 4 *Lusimus: hæc propter Culicis sint carmina dicta, Omnis ut historiæ per ludum consonet ordo;* h. e. Cum lusus hoc esse debeat carmen, nomen quoque imposui ludicrum Culicis, *ut omnis historiæ ordo*, h. tota narratio, *consonet per ludum*, h. ludicra sit, ipso quoque titulo. His ascripsit indoctus homo barbare versu 5 prorsus ejiciendo: *Notitiam ducunt voces:* pro: dant voces, nomina, tituli, notitiam, scil. rei, quæ tractatur. Hæc prave scripta ab aliis: *Notitiã ducũ voces;* unde vulgaris lectio enata; hinc ex seqq. expletus versus: *licet invidus adsit.* Dubito vero omnino, an ante versum 41 quicquam sit, quod a Marone profectum esse dixeris.—7. *feratur* mavult Scalig. et Heins.—8. *Post erit, ut grav.—loquatur* emendat Heinsius. *Posterius* tamen apud Lucret. quoque occurrit. *g. sono Musaque* Ms. Helmst.—9. *Dicta* Voss. *dabunt cum securos mihi tempora fructus.* Invita Minerva scriptus versus. Significare voluit *fructus ingenii, studii, otii;* quibus conveniret *maturos;* quod et Heins. conj. *dabunt cum maturos mihi* (vel *sua*) *tempora fructus.* Nisi forte scriptum fuit: *securos—portus;* sic secessus et otia Musarum contubernio exacta appellant poëtæ.—10. *Ut te d. suo* Voss. *Ut mihi* cod. Kœleri; sed *tibi* in margine. *digna tuo* a Bembo emendatum. Vulgo: *dignato. digna nato spoliantur* Petav. *d. suos poliant ut* Voss., unde *Et tibi digna suos poliant ut carmina census* em. Heins., ut *census* sit ut Quintil. Decl. XIII, 9 *vagari tu nolles opes, in opus exire, et ad quotidianum* censum laboris assidui *non detrectare militiam?* Verum nihil in his est, quod sponte fluere dixeris.—11. Scabra verborum junctura; cui succurri poterat: *Latonæ decus, et magni Jovis aurea proles;* vel *Latonæ magnum decus, et Jovis aurea proles.* Heins. em. *L. magnique adeo Jovis.* Idem; "*Jovis decus* scripti. Lege *Jovis genus,*" Pompon. Sabin. laudat: *Latonæ et Jovis a. p.*—12. 13. Languent hæc, sed poëtæ forte culpa. *Phœbus erit;* quidni *Phœbus adest.* *recanente* Scaliger e libb. reponi vult. *Atque canente* Kœl. Ms., sed et *recinente* in marg. *educet* Ms. Helmstad.

NOTÆ

13 *Educat*, debet esse pro tenet, habet; ut *nutrire*, τρέφειν, φέρβεσθαι. vid. Var. Lect. *Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore.* *Xanthus* urbs Lyciæ, Apollini sacra, cum tota Lycia; nec multum aberat Latonæ templum,

Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte;
Castaliæque sonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naides, et celebrate Deum plaudente chorea.

educat Pompon. Sab. " puto, intelligi colat; quod enim colimus, fama, observatione, et veneratione nutrimus." Commodior poëtæ ad manum erat ratio: *seu detinet illum.* Jacobs v. c. conj. *sive occupat i.* Heins. conj. *Te recinente lyra: sive altrix e.;* haud dubie tersius, an vere, non dicam.—14. *Xanthus* e Bembi emendatione; antea: *Xanthi.* Sic *alma* de Latona accipiebant. At Scaliger hoc idem *Xanthi* revocabat, et *urbs* subintelligebat, scilicet, ne ullus facile versus in hoc poëmatio scabritie sua careret. Lectum quoque *Lunæ* Badius testatur. Heins. videtur conjecisse *cruore:* ut adeo cogitaret de Chimæra cæsa in istis locis a Bellerophonte. Etiam in Voss. est *Xanthi,* et inf. 304 *Et Simois Xanthique liquor* (ibi tamen de Scamandro). Unde Jo. Schrader. emendabat: *Alma Chimæra sui Xanthi perfusa liquore.* Vix tamen Apollinem ad Chimæram montem referas. Poterant advocare Antonin. Lib. 35, ubi Apollinem et Dianam amne Xantho abluit Latona: ἀφίκετο εἰς Λυκίαν, ἐνηφερομένη τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ λουτρὰ τοῦ Ξάνθου.—15. *Seu nemus Asteriæ.* Etiam hoc a Bembo. Vulgo: *decus astrigeri,* quod de Sole accipiebant; alii, et in his Voss. cum Petav., *decus astrigeri* vel *astrigerum:* quod Pompon. Sab. interpretatur. Scaliger ait, *omnes antiquitus excusos* habere *astriferum;* quod verum non est: quinque enim, quas in manibus habemus, vett. edd. *astrigeri* exhibent: quod eidem in Contii libro occurrebat, et Petav. *astriferum* vel *astrigeri.* Idem conj. *Seu specus æstriferum,* ut intelligatur specus Delphicum; sed mox tuetur *decus astriferum;* perperam utique: agitur enim de locis, quæ Phœbus frequentat: Xantho, Delo, Parnasso. Delum autem per Asteriam declarari, obvia res est. Heins. tentabat: *Seu specus Asteriæ;* vel *Seu tesqua A.*—16. *prætendit* mavult Scalig. e Ms. Pithœi. Sed *præpandere* est Lucretianum. v. Wakefield ad Lucret. I, 145.—17. Ante Bembum: *liquido prælabitur.* Tum Scaliger e Ms. Pithœi mavult: *Castalia et resonans.*—18. 19. Suppositicios versus esse arbitror: alienos utique a sententia. *P. nemoris* Voss. *ite* pro venite. *Naiades* pars vett. edd. Sic saltem deb. *Vos quoque, P....ite....Naia-*

NOTÆ

τὸ Λητῶον, nobile, v. Strab. XIV, p. 981 B. C., situm cum urbe ad fl. Xanthum; unde h. l. *Xanthus perfusa liquore Chimæreo:* h. urbs, quam alluit amnis Xanthus. Sane is quidem in monte Chimæra, quæ pars Cragi fuisse et ad mare pertinuisse videtur, ortum habere vix potuit. Itaque ad geographicam subtilitatem poëta h. l. non revocandus.

15 *Nemus Asteriæ.* Delus, vetere nomine. v. Callimach. in Del. 36. 37. Plin. IV, s. 23.

15. 16 Parnassus mons longe procurrit versus septentrionem, donec cum Œtæis jugis continuatur. v. Strab. IX, pag. 638 B. Sed auctor partem montis versus meridiem in theatri modum patentem describere voluit. Ib. p. 640 A. τὸ δὲ νότιον (αὐτοῦ μέρος κατέχουσιν) οἱ Δελφοὶ πετρῶδες χωρίον, θεατροειδὲς, κατὰ κορυφὴν ἔχον τὸ μαντεῖον καὶ τὴν πόλιν. Subjecta erat camporum planities versus mare declivis, qua ludi Pythici habebantur.

18 *Sorores Naides,* h. l. Musæ. Ad 20. 21. v. Var. Lect.

Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aëreos nemorum tractus sylvasque virentes.
Te cultrice vagus saltus feror inter et astra.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis allabere cœptis,

---

des celebrare Deum. ludente ante Bemb. etiam in Ald.—20....23. Fœde hæc corrupta; nisi forte, quod suspicor, totus locus ab interpolatore, haud uno, profectus est. Expressa est lectio Bembina. Antea unо versu extruso lectum: *Et tu s. P. ad quam ventura recurrunt Agrestum bona, secura sit cura canentis. Aërios nemorum saltus feror inter et astra.* Primum video in Aldina vett. poët. Ius. 1517.. .*se cura sit cura tenentum Aërios nemorum cultus sylvasque virentis, Te cultrice vagus saltus feror inter et astra.* Nec aliter in seqq. Ven. ut Junt. 1532, nisi quod correctum est: *secure sit cura canentis.* Petav. et Voss. *A. bona cura sequi secura tenentes.* Videbimus de singulis: *Et tu, s.* præfero: quod et Voss. habet. *ad quam ventura recurrunt Agrestum bona:* quandoquidem pecudum et frugum ejus cura provenientium primitiæ ei libantur. *venturæ herbæ, ventura lana,* apud poëtas occurrunt. v. Barth. Advers. XIX, 13. Præstat tamen sic: *ad quam ventura recurrit Agrestum fetura,* quo alii libri ducunt, etiam Voss. Sequentia possint forte sic constitui: *tibi sit cura canentis Aërios nemorum tractus* (pro altis, editis, non damno) *sylvasque virentes Te cultrice* (o Pales, et juncta illa sint: *virentes Te c.*), *vagus saltus feror inter et astra.* Nam *astra* sensum idoneum non habent; sed poëta, per nemorum recessus vagatus, fertur *inter saltus et antra.* Scaliger e membrana Pithœi probabat:

Et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona sors cura secura, tenes quæ
Herbiferos saltus nemorum sylvasque virentes,
Te tutrice vagus s. f.

Aliam item membranam eandem lectionem habere, quanquam paulo depravatiorem, testatur. *tenes quom* antiquitus fuit exaratum in Pith. Omnia in his dura sunt. *bona sors* debet esse copia lactis, proventus lactis, quia est pastoralis Dea; ea *sors secura ab omni cura* dicta, quia sine omni cura ac labore illam percipiunt pastores. Probat hæc Barthius Advers. XIX, 13, nisi quod v. 21 *curæ secura* scribi jubet.—20. *ventura.* Kœler. Ms. in marg. *veritura,* et v. 21 *fetura sit cura tenentum,* v. 22 *A. n. saltus,* et in marg. *cultus,* quod et Voss. Ms. habet; et v. 23 *inter et arva.* In Ms. Helmst. corruptiora erant: *Et tuscam palem ad quam: ventura recurrunt Agrestum dona vobis sit cura retentum.* In v. 21 Heins. conj. *bona turba;* et v. 22 *saltus feror inter et arva* vel *antra,* hoc bene, etiam *vagos saltus,* quod non probo. In alteris schedis varie tentat: *ad quam* votura *recurrit agrestum bona turba, sequi sit cura canentem.* Item: *ad quam* votiva *recurrit agrestum fetura.* Naso III Am. 13 *Accipit æra preces votivaque thura piorum:* sic *votiva chori* Stat. Theb. IV, 209. Iterum: *sequi cui cura tenes quæ Herbiferos tractus nemorum.* Jo. Schrader. ap. Frisem. *Et tu, s. P. ad quam votiva recurrit agrestum, bona Diva, frequens fetura, tenetque.* —24. *At* Bemb. *Et* Aldina et al. *castris* Ms. Contii et Petav., ex vitio scripturæ ortum, ut in Helmst. *castis.* Eadem varietas, *castris* et *chartis,* est ap. Tibull. IV, 1, 39. Attamen; recte, ait Scaliger: *Tu qui, ut veteres loquebantur, belli clues.* Hoc et durum per se et a loco alienum. Octavium invocat, cui jam laudum meritarum copia fiduciam facere potest, ut poëtæ tutelam suscipiat. *chartæ* pro carminibus, ut apud Tibull. IV, 1 aliquoties. *cui m. teritur fiducia* emendabat Barthius Advers. XIX, 13, parum venuste. *meritis f. tantis* Aldina 1517 et hinc Ge. Fabric., quod malim poëtam dedisse, tanquam lucu-

Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses;
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos, nec magno vincula Ponto
Jacta, meo quærent jam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia cum timuit venientes undique Persas:
Mollia sed tenui percurrere carmina versu,
Viribus apta suis, Phœbo duce, ludere gaudet.

lentius. Et potest ex prava scriptura certæ ætatis ex *tătis* factum esse *cartis*. —26. *Sancte puer;* nemo reprehendat dictum ex usu Romanorum. *tibi:* præstabat *mihi:* quod et Jo. Schrader. malebat. Mirum lectionis monstrum Ms. Contii, idem Kœler. Ms. cum Petav. et Thuan., habebat: *Triste Jovis ponique canit non p. b.;* unde Scaliger non dubitanter legebat: *Triste Jovis Punique canit non pagina bellum.* Sed ipse dubitat, *Jovis bellum* sitne Capitolium a bello obsessum, an Giganteum. *Punicum bellum* autem prorsus a loco alienum; jungitur enim: *Pœni bellum, Phlegra G.* Barthius Advers. XIX, 13 emendabat *T. Jovis Otique* ex v. 233, unde felicior subnata Taubmanni conjectura: *Triste Jovis Rhœcique canit non p. b.* Nomen Rhœci Gigantis notum. cf. sup. Var. Lect. ad Gē. II, 456. *Triste Jovis Cœique* Jo. Schrader. conj., laudato Lucan. IV, 596, et Propert. III, 7, 47, Heins. *Triste Jovis mihi namque canit non p. b.*, aut f. *canit* et *compellet*, et *uret*. Idem mox conj. *compellit in Ossan:* quod alienum. Porro v. 27 *Phlegra tellus* offendit Jo. Schraderum, qui emendabat, *Feta G.* cf. Not. —31. *Jacta* emendatum a Bembo. Vulgo *Lecta*. Pinciana 1505 *Lacta*. Petav. Ms. *Læta;* unde Heins. conj. *Lata*, a ferendo.—33. *non timuit* Pompon. Sab. habuit in suo: sicque Ms. Kœler.—34. *Mollia sed tenui pede currere carmina versu* legebatur. *versum* Voss. Imbecillus versus, quem frustra Barthius recreare volebat interpunctione Advers. XX, 19; Heins. *decurrere*, a. *decurrens* emendabat; vel cum Scaligero, *percurrere carmina*, ut *percurrere telas pectine;* idque verum esse censeo. Nisi totus versus v. 34 obelo transfigendus, et in antec. versu *currunt* scribendum est. *gaudet*, scil. pagina ex vs. 26. —35. *V. acta suis* Ms. Kœler. *Phœbo duce;* interserit *et*, Heinsius, cui antea

NOTÆ

26 Namque nec Gigantomachiam nec pugnam Lapitharum cum Centauris nec bellum Persicum cantare aggredior: verum argumentum leve ac humile: in quo, ne ausis excidam, minor metus esse debet. Nec obscura autem illa ratio, ut, quæ poëta canit, ea in actum producat verbis: *nec compellit. nec Oriens urit* etc. conf. Ecl. VI, 62.

27 *Phlegra, tellus*, apposita: pro vulgari: Phlegræa tellus, quæ etiam Pallene. Sic flumen Metaurum, terra Gallia. conf. Scalig. et Taubm., It. Barth. Advers. XIX, 13.

29 sq. Novum hoc, quod poëta extra fabulas veteres argumentum carminis quærit, et ex historiis petit, h. l. belli Medici. Primum in Propertio talia ex historiis, heroum vita superioribus, occurrere memini. Athenas a Persis crematas quis nescit? item vincula a Xerxe Hellesponto injecta?

Et tu, sancte puer, venerabilis, et tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per ævum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices memoretur vita per annos,
Grata bonis lucens. Sed nos ad cœpta feramur. 40
Igneus æthereas jam Sol penetrarat in arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:

---

astipulabar. Nec tamen necesse esse video.—36. *Et tu, sancte puer, venerabilis, et t.* Bembina lectio. Vulgo: *Hoc tibi* (Pompon. Sab. *Et tibi,*) *sancte puer, mortalibus,* et amplectebatur fere hoc Barthius Advers. XX, 19, ut esset *Sancte mortalibus puer semper manebis.* Satis jejune! Alii, etiam Ald., *Hoc tibi s. p. memorabile, sic t.* Ms. Pithœi cum Contii libro: *Et tibi s. p. memorabitur: et t. c.* Mireris Scaligerum hæc referre ad morem apprecandi inter pocula. *En tibi s. p. memorabitur* amplectebatur Heins. *memorabilis* Ms. Kœler. cum Petav. et Voss. Suspicor fuisse: *Et tu, sancte puer, memorabere: sic tibi certet Gloria,* h. Etiam tu olim memoraberis carminibus etc., sequente poëtica asseveratione: *Sic.* Saltem hæc elegantior est ratio aliis, in quas facile quisque incidat. Nunc video Jo. Schraderum quoque conj. *Et tu, s. p. memoraberis; et.* Vossium autem olim: *Huc tu, s. p. memor advis; et.*—37. *certet ...mansura* puto dictum ornate ad Græcam formam, pro permaneat, perseveranter maneat. Malim tamen vel sic: *Sic tibi cedat Gloria* h. veniat, contingat. Mox *mansura* sequente statim *maneat* parum nitet. Melius forte *victura.* Sed talia quis præstat a versificatore hoc esse profecta? *ævum lucis* vix bene dictum pro lucis, vitæ, fatali termino; an *dulcis* fuit? sc. gloria. *perpetuum lucens* ante Bembum lectum: quod jam prælatum est a Scaligero. In *lucis* quærebat vocem *culicis* Barth. Advers. XX, 19. Heins. conj. *et sibi peretet Gloria;* et v. 37 *sæcli* pro lucis. At apponitur fama post mortem v. 38. —39. *Didita* conj. Heins. *memoretur* molestum est, etiam ad sensum. Lego: *numeretur.* Vita sospes tibi debita numeretur per annos felices; eleganter. —40. *lucens* etiam codd. Petav. et Voss. Ante Bembum *liceat* legebatur. *bonis lucens* ex Æschyleo: *ἀγαθοῖς φλέγουσα,* illustrat Scaliger. Ergo copulandum erit :...*vita...Grata, bonis lucens,* h. affluens; vel *grata* erit pro adverbio, ut *gratum lucens.* Heins. conj. *bonis Musis;* vel *Grata bonis: Ludi sed nos ad cœpta feramur.* Sed totus versus interpolatrici manui debetur cum reliquis antecedentibus.—41. Pro *æthereas* Ms. Pithœi: *etneas,* unde Scaliger finxit: *Œteas;* docte utique: v. ad Ecl. VIII, 30. conf. inf. 201 et Ciris v. 350 et Intpp. ad Senec. Herc. fur. 132, nisi Pithœanam lectionem ex compendio vocis ortam probabile fieret. *Ætnæas* etiam Ms. Kœler.—42. *limina* in edd. Fabric., prave. *quatere lumina,* h. l. radios emittere, spargere, esse videtur: etsi hæc ipsa malim. Verum etiam in Ciri 350 *lux ubi diem quatiebat.* Contra *quatere equos, currum;* ut infra quoque 201. Wakef. ad Lucret. IV, 406 elegantiorem poeticæ dictionis formulam, ab aliis non intellectam, esse pronuntiat; esse enim ac si lampada "concuteret." Heins. conj. *culmina* vel *limina:* si tamen jam in altum Sol evectus erat: *limina* aliena sunt.—43. *fugabat* edd. ante Bemb. Sed totus versus tanquam insititius delendus. Est appicta in margine variatio superioris. Inepte quoque auroræ mentio subjicitur, sole

NOTÆ

36—40 Etiam Octavium aliquando celebratum iri ait: sed versibus cor- ruptis et interpolatis.

Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit,
Lurida qua patulos velabant gramina colles.
Jam sylvis dumisque, vagæ jam vallibus abdunt
Corpora; jamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea desertæ perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu,
Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu

jam in altum evecto; et, an ejus *crines*, iique *rosei*, ad poëticum morem spectent, non teneo. Præstaret utique *Ignibus*.—44. *Protulit* edd. vett. *Propulit ut st.* Heins. emendavit recte. Vulgo *et*; tum *ad pascua* Ms. Kœler.—46. *Luridum* etiam de pallore dici bene memini: nec tamen in re grata et jucunda. Exc. Pithœi: *Humida*, quod verum esse arbitror, ex *Umida*. Heins. conj. *Uvida*, etiam bene. Jo. Schrader. *Herbida*. Ms. Cont. *Lucida*, quod probabat Scaliger, scil. propter rorem. Laudat Heins. Lucret. II, 319 *Nam sæpe in colli...Invitant herbæ gemmantes rore recenti*, et Calphurn. V, 54 *Frigida nocturno tinguntur pascua rore, Et matutinæ lucent in gramine guttæ*. Pro *tinguntur* mavult *tanguntur*; ut apud Ovid. in Fast. *tactæ rore queruntur aves*. Et paulo ante v. 52 *Humida dulces Sufficit herba cibos*. Lindenbruch conj. *Plurima qua*. In fine versus in membranis Pithœi erat quoque *flores* pro *colles*, perperam.—47. Heins. conj. *cavis jam vallibus*.—48. *celeres*. Heins. conj. *jamque alacres omni de p.*; alteris schedis *certatim e p.*; felicius Jo. Schrader. *omni nemoris de p.*—49. *Scrupea desertæ perrepunt ad cava rupis*. Est hæc Bembina lectio. Edd. vett. ante Bembum cum Voss. habebant: *desertas hærebant ad cava rupes*. Ms. Kœler. *desertis hærebat*, et in marg. *errabant*. Scaliger e Ms. Contii probabat: *desertis hærebant ad cava rupis*. Hærere enim et pendere capras. Nec aliter Barth. XX, 19. Sed et *repere*, ac *perrepere* propria caprarum sunt. cf. inf. 103. *p. avia rupis* conj. Heins., etiam in Adversar. p. 51. Jo. Schrader. *ardua, devia*.—50. *Tondebant* edd. vett. Eædem cum codd. Voss. et Petav. hunc versum ante v. 49 collocabant: minus scite. Mox *tenero...morsu*. Offendit, quod versus abhinc tertius iterum in *morsu* exit. Promtum erat *tenero dente* substituere. Erythræus apud Taubmann. *manu* legit, quod a *mandendo* finxit.—52. *labrusca*. Mire corrupta fuit hæc vox in Julii Pomponii libris: *vel brusta*. Addit ille: "Brustum arbor est, quæ ad ornamentum mensarum secatur: meminit Plin. lib. XVI. Alibi invenio *bruscum* esse genus arboris." Sed et apud Plin. XVI, 16. s. 27 *bruscum* est tuber aceris: alienum ab h. l. Jam *labrusca petita est*: Ms. Helmst. ad vocis communiorem formam: ut Ecl. V, 7. At vulgata defenditur a Nonio, qui hunc versum laudavit. vid. sup. p. 4 Procemii.—53. *Hæc suspensa* recte jungit Taubm. ipsa erigens se capella. Olim male: *Nec s.* Sed displicet *carpente* post *carpuntur* et *morsu* post v. 50. Jo. Schrader. conj. *rodente m.* Wakef.

NOTÆ

47 sqq. Luxuries ornamentorum in capellis pascendis facile offendat etiam minus morosum. Laudat Taubmann. locum e Colum. VII, 6, unde hæc omnia expressa videri possint. Sed in similia rerum phantasmata quivis facile poëta inciderit, etiam Columella non lecto.

Vel salicis lentæ, vel quæ nova nascitur alnus :
Hæc teneras fruticum sentes rimatur : at illa
Imminet in rivi præstantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, et probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis,

Sylv. crit. P. III, p. 119 *cupiente*. quod non præferam.—54. Heins. malebat : *vel qua* ; aut : *vel, quæ n. pascitur, alni*. Voss. *Hæc s.* et *pascitur a.*—55. *sentes* ; quidni *frondes*? Heins. conj. *teneræ fruticem sentis*. vid. Calphurn. Ecl. v (versum quem respiciat, non reperio). *sentes ruminatur* Ms. Kœler.—56. Nimis horret versus, si *unda rivi præstantis imaginis* dicta esse debet : itaque eum corruptum esse nullus dubito. Ita quoque Scaligero visum, qui legebat : *Imminet irrigui præstanti*, vel *properanti marginis undæ* : in quo facilitatem ingenii et versus non minus desideres. Refingerem saltem sic : *prætenti* vel *protexti marginis*. Sed suavior multo est vulgaris lectio, modo si *imaginis umbram* legas poëtice pro imagine in rivo visa : in hanc illa desuper e ripa imminet, prospectando. In *præstantis* videtur latere *prostans* aut ipsa aut ripa. Nam *prostans* prominens, ut *prostans angulus* apud Lucretium, *prostans rupes*. Jam *ex rivi unda* Ms. Helmst. Possit sic refingi : *Imminet e ripa prostante in imaginis umbram* : nisi malis *prostans in i.* Heins. conj. *in vivi*, vel *irrigui*, *præstantes marginis*, vel *graminis*, *undas*. In altera scheda : " *Imminet irrigui præstantis* (vel *properantis*) *imaginis umbra*. In Catalectis Epigr. de Narciso : *...Cernis ab irriguo repetentem gramine ripas, Ut per quas periit crescere possit aquas ;*" memorat quoque Pontan. ad Macrob. II, 9. Wakef. l. l. em. *Imminet in rivum præstringens marginis umbram*. quæ non satis assequor.—57. Cum nobili loco Ge. II, 458 sqq. ea, quæ sequuntur, convenire, vix monere opus est. *si qui* vett. edd. *pauperis* non habet, quo referatur ; nam *pastoris pauperis* jungere vix licet, et *usum* quo retrahas, nisi forte ad *bona*, non habeas. Conjicio *rei* olim, non *prius*, fuisse, *usum pauperis rei*. *pauper res* non insolens poëtis. Compendium scripturæ errorem peperit. Heins. conj. *si quis non pauper ab usu Mente minus docta fastidiat* ; contra poëtæ mentem. Nec minus Jo. Schrader. *pauperis usu*.—58. *et probet : illi* pars edd. vett. cum commento Ascensii. *et probet illic*, apud pastores, Scaliger emendabat. Ex vetere lectione verba sic procedunt : *O bona pastoris, si quis non pauperis usum Mente rei docta fastidiat et probet ! illi Omnia* (scil. sunt) *lux. pr.* Verum etiam hæc *et probet* ex interpretatione irrepsisse videntur ; quale tamen verbum antea exciderit, nemo facile divinando assequatur. Expleri locus potest, v. c. sic : *si quis non pauperis usum Mente prius docta ruris* (l. *tuguri*), *fastidiat : illi* etc.—59. Versum non satis sincerum esse arguit structura et ordo verborum impeditior : *si quis probet Omnia incognita curis illis*, h. a curis vacua, *pretiis luxuriæ, quæ* (curæ) *lacerant* etc. *Curæ* adeo, quæ luxuriam comitantur, *luxuriæ pretia* dicuntur, quibus illa emitur et paratur. Heins. comparat *Victum luxuriæ* ap. Petron. ex sua lectione. *spretis i. curis* legebat Ms. Kœler. et Voss. ; ita curis luxuriæ spretis omnia illi sunt incognita, quæ etc. Omitto ea, quæ invita Minerva ad h. l. protulit Barth. Advers. XX, 19. Scaliger pro *pretiis* emendabat *pravis*, idque vetere membrana confirmari testatur ; mox tamen Pithœanæ membranæ lectionem præfert : *et probet illis* (aut potius *illic*) *Omnia luxuriæ pretiis incognita*, vitans *Quæ lacerant avidas i. p. curas*. Interpolationem tam jejunam viro docto probari potuisse miror. Heins. conj. *et probet ullis O. luxuriæ pr. i. curæ* ; et in alteris schedis : *ruri* ; Jo. Schrader. *curis*. Equidem præfero veterem scripturam *illi*, et ante eam interpungo : *illi Omnia luxuriæ pretiis incognita curis Quæ*, h. e. illi omnia sunt incognita, quæ lacerant

Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum;
Picturæque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet; nec pocula gratum
Alconis referent Boëtique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro

mentes curis, luxuriæ pretiis.—60. *inimico fœnore* l. *fœdere* l. *pignore* conj. Jo. Schrader.—61. *fuerunt* conj. Jo. Schrader. et *fulgent*.—62. *Attalicis ovibus* conj. Heins., ut alias, Milesiis, puto.—63. *Sublaqueare* una voce male scriptum ante Ge. Fabric. et Scalig. cf. Æn. I, 730. *domos* vett. edd. constanter, cum Voss. et Petav., quod et defendit Jul. Pompon., ut antiqua forma sit, quam Augustus quoque probavit; tum *tangit*, h. movet, delectat, est lectio Bembina: vett. edd., etiam Ald., *angit*; malim vero interpungere: *si nitor auri... avarum Picturæque decus: lapidum nec f.* Alia ratione Jul. Pompon. *picturæ lapidum*, inquit, propter imagines marmoreas.—64. *in ulla U. cognitus. f. ab ulla*.—65. *Igneus* pro *Cognitus* emendat Heins. Advers. IV, 8, quod improbabat Jo. Schrader. ad Musæum p. 250. In schedis Heinsius aliud proponit: *Conditus*: ita *Condita vestis* et *supellex* Columellæ XII, 3. Ovidius: *Conditus ut tineæ carpitur ore liber*. Ita et h. l. de gemmis absconditis. Improbat autem *Cognitus*, quia *incognita* præcesserat. Pro *manet* probabile fit *fuisse movet*. Etiam Jo. Schrader. sic conj. *nec poc. grata* Ms. Kœler. et Helmst. *nec poc. Graium toreuma* conj. Heins. et Markland. ad Stat. p. 92.—66. *referent*; quidni *referunt*? At *Bœti* si verum est, ignavum poëtam serioris ævi prodit. *Boëthus* est, Βοηθὸς, qui binis syllabis efferri bene nequit.—67. *præsto est* Heins., ingeniose. *pretio est a pectore puro*: ante Bembum; et mox:

NOTÆ

61 sqq. Locus ornatissimus et Virgiliana dictione dignus. Color orationis: *Si non... At* passim et alibi occurrit, et in ipso loco, quocum hæc conveniunt, Ge. II, 461 sqq. Lucret. II, 24 sqq. *Si* (ei) *non fuerint vellera, bis lauta colore Assyrio* (dibapha. v. Plin. IX, 39, s. 63) *data* (comparata, emta) *Attalicis opibus* (ingenti pretio: quippe cum ea purpura in libras denariis mille non posset emi *ib.*) Nam *data* vetat, quominus ad ipsam texturam locus revocetur: etsi non exciderit animo Plinii locus: *Aurum intexere invenit Attalus rex; unde nomen Attalicis*.—64. *Lapidum fulgorem*, h. lapides fulgentes, ad marmorum poliuram et picturam musivariam referre jubet cum Barth. XX, 19 Taubmann., quia de gemmis mox demum v. 67 agatur. Ibi tamen uniones commemorantur, non gemmæ. Porro *manet cognitus* debet esse dictum pro, *cognitus est*, ut sit: *si nec fulgor lapidum*, gemmarum, inter res utiles ab ipso refertur, cognitus ipsi est ullius utilitatis esse; sed v. Var. Lect. Variat autem id, quod simpliciter erat: si non habet purpuram, aurum, gemmas etc. 66. *Alcon* Myleus, statuarius et cœlator apud Ovid. Met. XIII, 683. 684 (etsi hic ad fabulosa Annii, qui Deli rex et sacerdos erat, retrahitur) et Plin. XXXIV, 41, s. 40 occurrit. *Boëthus* paulo notior est inter cœlatores. vid. XXXIII, 12, s. 55. *toreuma* proprie de opere extante, anaglypho, est accipiendum.

Sæpe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum, calamo lætum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem ac fraude remota,
Pollentemque sibi, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratæ rorantes lacte capellæ
Et nemus, et fœcunda Pales, et vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior ævo,

Sæpe s. t. procumbunt g. c. Alterum hoc *prosternit* ex emendatione legi ait Ascensius.—69. *gemmatis* Voss.—70. *dulci* ex P. Bembi codice profectum est. Nam *dulcis* edd. vett., ut Ven. 1484. 1486. Ascensianæ: *pulchris*. Scaliger in vet. schedis invenerat mire interpolatum: *Vere notat duris distincta ligonibus arva;* et *dulcis*, in marg. *dubiis* Ms. Kœler. *Vere novo dubiis* Voss. Tum *notat distincta* est pro simplici, *distinguit arva coloribus*, h. floribus, *per herbas gemmantes*, scil. rore. Heins. conj. *novat*, ut v. 409 *Et quocunque novant vernantia tempora flores;* et ap. Ovid. de P. II, 4, 4 *Oblectat cultu terra novata suo.*—71. *thalamo...palustri;* qs. ex arundinibus, ante Bembum vett. edd., etiam Ascens. In iisdem *retinente*. Utrumque præstare judicabat Barth. XX, 16. Scaliger e membrana Contii emendat: *recanente*, ut jam fecerat v. 13. Sic et Voss.—72. *Otiaque in vita d. fraude remota* vett. edd. apud Barth. Advers. XX, 19.—73. 74. Expectabam cum Heins. et Jo. Schrader.: *Pollentemque sui.* Ut *potens* sui, qui in potestate sua est, nec a rebus externis fortunæque casibus pendet. Mox vulgo *lucens*. At *ludens* Scalig. ex vet. Ms.; ludens, a flatu venti scilicet. Heins. conj. *nubens Ulmea p.*, ut, *ulmus marita*, nimis ingeniose. *Vitea* a Bembo illatum: antea vulgo lectum: *Mollia*, quod Ascensius explicat, molliter. Emendatum *Tmolia* a Scalig. e libro. Ita tamen jam ante Scaligerum lectum est. Nam extat *Tmolia* in Julii Pomponii interpretatione, tum in ed. Aldina minor. carm., hinc in edd. Ven. 1541. 1558, edd. Fabric. etc., idque haud dubie verum: quis Tmolum nescit? v. Ge. II, 98. Sententiam autem nolim ad corollam pampineam, sed ad umbraculum viteum, referre, sub quo sedens agricola frigus captat. Scilicet coma Tmolia, cum palmite pampineo, velat eum subter amictu purpureo, ludens. Heins. pro *velat* conj. *celat.*—75. *gravidæ rorantl. c.* conj. Heins.—76. *Et Venus* ant. edd. ante Bemb., sed illa Dea aliena est ab h. l. *Et pecus* conj. Jo. Schrader., sed id latet in *nemore*. *et f. palus* Ms. apud Scalig., prave: et miror Taubmannum illud recepisse. Tandem in fine versus *et vallibus intus* bini codd. Scaligeri, qui, ut solet, archaismum amplectitur: idem e scheda Pithœi laudat: *et mollis Iacchus;* haud dubie ex interpolatione, etsi Barthius id amplectitur Advers. XXI, 3. *et valle sub ima* malit Heins., quod sane politius. Mox 77 *Semper novis* jungit Taubm. Malim quod in promtu est: *Semper opaca antra.* Sunt enim *novi fontes*, vivi, perennes. —78. *Qui* Scaliger ex uno cod. et vett. edd. profert. *magis beatior* pro altero, *beatior*, vel *magis beatus:* parum accurate. Sed exempla congerunt plura

NOTÆ

71—74 Ille sub umbraculis viteis otium fallit cantu.

Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas agnovit opes; non tristia bella,
Nec funesta timet validæ certamina classis;
Non, spoliis dum sancta Deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum sævis ultro caput hostibus offert.
Illi falce Deus colitur, non arte, politus;
Ille colit lucos; illi, Panchaia thura,
Floribus agrestes herbæ variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera, simplicibus curis: huc imminet, omnes
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,

Scalig. et Taubm., etiam ex Aristophane: *τίς γὰρ γένοιτο μᾶλλον ὀλβιώτερος*; Quidni tamen jungas: *ævo magis optato*, vita feliciore. Heins. emend. *optando*. —79. *puras* et *sensus* vett. edd. *mente potens* conj. Heins., item: *censuque probando*. Sed omnino versus est mali commatis. Voluit, qui lusit, dicere; dum procul se continet, mentemque puram et sensum probandum, animi propositum rectum servat, non *agnovit* opes, non appetit.—80. *nec tr.* Voss. cum vett. edd. *agnoscit* Voss. *non avidas inhiavit apes* Heins. præclare conj., laudatque ex Prudentio in Psychom. *pretiosi ponderis axem Defixis inhians obtutibus* cum al. ex.—81. *Nec f. tenet* vett. edd., et *valida*.—82...84. *Non sp.* a Bembo esse videtur. Vett. edd. *Quo;* nec male: *Quo*, quorsum, *dum...ultro caput hostibus offert?* Male eædem v. 83 *nec* pro *vel*, et *transcendit:* et v. 84 *Aversum* et *sociis* pro *sævis*. At *ornet* refinxi, ut conveniat cum *transcendat:* pro *ornat*.—85. *fuste* pro *falce* ed. Fabric., nescio unde. Sane *falx* omnino pro quocunque *γλυφείῳ* scalpello, accipienda, nec res exemplo caret. Laudat Taubm. Martial. VI, 73 *rudis indocta fecit me falce colonus*.—86. *Panchaica* legebatur. *Panchaia* exquisitior forma in vett. edd., etiam in Ald. et in Petav. De re v. Ge. II, 139. IV, 379.—87. *viridantibus* em. Wakef. e Lucret. II, 33. Mihi videbantur *variantes flores* colore esse *ποικίλοι. ἀλλοι. herbis* vett. edd. *herbas* edd. Ascens. Sensus autem: agricolis sunt herbæ florentes, quæ thuris pretiosi vicem sustineant. Sed vss. 86. 87 et plerosque e seqq. usque ad v. 105 ab alia, etsi non indocta, manu assutos esse suspicor.—89. Distinxi post *Libera*, ut jam Barthius Adversar. XXI, 3 factu opus esse monuerat: tum *voluptas* simplicium curarum, seu *curis simplicibus*, quales vita simplex affert, non impeditas, graves, ærumnosas. *suppliciis curis* Behot. Apoph. II, 4. *Liberaque, implicitus c. huc i.* Pontan. ad Macrob. VII, 4, et Heins. *Libera ab implicitis c.*, ut inf. *Hoc minus implicuit dira formidine mentem*. Jo. Schraderus: *sollicitis curis*, vel *Liberat implacidis c.* l. *implicitum curis*. Porro *huic i.* Aldina et edd. Ascens. et Fabric. *huc mittit et o, Dirigit huc s.* Scalig. Ms., et sic Casaub. ad Pers. p. 269.—91. *Quolibet ut requie victu contentus abundet* Bem.

NOTÆ

82—84 Qui non caput discrimini pugnæ objicit, eo consilio, ut hostium spoliis, manubiis, templa Deorum ornet, vel magnas et immodicas opes e præda sibi paret. Respicit militiam, quæ illa ætate inter artes et vias divitiarum parandarum erat. Vid. Tibull. I, 1 pr.

Jucundoque liget languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poëtæ
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, et dum non arte canora
Compacta solitum modulatur arundine carmen:

bina est lectio: cum Aldina *Qualibet ut requie* dedisset. Ordo verborum est in duriore hac junctura: *Ut, quolibet victu contentus abundet requie.* Vett. edd. *Qualibet ut requie motus contemptor abundet. Qualibet requie* probavit quoque Scaliger: quod parum placet. *requiem* Petav. Voss. *victus contentus* Fabric. edd. Tandem Scaliger conj. *Quolibet ut requias* (pro *requietus*) *victu contentus abundet.* Heins. in *Quolibet* quærebat *vili*, unde factum *quili*: mox inde comminiscitur *tenui victu*, hocque multis exemplis illustrat. Enimvero, *tenuem victum* frugalitatis notam habere posse nemo dubitet; de versu quæritur; voluitne; *Quolibet ut tenui victu c. a.* Mox idem tentat: *Qualibet ut specie vultus* (f. *cultus*) *c. a.*—92. *Hirundoque liget* et in marg. *domet* Ms. Kœler. *liget* etiam Thuan. et Petav. et Voss., in hoc superscriptum *licet*. Heinsius conj. *levet*. Antea vulgatum *locet*.—93...96. *quarum cultu*, quas colendo, *non divite*, sine impensa et sumtu, adeoque sine opibus et divitiis, *pastor quisque traducit vitam* etc. *æmulus Ascræo poëtæ*, h. exemplo vatis Hesiodi, cf. Theogon. v. 22. 23. *O pecus o* vett. edd. *Fontis Hamadryadum* ab indocto poëta esset: quid enim Hamadryasi cum fonte? Heins. conj. *Frondis H.*, sed et hoc jejunum. Idem emendat *quorum*. At Jo. Schrader. inter plura alia: *gr. Tempe Fontibus, ac Dryades*, vel *Naisin ac Dryasin*. cf. v. 115. Comparat quoque Ovid. Met. VI, 451 sq. de Philomela. Porro Voss. et Petav. *poëta*, *traducis*. In fine v. 96 vett. edd. fere *curam*, perperam. *vitam* recte Bembus dedit. Forte simili exemplo emendes Tibulli illud: *At mea paupertas vitam traducat inertem*. Verum vix digni versus, in quibus unguem arrodas; sunt haud dubie interpolatoris.—97. sqq. Superiores interpretes ea, quæ sequuntur, ad pastorem, de quo carmen hoc agit, retulerant. Vidit et monuit Scaliger annectenda hæc esse laudibus, quæ præcesserant, vitæ rusticæ, et accipienda universe de pastore, qualem illa vita habet. Vir doctissimus tamen in hoc non substitit, sed refinxit quoque locum sic: *O pecudes...pastor...Securam placido* traduxit *pectore vitam* Dulcibus *in studiis: baculo dum nixus apricas* Lætus *agit curas*. Bene et hoc. Nec tamen vulgata displicet: Dum *Pastor agit curas*, occupatus est, *talibus in studiis*, quæ modo descripserat et iterum describit vss. 98. 99. Curas an putes dictas *apricas*, quatenus sub dio agit, in campo, gregem pascendo? quia ipse *apricus* (quod et in Voss. legitur). Jo. Schrader. in schedis conj. *baculo...agresti*, ut Ovid. Met. XV, 655 *baculumque tenens agreste sinistra*. Heins. tentabat *P. agit choreas*, l. *pecudes* l. *capras;* hoc saltem ferri potest. Etiam Jo. Schrader. in hoc inciderat.—99. *solidum carmen;* integrum explicat Ascensius, nullis modulis comtum, adeo rusticum, Barthius Advers. XXI, 3, nulla ægritudine contaminatum Scaliger; scilicet, *ut gaudium solidum*. Sed ista dura, hoc longe petitum, dum nihil adsit, quod ad ærumnas revocet animum. Saltem debet esse carmen, quod ab exordio ad finem ab otioso homine decantatur. Dubito nullus a poëta profectum esse *solitum* car-

NOTÆ

97—105 Inter delicias has vitæ rusticæ dum pastor tempus canendo fallit, ad meridiem sole progresso, in umbram compellit gregem.

Tendit inevectus radios Hyperionis ardor, 100
Lucidaque æthereo ponit discrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et jam compellente vagæ pastore capellæ
Ima susurrantes repebant ad vada lymphæ,

men: et nunc ita video in edd. Fabric. esse excusum. Id modulatur pastor *non arte canora*, h. e. inconditum, ut Ascens. At Heins. malit *canorus* cum Petav. et *nulla arte*.—100. Hic magnam versuum transpositionem Scaliger induxit, multum adjutus, inquit, scheda vetere. Collocat post v. 99 versus, qui infra sequuntur, 152. 146. 147. 144. 145. 148. 149. 150. 151. 155. 153. 154. 156. Tum 100. 101. 102. 103 sqq., sed hos ipsos versus admodum immutatos exhibet, ut apponere eos necesse sit:

98. ——— *et dum non arte canora*
Compacta solidum modulatur arundine carmen,
100. *Quem circa fessæ passim cubuere capellæ.*
His superat gelidis manans e fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis sonet orta liquorem.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
105. *Hinc illi geminas avium vox obstrepit aures;*
Hinc querulas referunt voces, quæ nantia limo
Corpora linfa foveț. Sonitus alit aëris Echo.
Argutis et culta fremunt ardore cicadis.
Seu libet ad fontem densa requiescere in umbra
110. *Excelsis supra dumis: quos leniter afflans*
Aura susurrantis possit confundere venti:
Anxius insidiis nullis, et lentus in herbis
Concipit hic mitem projectus membra soporem,
114. *Tendit ut evectus radios H.*

Si tali transpositione lucidior ordo sententiarum et lenior verborum junctura inferretur: minus haberem, quod conatum similem retundendum putarem. Sed vulgarem, fateor, ordinem multo minus, meo sensu, esse molestum.—100. *Tendit inevectus* Aldinæ deberi videtur; nam Bembus e cod. suo proferebat *Tendit in evectos;* sed recte alterum revocarunt sequentes editores. *Tendit et evectus* edd. vett. *Tendit ut* Scaliger emendabat. *T. humo evectus* Heins. conj. Redit idem voc. *inevectus* pro simplici, *evectus*, infra v. 340 *Iret inevectus cœlum super.* Tum alius poëta forte maluisset *inevecti Hyperionis.*—101. *ponit.* Jo. Schrader. ap. Frisemann. *promit* vix bene.—102. *Dum jacit* vett. edd., et *capaces*, quod Domitius quoque et Ascens. interpretantur. Conjiciebam *rapaces*, quod probat Wakef. ad Lucret. v, 398, ubi *rapax vis Solis equorum.* Accipienda verba de Sole in medio cœli convexo constituto: solis *ardor tendit*, intendit, radios, *et ponit mundo discrimina lucida*, h. discrimen lucis, cœlum in duas partes discriminat, quatenus versus Orientem et Occidentem radios æqua lance dispergit. Laudat Taubmannus post Barthium illud Statii Theb. v, 85 *Sol operum medius summo librabat Olympo Lucentes, ceu staret, equos*, et Lucani notum versum: *cum cardine summo Stat librata dies.* Durior est Barthii interpretatio, qui *ponit*, perdit, discrimina accipit, cum pari spatio ab utroque fine distet.—103. Interpolatio in seqq. est manifesta; bis eadem memorantur. Probabilius tamen fit 106. 107. 108 a seriore manu accessisse.—104. *Lene susurrantis* conj. Jo. Schrader. *repetebant ad vada* legebatur ubique: per archaismum dictum videri posse, Scaliger judicabat. Sed idem mox melius subjicit: *repebant ad vada.* Nec de eo dubitandum censeo. Nam ineptus homo v. 49 *perrepunt ad cava*, ante oculos habuit. Miro conatu Barth. Advers. XXX, 24 conj. *repedabant* Nonisna voce. Melius Heins. *reptabant.*

Quæ subter viridem residebant cœrula muscum.
Jam medias operum partes evectus erat Sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras;
Et procul aspexit luco residere virenti,
Delia Diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave

(Nunc Wakefield ad Lucret. VI, 278, ubi ei voc. *repedavit* restituit, eandemque Horatio obtrudit Carm. I, 37, 24 *Classe cita repedavit oras*, et astruxit vocis antiquatæ usum pro *recedere*, ex Pacuvio, Juvenco, S. Damaso, Fortunato, pergit: " Nec dubito quin Barthius verissime restituerit—*repedabant ad vada lymphæ*; quamvis inscitissime sannis excipiat emendationem Heynius, ipse vicissim deridendus, nisi sit nulla seges Nonianarum dictionum in Virgilio.") —105. *residebant*. Pro hoc facile est conjicere *resonabant*, aut potius *resonabat*, sc. lympha. Heins. scribit: *Quæ subter viridem saliebat garrula muscum*. Inf. 389 *Rivum propter aquæ viridi sub fronde latentem*. Ovid. II Fast. *Garrulus in primo limite rivus erat*. Sen. Hippol. 5111 *Garruli gramen secuere rivi*. Calphurn. IV, 2. *Quidve sub hac platano, quam garrulus astrepit humor*. Prudent. Psychom. *Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga Elicuit scissi salientem vertice saxi*. Lucret. II, 30 *Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ*. Quorsum has opes allatas esse dicemus? aquam *garrulam* et *salientem* bene dici, nemo sanus dubitet; fatearis quoque versum factum esse meliorem; enimvero an vetus poëta ita scripserit, nullo modo probatum hinc est.—106, *operum*: pro, operis: ut modo ex Statio vidimus ad v. 102, quasi opus diurnum Sol expleret. Heins. conj. *æthræ in partes*. At Jo. Schrader. *oper. part. emensus*.—107. *densas...in umbras*: f. *densis in umbris*. Heins. *densa in umbra*.— 108. Satis turbata hæc. *Ut* nihil habet, quod sequatur. Vett. edd. *Et procul adspexit*, hoc itaque revocavi; non tamen ac si locum sic sanatum putarem; quis enim aspexit? et quid aspexit? Solne pastorem? an pastor gregem? hoc præfero: *aspexit pastor*, prospexit, *pecudes residere*, cubare, *in luco tuo*, o Diana. Suspicor tamen insertos esse vss. 106. 107. 108 et fuisse: *Et jam...muscum, Luco, Diva, tuo, quo*. Barthius XXI, 9 emendabat: *Et procul accessit*. Jam vss. 108 sqq. locum, quo Culicis argumentum actum est, accuratius describit: est is lucus Bœotiæ, Dianæ sacer, idem ille, quo Penthei cæde peracta mater Agave bacchata pervenerat; adeoque sub Cithærone. cf. Ovid. Met. III, 702. Hic multa desiderari, et forte cantum pastoris recenseri putabat Heinsius. Immo vero multorum laciniæ in unum locum congestæ sunt, quæ inter se parum sunt conglutinatæ.—110. *Nyctileum fugiens*. Immo vero *Nyctelium f.*, h. Bacchum. Verum hoc esse negat Scaliger; non enim fugiebat Bacchum Agave, quem non offenderat, cum ejus ministra esset: sed hoc, inquit, poëta vult: in eum lucum, in quem Agave, victa furore Bacchi, metuens pœnam, hoc est, *ὄγος*, quod imminebat ejus posteritati propter interfectum Pentheum, confugerat, compulisse pastorem pecudes suas. Itaque sic legit:...*quo quondam victa furore Venit Nyctilei, fugiens Cadmeis Agave Posterius pœnam natis e morte futuram*; versum itaque, ut vides, 113 retraxit. Mihi nec hæc, nec alia Scaligeri trajectio versuum placet. *Fugere Deum, fugere Bacchum*, commode satis dictum est de *θεολήπτοις*, quos premit, urget, Deus, ut vates, quæ *bacchatur*, *magnum si pectore possit Excussisse Deum*; inprimis de Bacchis, quæ furore actæ discurrunt, ac si liberare se a furore velint. In hanc sententiam jam Barthium inclinasse ex Taubm. disco: etsi nec eo confugere necesse videtur. Cognito enim scelere

NOTÆ

108 Lucum sub Cithærone monte describit Dianæ sacrum. vid. Var. Lect.

Infandas scelerata manus e cæde cruenta:
Quæ gelidis bacchata jugis requievit in antro.
Posterius pœnam nati se morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri Dryadesque choros egere puellæ
Naiadum cœtu. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis sylvasque canendo,
Quantum te, Peneu, remorantem dia chorea,

interemti materna manu nati *abhorrens sacra Bacchica* Agave Nyctelium fugiens in solitudinem secessit, ut mœrori indulgeret. *furorem Nyctelium* conj. Heins.—111. *et cæde c.* vett. edd. et codd., quasi esset *et cruenta* ex *cæde.*—112. *Quo g.* em. Heins. *Ogygiis b. i.* Jo. Schrader., docte.—113. Versus in edd. Fabric. sic est emendatus: *Posterius pœnam gnati de morte datura.* Heins. conj. *Post verita et pœnas nati se morte daturam.* Sed totum versum una cum antecedente ejiciendum arbitror tanquam suppositicium. In Ms. Helmst. subjectus erat versui 110.—116. *cætus* vulgg., nonnullæ etiam Ald. cum Ms. Helmstad. Puto fuisse: *Naiadum et cætus.* Nam paulo durius *cum* suppletur. *horridus* pro *Orpheus* Aldina et edd. Fabric. cum Ms. Helmst. et Petav. cum Voss. Heins. conj. *Non tantum Œagrius H.* vel, *tantum haud Rhodopeius H.* Idem jungit *Naiadum cœtu non tanto.* Sane *Orpheus* trisyllabum esse, ut *Pentheus*, et in Catalectis Pith. p. 31 *Theseus:* verum Virgilio vix licuisse esse tam audaci. *silvasque sonantes* Jo. Schrader. em.—117. *rivis* Ms. Contian. perpetua variatione: unde tamen Scaliger refingit: *rivis silvisque canendo.* Mihi vulgata suavior procedit: *non Orpheus canendo tantum tenuit Hebrum, ripis restantem* (cursum intra ripas sustinentem), *sylvasque:* h. delectavit Hebrum sylvasque. Etsi totus hic locus, et is qui sequitur, ex variorum versificatorum symbolis coaluisse videri debet.—118. Hic versus contaminatus (a Πηνειὸν esset Πηνειὸ), quod et vidit elegans carminum judex Jo. Schraderus Emendatt. Præf. pag. XXI. XXII. conf. ad Ge. IV, 355. At idem hic versus alienus prorsus est a tota sententia. Si in Bœotia res geritur, non Peneus delectari potuit chorea Nympharum. Sin in Thessalium rejicias carminis argumentum, aliena sunt quæ v. 108 sqq. de Agave narrantur, etiamsi cum Jano Parrhasio in Quæsitis per Epist. pag. 51 Lucani locum (lib. VI, 355—359) huc advoces: nam ex eo nihil constitui potest, cum poëta ipse parum docte loquatur. Afferre voluit medicinam huic versui Scaliger. Apponam verba: " Quia paulo ante, inquit, dixerat, *tantum non Orpheus*, putarunt hic ἀντανοδοτικὸν deesse; ita hic *Quantum* posuerunt. Atqui legendum: *Non tam te, Peneu, remorata est dia chorea.*" Altera versus parte carere possumus medicina, nam suppleri potest ex sup. *tenuit te* remorantem. Suspicatur autem sagacissimus vir, auctorem carminis institisse vestigiis Catulli in Pelei et Thetidis nuptiis (vss. 285—293). Tamen ne sic quidem versus tres sequentes commodam orationem subjiciunt. *Quantum te, Pentheu*, conj. Heins., nullo cum fructu. In vett. edd. pro *dia* invenio *Dira* et *Dire*, in aliis *choreæ*, et in margine pro *Peneu, pastor*, ex viri cujusdam docti emendatione, puto. Etiam *penu* pro

NOTÆ

114 seqq. Iterum luxuriatur seu poëtæ seu interpolatoris ingenium in describendo luco et antro, quo pastor consedit. Alia aliorum poëtarum lusibus assuta. De singulis vid. Var. Lect. Comparari potest similis arborum enumeratio ap. Ovid. Met. X, 86 sq. in cantu Orphei: quem locum auctor hujus emblematis ante oculos habuisse videri potest.

Multa tibi læto fundentes gaudia vultu,
Ipsa loci natura domum resonante susurro
Quis dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëreæ platanus: inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci mœrentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At, quibus insigni curru projectus equorum
Ambustus Phaëton luctu mutaverat artus,

Penea plures edd. Venetæ servant; Aldina autem, et hinc Ge. Fabric., *Quantum te pernix remorantem diva chorea.* Atque hæc lectio tenenda, tanquam vera, et ex cujus corruptela importunus ille Peneus versum invasit; tantum non Orpheus cantu Hebrum sylvasque tenuit, quantum te, o Luna (v. 109), tenuit chorea Nympharum: *Quantum te pernix remorantem, Diva, chorea.* Eandem fere lectionem Ms. Kœler. quoque habebat: Ms. Helmst. autem, *Qua te perpigra morantem diva corea.* Petav. *Quam te nigremorantem.* Voss. *Quam te per nigræ morantem*, meri librariorum stupores. *remorantur* em. Heins. Nodell Not. crit. p. 80 conj. *pernox* chorea; ut παννύχιοι χοροὶ ap. Sophoclem.—119. *Multa tuo late f.* vett. edd. *tuo lætæ* (scil. choreæ) Ascens. et aliæ, quod et Heins. probat. *tuo latæ* Ald. Quam nunc habemus, Bembina est lectio: *chorea—fundentes* nota synthesis. *tibi* int. Dianæ, Lunæ desuper aspicienti. *Multa tuo late f.* ed. Fabric. *tuæ lætæ f. g. luctu* Petav. Heins. conj. *fluctu.* Interpositi sunt ab alio vss. 116. 117. 118, et juncti erant: *puellæ Multa.*—121. Hæc adhuc ad Naidas referenda. Importunum tamen *Quis:* ferrem saltem *His dabat.* Mox *in antro* Ald.—122. *Nam primæ in p.* conj. Heins. *prona vallis*, ut ap. Catull.—123. Recte hoc (Heinsium non probare miror) revocatum, Scaligero monente, et priscis edd. Ita quoque Bembus correxerat. Sed iterum illatum erat ex vett. edd., etiam Aldina: *Aëriæ* platani: *inter quas* erat *impia lotos.* Sic et Petav. Saltem esse deb. *quas inter et i. l.* In marg. ed. Ven. Scoti notatum: alios legere: *Lotis*, quæ nympha fuit. Perperam.—126. *Ac* malit Heins., et *ignipedum c. p. equorum.*—127. *Ambustus Ph.* legendum, pro *Ambustos*, quod in oculos incurrit et Scaliger monuit. Et hoc idem e Ms. Helmst.

NOTÆ

124 *Impia lotos, Impia, quæ;* nota figura Horatii exemplo jam a Scaligero notato: *Impiæ, nam quid p. m. Impiæ d.* Carm. III, 11, 30. 31, et Catull. LXIV, 404. 405. Impietas spectat haud dubie ad injuriam Ulyssi factam sociis retentis. *abegit*, scil. ab Ulyssis navi, avocavit: intercessit loti suavitas, quo minus socii Ulyssis ad naves redirent (v. Odyss. I. 94 sqq.). Ceterum confudit poëta diversi generis lotos. Lotus illa Ulyssis in Africa reperta non erat Bœotiæ domestica.

126...129 Populi arbores, vel alni (nam utrasque Virgilius agnoscit Ecl. VI, 62 et Æn. X, 190), in quas mutatæ Phaëtontis sorores, Heliades, tanquam Solis ex Clymene filiæ. Factum ex luctu de fratris casu suscepto; unde poëta: *Phaëton luctu iis mutaverat artus.* Mox v. 128. 129 hoc velle videtur poëta: populos illas sororias ita inter se condensatas situ fuisse, ut implicarent mutuo nexu ramos et umbracula facerent: *fundebant tentis ramis velamina* (ut v. 74 *Tmolia pampineo subter coma velat amictu*) *candida*; scilicet populus alba est intelligenda. *amplexæ br.* vid. Var. Lect.

Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala, perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datæ, Cereris quam semina, vitæ:
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoæ navi decus, edita pinus

notatum video.—128. *amplexæ* passive accipit Taubm. Nec tamen vel sic expedio: *amplexæ brachia truncis.* Nonnus Dionys. II, 167 Εἶην Ἡλιάδων καὶ ἐγὼ μία—φιλοθρήνοις τε κορύμβοις Γείτονος αἰγείροιο περίπλοκα φύλλα πελάσσω. Suspicor: *implexæ brachia*, h. habentes ramos truncis (vicinarum invicem populorum) implexos. Nec aliter Heins. conj. *teneris*, et in marg. *tentis* Ms. Kœler.—129. *pandebant* conj. Jo. Schrader., feliciter. *tentis* pro extentis. Sed facile incidit animus in *lentis*. Conjecit quoque Scaliger, et extat in edd. Fabric. Sed idem malebat: *lentis sudamina ramis*, ingeniose; nam electrum stillare populus dicta. vid. Ovid. Met. II, 364 sq., verum sic *candida* parum commode appositum esset. Heins. conj. *concita f. lentis ululamina r.*, parum feliciter: nam de umbra arborum quæritur.—130. 131. Misere corrupti versus nec sine libris facile sanandi, etsi unum et alterum conjectare licet: *Perfidiæ lamenta*, et latere *inultis* in *multis;* ita ut expleri possint reliqua: *dolis cum lusit inultis*, vel propius ad corruptam scripturam: *malis quæ flevit inultis.* Agi de amygdala, in quam Phyllis mutata fertur, seu quæcumque alia illa arbor fuit, obvium est. Sed primo loco monendum, in vett. edd. et codd. post v. 131 subjici alium: *perfide, multis,*

Perfide Demophoon, et nunc defende puellam, vel *puellis.*

Tum varietas lectionis hæc fere est: in vett. edd. *Perfidia* legitur. Bembus reposuit *Perfidiam:* idem versum modo ascriptum ejecit. Probarem, si sententia integra sic absolveretur: quæ omnino sic nulla est, quantum video. Scaliger e vett. edd. laudat *Perfida lamentandi mala*, et corrigit modo: *Perfida lamentandi dix mala*, ut sit *malum perfidum* pro perfidia; modo: *Perfidiæ lamentandi malæ* Neutrum feliciter. Reliqua, versu a Bembo ejecto iterum admisso, sic constituit: *perfide multis, Perfide Demophoon et nunc defende puellis.* Sed unde de Demophoontis amoribus, iisque adhuc a puellis defendis, constet, Scaliger vix habuit dicere; et tota sententia jejuna est; versus autem inepti versificatoris commentum, etsi etiam Barthius Advers. XXI, 9 sensum exsculpere eumque defendere maluit. *et nunc defuncte puellis* Ms. Helmst. *Post etiam*, vel, *Post vero, cui D.* em. Heins.; tum iterum: *Post, meritus cui Demophoon æterna reliquit Perfidiam lamentandi mala. Perfide, inultis, Perfide Demophoon et nunc defende puellis.* Jo. Schrader. *Perfidiæ monumenta suæ mala.* Omnino suspicor primo unum tantum versum ascriptum fuisse: *Posterius, cui Demophoon lamenta reliquit. Quam c.*—132. *fatali carmine* malit Heins.—133. *quam semina, victu*, vel *quam semina, adultæ* conj. Heins.—135. 136. Alter versus pro

NOTÆ

130. 131 Postea stabat arbos amygdala, in quam mutata fuit Phyllis Demophoontis perfidiam lamentata.

132...134 De quercu Dodonæa fatidica nota est fabula. *quercus carmina*, ex apposito, h. e. quæ carmen reddunt, vel e quibus carmen redditur; canoræ. *Carmen* adeo pro canente, vaticinium pro vate. cf. Taubm. *fatale* igitur, quia de oraculo. Glandes ante frugum sationem a Triptolemo monstratam meministi vel ea Ge. I, 7. 8. *mutavit*, permutavit.

Proceras decorat sylvas hirsuta per artus;
Appetit aëreis contingere montibus astra
Ilicis et nigræ species, et læta cupressus;
Umbrosæque manent fagus, hederæque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus; 140
Ipsæque excedunt ad summa cacumina lentæ,

fulcro additus ab alio. *pinus edita*, h. excelsa (cf. inf. 170), *hirsuta per artus, magnum decus Argoæ navi*, h. e. e qua Argo confecta et exornata fuit, *decorat sylvas proceras*; nisi quod elegantius putem *Proceros...hirsuta per artus:* hoc et Heinsio video probari. Scaligerum itaque mireris primum legere: *Proceras decorans s.*, tum mutata sententia: *Hic...decorat sylvas; hic suberis arbos Appetit a.* Male habuit virum optimum hiulca in seqq. oratio, sed ei medela in promtu est interpunctione: *Appetit a.—astra Ilicis et nigræ—cupressus.* De voc. *edita* adhuc monendum, falsam ejus acceptionem videri peperisse lectionem ed. Fabric. *addita*. Ita tamen etiam Heins. conj. et Jo. Schrader. Emendatt. p. 23.—136. *hirsutaque taxus* Ms. Kœler., sed non consentit vs. seqnens.—137. *Ac petit* em. Heinsius. *motibus* pro *montibus* emendat Scaliger; docte quidem, ut sit quod poëtæ βλαθρὸν appellant (secundum illud Virgilii: Quantum *vere novo viridis se subjicit alnus*). Sed quis non præferat illud multo lenius et comtius: *aëriis frondibus*, quod et Heins. conj., vel *frontibus* vel *motibus*. Aldina et Fabric. edd. qnoqne: *conjungere*.—138. *Ilicis species* pro periphrasi habendum, pro ilice simpliciter dicta. *series* tamen conj. Heins.; expectabam *vertex. læta cupressus* adversatur arboris naturæ et poëtarum usui; nec Barthii defensio Advers. XXI, 9 bona est, ex eo petita, quod apud Aristænetum inter amœnas arbores ea recensetur. Gifanius apud Scaliger. conjecerat *Lethæa c.*, non male; modo non desideraretur copula. An fuit: *Ilicis et nigræ, et species Lethæa cupressus* (h. cupressi). Verum simpliciore modo vulgatæ lectioni succurrere licet: *nec læta cupressus*. Venit et hoc Heinsio in mentem. Idem vel, *et lenta c.* Jo. Schrader. *et læva c.* conj. Frisemann., nescio quo sensu.—139. *Atque umbrosa manet f.* Frisem. e Jo. Schrader., nescio quo fructu. *manent*. Vim vocis h. l. non satis assequor; an *virent?* vel *patent?* ut Jacobs conj. In Voss. erat *monent;* tum *ligantes hederæ* scripsi pro, *ligantis*. Sequentia sic interpungo: *...fagus; hederæque ligantes...ictus, Ipsæque...Pinguntque* etc. Causas deprehendere in promtu est.—140. *fraternus* Voss. et Petav. *p. ne p. artus* vett. edd. Sane fulmine percussi Phaëtontis artus laceros conquisivere Heliades, donec in populos mutarentur. Sed quomodo hoc facit ad ceteram sententiam? Bembus dedit: *ictus;* ita referam ad Phaëtontem fulmine percussum, ictum. Phaëtontis sorores in populos mutatas supra vidimus: eæ fratris mortem lacrymis humectata æterno luctu prosequuntur. Melius sic me interpretari arbitror, quam Taubm. *ne plangat et percutiat ob fratrem fulmine ictum;* modo tum legas: *fraternos plangit quæ populus ictus;* aut, ut copula adsit, *plangens et p.* pro vulgari: *brachia populi, quæ plangit*. Sed totum v. 140 inepti versificatoris commentum esse arbitror ex vss. 128. 129 confictum, in quibus jam eadem res exposita fuit. Et series versuum fuit hæc: *hederæque ligantes Brachia, succe-*

NOTÆ

141. 142 Hederæ fagos amplexæ bene descriptæ sunt. Earum racemi cum acinis, *corymbi* dicti, *aureoli* sunt; est ergo de genere hederæ cum fructu croceo intelligendum hoc; sed foliis albis; ergo *viridi pallore* distinguitur corymborum flavor. Est aliquid simile in loco Ecl. III, 39 *vitis Diffusos*

Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans e fontibus unda:
Quæ levibus placidum rivis sonat orta liquorem.
Et, quanquam geminas avium vox obstrepit aures,
Hanc querulæ referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet; sonitus alit aëris Echo;
Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessæ cubuere capellæ,
Excelsisque super dumis: quos leniter afflans

dunt ad s.—141. *excedunt;* suspicor fuisse *escendunt.* Nam *excedere ad* an dicatur, non memini, sed *escendere ad.* Nisi, ut copula importuna ejiciatur, malis: *Ipsæ succedunt.* Porro *passuque erepunt...lento* conj. Heins., quod *flexipedes* hederæ dictæ occurrunt apud poëtas. Plin. XXIV, 10, s. 49 *Similem huic* (smilaci) *aliqui clematida appellaverunt, repentem per arbores.*—143. Versus et hic insititius. Jam versus, qui hunc sequuntur, 144...154, Scaliger, ut supra vidimus, retraxit post v. 100.—144. *Et* Voss.—145. *Carmina per varios cantus;* ut alias, per sonos varios. Jo. Schrader. conj. *per varios campos; per vacuos saltus.* Saltem bonus poëta sic scribere debebat.—146. *superat* Voss. Petav. et Scalig. e vet. libro: ipse malit *superet.*—147. *placido liquore* melius dici monet Scaliger: recte, sed homini, qui hæc scripsit, videtur placuisse: *sonare liquorem,* ut, *sonare carmina,* et alia similia. Scaliger quoque *sonet* substituit. *vomit* conj. Jo. Schrader. *sonet ore* ed. Antwerp., forte et aliæ. Certe *orta* otiosum est, Barth. XX, 23 emendat *aucta.* In Ms. Voss. *acta.* Sed totus versus damnandus, non emendandus est. Est enim insititius cum seqq., in quibus eadem repetuntur, quæ jam supra dicta erant v. 104. v. 46 sq.—148. *Et quanquam.* Corruptum hoc. Scaliger *Hinc illi gem.* Barthius ibid. conj. *Et quaqua.*—149. *Ac querulæ feriunt voces* refingit Heins., ut suppleantur *aures* ex antec. *hanc q. reserant fauces* Jo. Schrader. *Hac* var. lect. in vett. edd. *Hinc querulas referunt v.* bene Scaliger e vet. scheda: item *quæ nantia:* ut sint λιμναῖα κρηνῶν τέκνα, ut is cum Aristophane loquitur, h. *ranæ.* Ge. I, 378 *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.* cf. Taubm. Sed jam Jul. Sabin. de ranis accepit.—151. *et culta* vetus scriptura apud Scaliger., eaque elegantior. *ardore,* per æstum. Barth. l. c. conj. *fremunt ardere;* quod ipsi remittam. *fremunt arbusta* Heins., elegantius; idem in mentem venerat Jacobsio ex Ecl. II, 13. add. Ge. III, 328, et van Kooten Spicileg. ad Jo. Schraderi Emendatt. pag. 8.—152. *fessæ.* Jo. Schrader. conj. *fusæ.*—153. *supra* Scalig. Puto fuisse: *cubuere capellæ Excelsis subter dumis.* Sic in Pervig. Ven. *subter genestis explicant tauri latus.* Jo. Schrader. *Excelsos subter dumos* Emendatt. p. 20. Desidero quidem commodius epitheton dumorum: videntur tamen *excelsi* dicti, qui in excelsis rupibus crescunt. *et amantes ardua dumi* etiam in Georg. Omnino *dumos* amant poëtæ commemorare, ut et *dumeta.* Et

NOTÆ

hedera vestit pallente corymbos: ubi vid. Not. et II, 50. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

143 In myrtum mutata fœmina Myrsine v. Serv. ad Æn. III, 23. Geopon. XI, 6.

Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis: sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni Fors incertos jussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret æstu,
Obvia vibranti carpens gravis aëra lingua,
Squamosos late torquebat motibus orbes.

spectat, quod adjicitur, a ventis eos perflari: *ἀνεμόεντας*. Heins. conj. *excisis* l. *exesis*; et comparat illa: *Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ*. Barthius XXI, 24 emendabat: *Excelsique super dumi. quæ* vett. edd. et codd. *quos* a Bembo profectum est. Barthius non male conj. *qua. qua* vel *quo* etiam Heins.—154. *possit* friget; sed est genus circumlocutionis pro *confundit* aura dumos. *poscit* Contianus liber Scalig., qui explicat *πειρᾶται*, quasi: poscit sibi, aggreditur. Sic et Ms. Helmst.—155. *ad fontes* vett. edd. mutavit Bemb. *requietus* conj. Heins., et mox *porrectus* Lindenbruch. Scaliger, qui hunc locum transpositione sanare voluit (vid. ad v. 100 et 143), rejectis ad superiora versibus 156. 157 sic interpolavit hæc:

Pastor ut ad fontes *densa* requietis *in umbra*
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni fors incertos jussisset dicere *casus*, etc.

Nihil est ex omnibus, quod placeat. Mihi omnes vss. 157 ad 160 usque Scholastici operam redolent.—158. *fessos* em. Nodell. Obss. crit. p. 38, atqui non minus illud bene dicitur.—159. 160. Uterque versus lacinias sunt inepti versificatoris: qui variavit et obscuravit sententiam, quæ iis sublatis bene procedit, modo v. 161 pro *Nam* restituatur *Cum* hoc modo: *Pastor...mandaverat artus: Cum solitum volvens ad t. t.*—161. *tractibus hydræ* Ms. Helmst., et hæc erat Aldina lectio ex interpolatione ducta. Vett. edd. *idem*, Ms. Kœler. *idem*, et in marg. al. *Idra*; sic et Thuan. *Idæ* Petav. *Ide* Voss. Bembus autem *iisdem*: hocque revocatum ab Scaligero: non enim *tractus* esse serpentis (subjiciuntur illi vs. 165); sed *loca eadem*. *volvens* autem vel *se*, vel *volvens torquebat*. In edd. Fabric. *sonitum volvens*. Barthius XXI, 23 emendabat *s. volvens...varie maculatus, corpora s.* Heins. *involvens...tractibus undam* vel *umbras*: parum feliciter; idem mox *maculatus tergore*.—163. *subsideret* Bembina emendatio, nescio an satis probanda, recepta a Scaligero. Vett. edd. *sub sideris æstu*. Serpens in limo, quem fons in propinquo effusus fecerat, a solis æstu recreare se volebat. conf. Ge. III, 432. *magnos subsideret æstus* jam Heins. emendavit ad Æn. XI, 268, ubi alia exempla quarti casus cumulavit.—164. *Obvia vibranti* græce dictum puto pro adverbio; obviam, adversum vibrat lingua. Non expediebat se bonus Taubmannus. *gravis* de gravi anima. Ge. III, 415 *graves nidore chelydros. carpens aëra lingua vibranti*, exerta. Miror vero placuisse poëtæ *carpens*, non *lambens*, quod solenne est. Heins. conj. *Obvia vibranti decerpens*, vel, *detergens gramina lingua*. Jo. Schrader. *carpens gravis ore trilingui*.—165. *latis* ed. vet., nec male; at Aldina: *montibus*. Solenne esset *nexibus*.—

Tollebant auræ venientis ad omnia visus.
Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Aspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat late circum loca: cum videt ingens
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intendere, et obvia torvo

166. *Tollebant auræ venientis ad omnia visus.* Est hæc Bembina et cod. Petav. lectio: quæ sensu idoneo caret; etsi Barthius XXI, 23 aliquem inesse putabat. In ceteris magna varietas. Vett. edd. *Tollebant auræ juventis* l. *inventis ad omnia nixus* l. *nisus;* Domit. Calder. et edd. Ascens. *vehementis ad omnia visus.* Hinc in Aldina vir doctus castigavit: *Pallebant auræ liventis ad omnia visus.* Corrigit *ad omina* Scaliger: sic saltem tolerabilis sensus exit: *palluisse auras ad omina visus liventis,* h. oculorum obtutu e longinquo propius admoto. Etsi vel sic *auræ visus* fuissent opportuniores; et bene procudi posset versus sic: *Omnia pallebant visus liventis ad auras.* Scaliger etiam conjiciebat: *Squallebant auræ vehementis ad omina visus. Pallebant herbæ* Heins., vel *Squalebant auræ vitiantis ad omnia visum* vel *virus.* Ovidius: *quique halitus exit Ore niger Stygio vitiatas conflcit auras.* Enimvero ludimus operam; totus enim versus ex ingenio inepti hominis irrepsit.—167. *corpus resolubile* malit Heins.—168. Ordo elegantior ex Aldina et a Bembo est. Edd. vett. *pectus nitidis.*—168. 169. *et se sublimi cervice caput.* Ita edd. vett., quod Ascens. interpretatur: et se attollit caput. At Aldina et hinc edd. Fabric. emendarant: *et fert S. c. caput.* Quod nunc habemus, *et se S. c. rapit* ex Bembino codice fluxit: sic et Petav. Jo. Schrader. em. *exit S. c. caput.* Frisemann. *effert.*—170. *Addita* malebat et hic Heins., etsi non video, quid in *crista edita,* alta, jure reprehendas. Supr. 135 *edita pinus.* In reliqua versus parte varia tentabat Jo. Schrader., sed *maculatur* ausus est poëta dicere pro distinguitur, variatur, *purpureo amictu,* pro externa specie et colore.—171. *micat flammarum lumine torvo* Petav. et Voss.; in hoc quoque *flammatum.*—172. *Metabat late circum loca:* de hydri capite quaquaversus se movente et circumferente, tanquam si loca circa se recognosceret et signaret. *Metari* ergo (de quo v. Taubm.) etiam *Metare* olim fuit. Et sane Horatio *Metatæ porticus* dictæ. Alioquin evitari poterat insolens forma...*micant flammantia lumina* Metantis *late circum loca.* Ge. II, 273 *sin pingues agros metabere campi.* Et sic sæpe *metari* in poëtis. Pro *sese,* quod vulgo legebatur, Ms. Voss. *late,* bene. Mox *tum* vett. edd. Sed in fine *ingens* nullum habet sensum: an fuit *anguis?* ut revocetur in animum subjectum. Et sic nunc diserte scriptum video in var. lect. Ms. Kœler. et Helmst. Sentio tamen, quam molle et flaccum hoc sit. Præstat dicere, esse positum pro simplici *ille.*—174. 175. 176. Etiam hos tres

NOTÆ

166 sqq. Iterum ingenii intemperantis exspatiatio in tortibus et gyris hydri; aut potius hominum scholasticorum lusus. Tandem v. 172 videt pastorem ad fontem recubantem. Ab aditu fontis ita se exclusum sentiens exasperatur serpens et adoritur. Tum v. 180 culicis morsu somno excitatus pastor, trunco arrepto serpentem necat. 185...200.

Sæpius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset: naturæ comparat arma;
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus eversis torquetur corporis orbes;
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ;
Spiritus et rumpit fauces. Cui cuncta paranti
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina. Namque,
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturæ pupula telo

versus pessime cusos ex margine irrepsisse suspicor. *instat intendere diffundens* (pro simplici intendit) *lumina, et, sæpius arripiens obvia torvo* (quæ ipsi obvia, ante eum torvum serpentem posita, erant) *infringere* (ut infringeret, propterea quod etc.), *comparat arma naturæ*. Non tanti est locus, ut conjecturis in eo indulgeas. Forte tamen fuit: *Acrior instat, Lumina diffundens* intenta, ore *obvia torvo Sæpius arripiens* i.—*mature comparat arma*. Et sane Voss. *matura*; unde Jo. Schrader. *matura et c.* In Aldina et hinc in edd. Fabric. *Lumina d. intentus, et o. t.* excusum video. *instat intendere* defendit Heins. et accipit: intendere cursum, properare, et remittit ad Ge. I, 51. Inf. 320 *instat depellere*. Cæs. B. G. III *fuga salutem petere intenderunt* Mss., vulgo *contenderunt*. Propert. I, 20 *Oscula suspensis instabant carpere pennis*. Idem pro *obvia* conj. *sibila*. Forte hoc voluit substituere paulo ante pro *lumina*. Jo. Schrader. conj. *contendens diffundere*. Tum v. 175 *infrendere* vett. edd. expulsum ab Asulano et a Bembo, at defensum a Scaligero, Barthio et Taubmanno: est antiquior vox eodem sensu. Scaliger etiam emendabat: *arrepens*. Ascensius *abripiens* legerat; nam sic interpretatur: lumina intendere (cœpit) et abripiens sæpius obvia torvo aspectu infrendere.—177. Etiam hic cum tribus seqq. versu. inter insititios referendus. Prior quidem 177 tam inficetus est, ut etiam Barthio Advers. XXI, 18 suspectus fuerit. Jo. Schrader. tamen tentat: *Strident* vel *Frendet dente et insonat*.—178. *Flexibus eversis* ex Aldina et a Bembo est; nec capio satis. Debebat *inversis* aut aliud quid legi. Vett. edd. *Flexibus et versis*, h. seu circumactis seu variatis; hoc tenebimus. *et versi* em. Jo. Schrader. *orbis* pro orbes accipere præstat, ut magis poëtica sit oratio: *serpens torquetur* (κατὰ) *c. orbes fl. v.* Heins. conj. *Flexibus et spissis torquetur corpora* (saltem deb. *corpus*) *in orbes*. Mox 179 *per tractus*, ut Ge. II, 154.—180. *Spiritus et rumpit fauces* revocavi e vett., h. anhelitus. Nam Bemb. *Spiritibus rumpit fauces*. Heins. em. *Spiritus erumpit f. Quo cuncta parante* legendum monet et illustrat Scaliger. Sic jam edd. Ascens. *Quo c. paranti*. Hic vero in gravissimo narrationis momento nimis brevis, tenuis et exilis est poëta. De Culice advolante et pastori consulente locus ornandus erat vel maxime. Sensit forte et Heins., cui versus unus et alter abesse videbatur. Saltem comtius foret: *Quo cuncta parante Parvulus humoris pastorem exterret alumnus*.—181. Ed. ant. vitiose: *propior humeros*, vel *prior humeros*. Omnino seqq. valde turbata in vett. edd. *humoris alumnus* est culex. *conterret* vix satis commodum h. l. vocabulum.—182. Bembina est lectio; *acumina*, pro punctione, ictu aculei. Vetus lectio erat: *per culmina namque, Qua*. Præfert hanc Scaliger, ut sint κρόταφοι, *tempora*, et secundum eum Barth. Advers. XXI, 18. Ascensius sic reddebat: qua parte oculi aperti per summitates aperiebant sinus oculorum pupillis in morem gemmarum relucentibus. Heins. jungenda monet: *per acumina namque*, ut in vett. edd. erat. Recte, sed quid tum de reliquis? *per culmina* f. *per spicula*.—183. 184. Bembina lectio, quam

Icta levi. Tum prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit: cui dissitus omnis
Spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem
Lumina respexit serpentem cominus: inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno:
Qui casus sociaret opem, numenve Deorum.
Namque illi dederitne viam casusve, Deusve,
Prodere sit dubium: voluit sed vincere tales.

equidem quomodo interpreter non habeo. *pendebant* in textu Heins. esse relictum miror: scriptum enim haud dubie vitiose, pro *pandebant*, ut sit, *qua lumina diducta pandebant genas gemmis*, h. in ipso oculi sinu. *deducta* vett. edd., ex more. Laudat Jo. Schrader. e Statio: *diducta putares Lumina consumtumque genis rediisse nitorem*. Scaliger *genas* pro palpebris accipit et legit *obdebunt*; nam vett. edd. habere *ponebant*; nisi hoc ipsum sit pro *abdebant*. Jo. Schrader. tentabat varie: *gemmans Hac s. e. n. pupula telo Icta levi*.—184. *Hac senioris erat....Icta levi*. Etiam hæc est Bembina lectio, cum Petav., etsi in ipsis Bembi edd. corrupta: *Hac ferioris* et *Hac sævioris*. Vetus lectio erat: *Ac senioris erat naturæ pupula, telo Icta levi*; quam Scaliger prætulit, astipulante Barthio Advers. XXI, 19; *senioris naturæ*, ut araneosam cutem et senilem, hoc est rugosam, intelligat. Senex enim pastor cf. v. 387. In Aldina excusum video: *Ac levioris erat naturæ*: h. mollioris, quod mihi magis arridet. Forte enim olim scriptum fuit: *telo Icta gravi*. Jo. Schrader. *tacta*. Vitiose aliæ edd. *Hoc* et *papula*. At in Fabric. non male emendatum: *Ut levioris e. n. p.* Totus versus est ab interpolatione profectus. Fuerat primo: *Qua diducta genas pandebant lumina, telo Icta levi*: scil. sunt.—185. *Cum pros.* Petav. Mox malim: *sic diss.*, vel *tum d.*—186. In *dissitus* nil mutandum: quæ disjecta sunt, ea sunt *dissita*: h. dispersa; *disserere*, dispergere. Vocabulum Lucretianum. *dissitus excessit* est ornate pro simpl. Omnis spiritus excessit, reliquit sensus. Nam *Spiritus sensus* non capio. *Sp. e. sensim* Aldina dedit; hoc et Heins. cum Jo. Schradero probat; et præstare ipse arbitror. Dignius poëta esset *membris*, quod et Jacobs conj.—187. Fortasse, ait Scaliger, *Tum torva tuentem Lumine*: nec improbat Heins.; sed nihil mutandum. *Tenentem lumina* est, immotis luminibus stantem. *trementem* Heins. conj., quod vix accommodatum.—189. *compos mente* antique, pro mentis. *exanimi vix mente* Heins. maluit. In Petav. *exanimus. resurgit* reponi jubet ex vett., quibus Ms. Kœler. astipulatur, Scaliger; non parebo. Jam surrexerat pastor vs. 186 *Tum prosiluit*.—190. *ab orno* præclare Bembus. Ant. edd. et codd. *ab ore*.—191, 192. 193. Interpolatio in his manifesta. In vett. edd., etiam in Aldina, necnon in Ms. Helmst., medius versus *Namque illi* etc. abest; etiam in Petav. Natus videtur versus ex revocatis huc in margine e Ciri 279 *Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme, Ante hunc conspectum casusve Deusve tulisset*. Equidem omnes tres versus 191. 192. 193 a mala manu irrepsisse arbitror. Tentarat aliquis supplere: *Qui casus* (vel *Num casus*) *sociarit opem numenve Deorum, Prodere sit dubium*. Subscripsit alius: *Namque* (f. Hancce) *illi dederitne viam casusve Deusve, Prodere sit dubium*; utrumque inepte; nec minus inepte supplevit versum alius: *voluit sed vincere tales* (sc. casus) vel *talem*. non enim dicam utrum; hoc tamen alterum sic accipies; *voluit Deus vincere talem*, hominem sic armatum. At quam jejune! *tali* Voss. *voluit sedere tales* Voss. et Petav. Ms. Helmst. habebat: *vincere callens*. Scaliger tantum duo versus *Namque illi....Prodere s.* jugulat, et legit: *Qui*

Horrida squamosi volventia membra draconis,
Atque reluctantis, crebris fœdeque petentis
Ictibus, ossa ferit, cingunt qua tempora cristæ:
Et quod erat tardus, somni languore remoto,
Nescius aspiciens; timor occæcaverat artus:
Hoc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit cæsum languescere, sedit.
Jam quatit et bijuges oriens Erebo cit equos Nox,
Et piger aurato procedit Vesper ab Œta:
Cum, grege compulso pastor, duplicantibus umbris,
Vadit et in fessos requiem dare comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque effuso requierunt membra sopore:

(*casus sociarit opem numenve Deorum*) *Horrida sq.*, ut *qui* sit pro *quo trunco*. Barthii conatum parum prosperum in emendando loco videat qui volet Advers. XXI, 18. Heins. conj. *sociarit* cum Aldo; et vidit *casusve Deusve* Virgilianum esse; sic Æn. XII, 321. Idem laudat ex Aldo *vivere talis*, quod non reperio. Jo. Schrader. *Quem* vel *Quam*, *casus sociarat opem;* et mox *dederit vitam* et *vincere fata* vel *clades*.—194. *volventia* vel *volventis* Ascens., alterum hoc etiam Heins. malebat. *crebro* Ms. Helmst.—195. *fœdæque* vett. edd. *petentis*, scil. ore, morsu. Sed Scaliger non male: *fœdeque patentis Ictibus;* patet ictibus, vulneribus, qui recipit. Nec aliter Ms. Kœler. *creber* conj. Heins. Idem varie tentat: *avideque petenti*, vel *petentis*, vel *patentis Rictibus ora ferit*.—196. Heins. refingit: *Ictibus usque ferit* vel *Ictibus ossa terit. feris* vett. edd. *feris* vel *feri* Ascens. *ferit, c. q. t. cristam* Bembina est lectio. *cristæ* vetus erat lectio, ut video, ante Bembum, itaque recte emendavit Scaliger, cum Heinsio; ut sit, *qua cristæ cingunt tempora*. Itaque revocavi.—197. *somni* pro *omni* haud dubie cum Scaligero emendandum; sicque edd. Fabric., etiam ante Aldina. Sed totam sententiam vellem ut viri docti exposuissent. Scilicet et hi tres versus 197. 198. 199 insititii et spurii sunt. Voluit ineptus versificator in margine explicationem subjungere: pastorem tanto minus metu obtorpuisse, quod e somno repente expergefactus tempus non haberet de periculo cogitandi. Hoc binis versibus extulerat: *Et quod erat tardus somni languore remoto: Hoc minus implicuit dira formidine mentem.* Ascripsit alius: *Nescius aspiciens;* tum tertius misere explevit versum: *timor occæcaverat artus.* Barthius XXI, 20 frustra operam ludit in loco emaculando. Heins. *Utque erat haud tardus, somni languore remoto, Nec suus, adspiciens*, ut Ovid. *Vix meus;* ubi vid. Not. Jo. Schraderus em. *Nescius, ad speciem t.* In Voss. *excæcaverat.*—199. *Non minus...mortem* Ms. Kœler. *implevit* Voss. ap. Frisemann.—200. *cesum, languescere cœpit* Ms. Helmst. Heins. em. *Quæ,...sedit*, scil. formido, vel *Quæ...languescere desiit*, sc. mens.—201. *bijugis* vett. edd. ante Bemb. *quatit* equos, non flagrum, ut supplebat Scaliger. Idem: *Jam quatiens bijuges.* Mox *crebo* vett. edd., et hinc, quis crederet? edd. Fabric. *crebro*. Feliciter Heins. *Jamque atro b.*—202. *aurata* Petav. et Voss. *Vesper procedit* vett. edd. *ab Œta* conf. ad v. 41 supra. *ab ora* Ms. Helmst. Mox v. 203 *duplicantibus* est pro duplicatis.—204. Noluit, puto, *in requiem* dicere, ne confunderentur voces et fieret *irrequiem*. Ascens. et Taubm. jungunt: *dare requiem in artus.*—206. *effuso requierunt membra sopore.* Magis accom-

Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
Inquit: Quid meritus, ad quæ delatus acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania ventis.
Tu lentus refoves jucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethæas cogunt transnare per undas;
Præda Charontis agor. Viden' ut flagrantia tædis
Lumina collucent infestis omnia templis;

modatum foret *infuso*. vid. Obss. ad Tibull. III, 4, 81.—208. *ab eventu c. c. amaro* conj. Heins.—209. *Quis meritis* vett. edd., etiam Aldina; unde Scaliger emendat: *Quis meritis, inquit*, h. quibus meritis. Nisi forte præstat: *Quis, inquit, meritis*. Licentius, adeoque felicius, Heins. *En, quid, ait, meritus; aut quo delatus*. Sed Scaliger pergit: *aut quæ delatus*, antique, deferor aliquid. Alias, *ad quæ delatus*, est: in quam culpam incidi? *dilatus* vett., ex more. Ascens. ad quæ mala reservatus.—210. *me carior ipso Vita fuit, vita rapior* vett. edd. Fertur autem anima per aërem ad loca infera. Sic mos poëtis. Eorundem more mox *Manes* sunt Dii inferi, ut Ge. IV, 489. Notabile quoque, quod vss. 214. 215 trans Lethen Charon umbras vehit, non trans Stygem.—211. *rapior p. i. vectus* Ms. Helmst. *per inania Æerni* ingeniose Heins. conj.—215. *Videt, Videt et, Videt ut* vett. edd. *Vidi ut* Mss. uterque et edd. Ascens. *agar* et *Vide ut* Petav. et Voss. *Video ut* Aldina. Et si verum dicendum, alterutrum probandum est. Narrat enim Culex sibi adeunda fuisse loca infera: adeoque *Vidi ut*. *Viden' ut* alienum ab h. l. est. *Vidi et* Heins., ut Æn. VI *Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas. tælis* quoque ed. Ven. 1486.—216. *Lumina cum lucent* Petav. et Voss. *infectis* Ms. Kœler. *infernis* Domit. Calder., quod miror desertum esse a sequioribus edd. *inferna templa* sunt *Acherusia templa* Ennii. Manet tamen vel sic *omnia* otiosa vox. Heins. pro *templis* conj. *palmis*, quod non capio. Jacobs *Limina*, ut omnia infernorum templorum limina colluceant tædis. Suspicor versus dilatatos esse insertis ex margine laciniis diversis, et poëtam tantum hæc scripsisse: *video flagrantia tædis Lumina; Tisiphone, serpentibus undique cincta, Et flammas et sæva quatit mihi verbera Pœna*, h. Furia, quatit flagrantia tædis

NOTÆ

207 Sequitur locus, in quo poëta non modo luxuriatur, sed adeo ineptit, dum fabulas de rebus inferis non tantum molesta copia retexit; nam, etsi major earum pars ex interpolatione irrepsisse videri debet, tamen aliquas saltem, at vel illas a re alienas, a poëta profectas esse necesse est; verum etiam partes narrantis umbræ Culicis tribuit, qui justis sibi nondum persolutis necdum loca ea adierat, sed e longinquo prospexerat. *Effigies*, h. l. εἴδωλον, umbra Culicis, ut bene Scaliger monuit. Mox v. 214 pro ea *viscera* dixit miro modo; dum corpus et corporis umbram cogitaret. *cecinit* convicia doctius quam fecit, ex antiquo sermone; ut in XII Tabb. *occentare*. Sed *ab eventu* v. 208 quorsum referemus? an, cecinit c. propter id, quod evenerat? Nisi magis placet ad effigiem referre, ut ea sit *tristis ab eventu*.

Obvia Tisiphone, serpentibus undique comta,
Et flammas et sæva quatit mihi verbera pœnæ;
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineique micant ardorem luminis orbes.
Heu! quid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti jam limine ab ipso?
Præmia sunt pietatis ubi? pietatis honores
In vanas abiere vices; et rure recessit
Justitiæ prior illa fides; instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens;
Ad pariles agor eventus; fit pœna merenti;

lumina (faces), et flammas et verbera (flagella).—218. *pœnæ*, prave, ut facile in oculos incurrit. *Pœna* est Ποινή, Furia. conf. Scalig., et sic vett. edd. Male mutavit Bembus: *pœnæ Cerberus*. Heins. conj. *pœnam*, non video quam bene, vel *pœnas*.—219. Vulgo *flagrant*. Haud dubie *flagrat* fuit: Cerberus flagrat ora latratibus. Dicitur autem flagrare, calere, ardere, de repetito alicujus rei actu et intentione operæ. Notatum quoque *flagrat* video e Ms. Kœler. et Helmst. Scaliger emendat *flagrans*; supplendum erit: obvius fit. Jo. Schrader. tentat: *pandens, aperit*. Barthius XXI, 20 non nisi dura et contorta affert. At Heins. eleganter: *Cerberea et d. flagrant l. ora*. Ita tamen et alteri versui medendum. Idem conj. *Cerberus et diris ecsuens latratibus iram:* sed tum deficit verbum.—220. *arent cui colla* vett. edd., quod cum Scaligero explicari possit, squalent *repexis* em. Heins., nam et supra 217 *serpentibus undique comta*.—221. *orbes* per se sunt oculi, et ii *micant ardorem luminis sanguinei*. Sed vett. edd. *Sanguineumque:* quod melius. Sic *orbes luminis micant sanguineum ardorem*. Ms. Helmst. *Sanguineique ardore micant jam luminis orbes*. Petav. *Sanguineaque* et *orbes*. Heins. conj. *micant infandum*. Jo. Schrader. *ardentis luminis*.—222. Sententiam non satis exploratam habeo. *gratia* tamen aut beneficium vel benevolentia, aut gratus beneficii accepti sensus est. Si prius, tum sententia est nimis forte arguta pro hoc poëta: Heu quare *gratia*, beneficentia et benevolentia mea, *digressa est ab officio*, scil. eo, quod mihi ipsi debebam. Cur mihi ipsi defui, dum alium servare studui. Sin alterum tenemus, queritur Culex de pietate et grata memoria, quæ officio et beneficio accepto non respondet. Alterum hoc melius poni arbitror; *quantopere tu ab officio animi grati digressus es!* discessisti. Taubmannus *officium* de beneficio accipit; quo sensu reliqua, ignoro. Ascensius reddit: heu quid est gratitudo, digressa ab officio grati animi?—223. *lumine ab ipso* Voss. et Petav.—224. Scaliger recte concinnius putat: *Præmia ubi pietatis? ubi pietatis honores? In vanas abiere vices*. Manifesta imitatio Virgiliani versus ex pr. Æneid. *Hic pietatis honos?* etc. *in vanas vices* eleganter pro, in vanum. Vices fuissent in retribuendo. *et rure*, h. e. heu etiam inter ruricolas abiit, recessit, *Justitiæ fides*, ornate pro justitia: sed in reddendo, quod debetur, fides cernitur. cf. Ge. II, 473. 474. Male Aldina *et jure* cum Petav. et Voss. *iterumque recessit* conj. Heins.—226. Bene cum Jo. Schrader. Jacobs em. *Justitia et prior illa Fides*. Mox i. *vici* vel *adivi* Heins.—228. Jam ab his inde verss., quæ sequuntur, meri sunt lusus versificatorum: in quibus tamen docti homines fuere. *fit...fit*. Scaliger hæc corrupta arbitratus emendat: *sit pœna merenti: Pœna*

Pœna fit exitium; modo sit dum grata voluntas!
Existat par officium! Feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter distantia lucos:
Quem circa tristes densentur in omnia pœnæ.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
Devinctum mœstus procul aspiciens Ephialten,
Conati cum sint quondam rescindere mundum;

sit exitium; modo, si cui grata voluntas, Existat par officium. Retineo saltem illud: *modo sit dum;* nisi malis: *modo dum sit,* pro dum modo sit *grata voluntas et par officium,* sc. ut memoriam Culicis gratus colat. Poterat tamen et ferri; *fit pœna merenti,* h. mihi bene merenti; *Pœna fit exitium;* h. e. et pro pœna, mercede, exitium infligitur. Quæ sequuntur putida sunt. Taceri hic nonnulla puta: tum pergit: sit ita: *modo sit dum* etc. (cum g. v. vett. edd.) dum modo sit grata voluntas! dum modo officium par beneficio meo existat! habebo hoc pro solatio. Paulo ante male interpungebatur plene post *relinquens.* Nam hoc significat: *vidi alterius fata instantia: tum* ego mea fata, vitæ meæ periculum, *relinquens,* negligens, *sine respectu ago ad p. e.,* ad eandem mortem præsentem propero. Interpolatoris tamen manum etiam in toto loco agnoscere facile est. Forte a poëta profecta sunt tantum illa: *Justitia et prior illa Fides! feror avia carpens.*—231. Parum suaviter hæc: *avia distantia inter lucos.* Unde inf. 258 *magis distantia limina.*—232. *Quem circa.* Etiam hunc versum ejiciendum censeo. Alienum esse arguit importuna junctura et structura. Nam *quem* de Culice accipiendum. Feror carpens (cursu, volatu) avia (loca), avia distantia, inter Cimmerios lucos, dum circa me pœnæ tristes densentur *in omnia,* h. quaquaversum, undique. Sic enim videtur posuisse. cf. inf. 241. Jacobs noster, *densentur in agmina.* Saltem *Quos* (lucos) *circa* legendum arbitrer. *densentur* recte revocatum. Alii *densantur* et *pœne.* Describit autem Tartarum. Ceterum Scaliger hic iterum plures versus transponit, nullo ad poëtam et sententiam cum fructu, me quidem arbitro. Scilicet post 232 *Quem circa,* inserit v. 247 *Atque alias alio* densent *super a. t.;* tum 238 *Terreor* etc.—233. *victus* al. *mœstus* Petav. Mox *Othon* pessime dederant. Est Ὠτὸς satis notus vel ex Od. A. 307.—234. *Devinctum* lego, h. pariter vinctum. Id quoque Asulanus et Bembus ediderant. Intelligit Aloidas ex Æn. VI, 582. Vulgo: *Devictum.* Edd. vett. aliquot *Devictus.* Ceterum alligatos columnæ Aloidas et alii dixere; sed sibi aversos. Hygin. f. 28 *Qui ad Inferos dicuntur hanc pœnam pati: Ad columnam aversi alter ab altero serpentibus sunt deligati. Est Strix inter columnam sedens, ad quam sunt delegati.* Postrema corrupta sunt, nisi, quod suspicor, ab alia manu assuta; saltem: et *Strix in columna sedens.*—235. *Conati quondam cum sint incendere* vulgg., prave; natum ex *inscendere. escendere* conj. Heins. In promtu erat *rescindere* e v. 583 Æn. VI et Ge. I,

NOTÆ

230 Ad loca infera delatus vagatur per avia lucorum Cimmeriorum, quos hic in remotis Orci partibus versus Tartari limina collocat. In Tartaro enim sceleratorum supplicia prospicere debuit Culex: Oti, Ephialtæ, Tityi, Tantali, Danaidum, Medeæ, Philomelæ et Procnes, Eteoclis et Polynicis: usque ad v. 259. Inde ad Sedes Piorum (ad quas vs. 295 sq. pervenit) defertur: sed in limine Campos Lugentium prospicit: inque iis heroidas Alcestin, Penelopen, Eurydicen. *feror carpens,* carpo avia.

Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ,
Implacabilis ira nimis, jacet alitis esca.
Terreor ah tantis insistere, terreor, umbris,
Ad Stygias revocatus aquas. Vix ultimus amni
Restat, nectareas Divum qui prodidit escas.
Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Contemsisse dolor quem numina vincit acerbus,
Otia quærentem frustra? Vos ite puellæ,

230. Jam Jo. Schrader. e cod. Voss. protulit in Emendatt. pag. 19, id quod posui: *C. cum sint quondam rescindere.* Non igitur recte positum est a Frisemanno, *inscendere* legi in Voss. et Petav.—**236.** *tuas...iras* vett. edd. cum Ald., quasi sit: *memor iras.*—**237.** *Implacabilis ira nimis!* per parenthesin cum exclamatione dictum (De Tityo conf. ibid. 595). Lectio est Bembina, et proba. Vett. edd. (non una, quod Scalig. putabat) sic efferunt: *I. ira jacet vivus alitis esca.* Emendatum in Ascenss. edd. *vici alitis*, in edd. Fabric. *vivus a. e.* At Scaliger inde refingebat: *Implacabilibus Divis jacet a. e.* Heins. *Jure impacati fibris jacet alitis esca.* Virgil. *Nec fibris requies datur ulla renatis.* —**238.** *Terreor ah tantis* legendum; et edd. Fabric. bene exhibent. Vulgg. *a tantis.* Sed pessimi poëtæ versus sunt.—**239. 240.** Sensum velim et hic subjecissent viri docti, qui, quantum intelligo, nullus est. *At Stygiis r. aquis* Voss. et Petav. Vett. edd. ad superiora trahunt interpunctione: quasi retrahatur ad Stygem Culex, *Vix ultimus amni*, vix proximus factus, Cocyto vel Phlegethonti, qui Tartarum ambit: h. cum vix ad amnem accessisset. Forte leg. *Vix ultimus amnis Restat* (scil. ei) *nectareas d. qui p.* Tantalo eluso fugiens a labiis amnis vix in imo fundo alvei supererat. *ultimus*, infima pars. *amne* Voss., unde Heins. em. *Extat* eleganter, quatenus Tantalus in flumine stat, vix summa sui parte eminens. Pergit autem describere phantasma Tartari, quem tamen non adiit.—**241.** Aut fœde corruptus est versus, aut, quod mihi probabile fit, margini fuit ascriptus. Certe sive amnem, sive Tantalum intelligas, nulla exit sententia commoda: Tantalus *revolutus in omnia*, in omnes partes convertens se, ut aquam captet, *sensu arenti gutturis*, præ siti. *in obvia* conj. Jo. Schrader. Audacius refingam: *Gutture ab arenti revolutis fluminis undis.*—**242.** *de monte* Voss. *cui monte volutum* Heins.—**243.** *Quem vincit dolor contemsisse Numina*, satis jejune. *dolor* ex eo, quod Deos contemsit Ixion. *vincit dolor*, occupat, tenet. Poterat commodius verbum poni: etsi per se non est insolens, dolorem vincere, superare animum. *n. v. acerba* Ms. Kœler. *acerbas* Voss. et Petav. Ex Heins. notatum: *Contemsisse labor quem numina sancit acerbi:* puto voluit, *acerbus.*—**244.** Hæc et seqq. misere fœdata sunt. Primo vett. edd. omnes ante Bemb. pro *Vos ite, sub lite* vel *sublite.* Codd. *fiblite.* Voss. *ceu rite, puellæ;* tum *quærentes f.*, ut ad Danaidas referatur, Ascens. Pomp. Sab. Ms. Helmst. et idem e vett. edd. malebat Scaliger: *Otia quærentes frustra sub lite puellæ, Ite, q.*, nam certatim dolia implent; dure profecto. Heins.

NOTÆ

238. 239 Hæc conjungenda sunt cum v. 257. 258 *auferor ultra In diversa magis.* Errabat umbra Culicis per loca infera avia et ad limen Tartari pervenerat. Ibi vero territa monstris eorumque suppliciis refugit et tandem defertur in alteram partem, ad Elysios campos.

Ite, quibus tædas accendit tristis Erinnys:
Sicut Hymen præfata dedit connubia mortis:
Atque alias alio densat super agmine turmas;
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia solicitis meditantem vulnera natis;
Jam Pandionias miseranda prole puellas,
Quarum vox Ityn, et Ityn, quod Bistonius Rex,
Orbus epops mœret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo sanguine fratres
Jam truculenta ferunt infestaque vulnera corpus

O. quærentem frustra sibi. Ite, p. cum hiatu. Nec felicius in hoc loco sanando versata est Barthii opera lib. XXI, 20, quem adeat, cui placet; piget enim transcribere ea, unde nullus ad nos fructus redit. Retineo Bembinam lectionem *Otia quærentem frustra*, ut adhuc ad Ixionem referatur. Verum appellationem *Vos ite* prorsus alienam a loco esse video. Narrat enim Culex quæ viderit. Forte: *Otia quærentem frustra sibi? quidve puellas?* vel *frustra? Belive puellas?* (scil. quid memorem? ex v. 242.)—245. *Ite;* accipiendum erit: discedite a me! ut aversetur Culex aspectum. Sic fere Ascensius; satis frigide. *Ire* ed. Ven. 1486. F. *Dira;* quod mox per *tristis* interpretatum cum esset, glossa in textum venit. Forte fuit: *Dira quibus tædas accendit* pronuba *Erinnys*, subjecit tum alius versificator: *Sicut Hymen:* expletus versus mox ab alia manu.—246. Scaliger: *Si cui*, legit: sed quæ sententia commodior sic exeat, non video. Vett. edd. *Sic Hymen.* Heins. *Quis et Hymen.* Jo. Schrader. *Sævus H. post fata* l. per *facta.* Forte *præsaga:* est enim versificatoris lacinia ex interpretatione superioris versus nata: accipienda ea iterum de Erinny: *præsaga dedit connubia mortis* (scil. obtruncatis in thalamo sponsis), *Atque alias alio densat super agmine turmas* (scil. sponsorum numero L); cumque his *Impietate fera* v. *C. matrem.*—247. *densat* Bembo debetur. *densas* vett. edd., etiam Aldina cum codd. *densent* Scaliger, qui retraxit versum post v. 232 *Quem c. tr.* Heins. conj. *Statque alias alio densens.*—248. *Impietate fera cum cernam Colchida matrem* vett. edd. ante Bemb., quasi jungantur: *Ite...cum cernam*, scil. tanquam majus scelus. Sed malo *vecordem Colchida matrem...natis?* scil. an narrem? ex v. 242.—249. *Anxia vulnera* vix placent; saltem: *Impia* v.—250. *Jam P.*, sc. an memorem? ex v. 242, nisi *An P.* scribendum. *miserandas* vett. edd. ante Bemb. cum codd. Heins. *f. miseranda forte.*—251. *Quarum vox querula est, superat quod* vett. edd. ante Bemb. Cum tamen in Bembina lectione metrum et sententia peccet, refinxit Scaliger: *Quarum vox querula est. Superas quoque B. R.* Codd. Petav. et Voss. *vox sit in edityn.* Heinsius apud Burmann. ad Anthol. Lat. p. 496 T. I versum sic constituebat: *Quarum vox cit Ityn, et Ityn quoque B. R.*, satis dure. Puto ex vetere et Bembina lectione comparata veram reperiri posse: *Quarum vox Ityn ingeminat, quo Bistonius Rex Orbus epops mœret, v. e. in a.* Ad *ingeminat* ascripserat aliquis: *Ityn et Ityn.* Mox *quo orbus* jungo, quo Ity orbus Tereus. *Q. vox iteratur Itym quo* Ms. Kœler. *Q. vox sit in itim* Ms. Helmst. Jo. Schrader. tentat: *Q. vox iterabat Ityn;* vel, *iteratur Itys.*—252. *Cadmeo semine* e Ms. Petav. præstat legere cum Burmanno ad Anthol. Lat. T. I, p. 165. Exhibebat idem cod. Helmst. Heins. conj. *Cadmeo e sanguine.*—254. *vulnera* Bembus intulit. At *lumina* vett. edd. cum ipsa Aldina, etiam membrana Contii apud Scalig., quod unice verum; non jam pugnabant invi-

Alter in alterius: jamque aversatus uterque,
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Eheu! mutandus nunquam labor. Auferor ultra
In diversa magis: distantia limina cerno:
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Persephone comites Heroidas urget
Adversas perferre faces. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod sæva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.

cem, sed infestis oculis se invicem intuebantur; aversantes jam mutuam cædem peractam. Opinatur tamen legendum Heins. *ferunt infesti vulnera...sibi jam*, vel, *jamque et, gratatus uterque*. Apud Statium Theb. XI, 550 et sqq. sunt quæ ad h. l. commendes. *infectaque lumina* Petav.—255. *aversatus* haud dubie recte Bembus ediderat, ut mirer *adversatus* iterum relictum esse; nisi melius, *aversatur*, quod in Voss. est; quodque Oudendorp. ad Jul. Obs. c. 118 e Mss. affert; at in Petav. *aversatus*.—257. *Heu! heu!* vett. edd., quod ex virorum doctorum opinione præstat; tum distinguo post *labor*. *Auferor ultra In d. magis*. Nam superiora illa adhuc ad Eteoclem et Polynicem refero. Ærumna eorum æterna! Miro ausu versus hos tres 257. 258. 259 rejicit Scaliger infra post v. 382. 383, ubi vide Var. Lect.—258. *numina distantia* velim explicet mihi aliquis. Edd. vett. *lumina*, quod de Elysiorum cœlo puro ac sereno accipi potest; sed *limina* præstant. Margo ed. Ven. ap. Scotum et ed. Fabric. *flumina*, quod etiam melius. *distantia limine certo* refinxit Scaliger. *numina* Petav.; forte jungenda: *In diversa: magis distantia;* cf. sup. 231.—260. Primum *Elysiam undam* nondum legi. Tum *tranandus* quod monstrum orationis est! *Elysium* legebat Barth. XXI, 20. Divinabat Jo. Schrader. *Eridanus tranandus* (ex Æn. VI). Obelo transfigendus et hic versus ex margine illatus, et ex v. 214 confictus.—260. *Persephone*. Restituit Bembus. Edd. vett. *Tisiphone*, cui in locis Elysiis nullus locus.—261. *Adversum* edd. vett., nonnullæ etiam *præferre:* ut et Heins. corrigit; modo sensum prodidisset. Idem conj. *perferre vices*. Jo. Schrader. *acies*. Obscura est sententia; videtur *perferre faces adversas* dictum de amoribus infaustis (nam *curæ miserus non ipsa in morte relinquunt*), ut nunc *Lugentes campos* describat. vid. Æn. VI, 440 sqq. Reliqua tamen de Elysiis campis agunt.—263. *Ipsa suis fatis A. fata m.* Est lectio Bemb. Nec facile quisquam subodoretur vitium, nisi vett. edd. et codd. inspexerit, in quibus: *Hic alcedonius*, Ascens. *Hic Calcedonias Admeti cura morata est*. Ascensius quidem post Domitium Megarenses interpretatur, quorum Chalcedon colonia fuit, et ad Scyllam Nisi refert: quod fieri non potest. *In Calcedoniis* Fabric. edidit ex Aldina, quod et Ms. Kœler. legebat cum Ms. Helmst. Petav. Voss.; iidem *cura*. *Alcyonen*, pietatis in maritum, Ceycem, exemplum, facile quis in animum revocet: idque fecit Scaliger, qui, postquam in *Chalcedoniis* mulieribus argutatus erat, sine dubio legendum ait: *Isthic Alcyonas Admeti cura morata est;* ut Alcyonas plurali numero pro ceteris dixerit, quæ similiter ex luctu de morte maritorum perierunt. Ipse exponit: stupuerunt Alcyones (saltem *Alcyonæ*) exemplum simile Alcestidis in maritum; sed est durissimæ venæ versus per se; tum cum ceteris parum cohæret; Bembina vero lectione ad sensum explendum carere plane nequimus. Suspicor itaque ascriptum fuisse a viro docto in margine

NOTÆ

257 Nunc Umbra ad Elysios campos tendens campos Lugentium prospicit.

Ecce, Ithaci conjux semper decus Icariotis
Fœmineum incorrupta decus; manet et procul illa
Turba ferox juvenum telis confixa procorum.
Quin misera Eurydice tanto mœrore recessit,
Pœnaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec mœsta obtentu diro et ferrugine regna,
Defossasque domos, ac Tartara nocte cruenta
Obsita, nec faciles Ditis sine judice sedes,

exemplaris aliud exemplum *Ceycis et Alcyones;* quod alius librarius intexuit verbis poëtæ, quibus accommodarunt emblema alii.—264. *Icariotis* recte Bemb.; est enim Penelope Icarii f. Vett. edd. *una charontis.* Domitius legerat *Icariontis.* Non redolet versus doctum adeo poëtam; manifestum tamen fit, *semper decus* esse aut corruptum aut admodum jejunum, multo magis, cum iteretur versu sequ. Nisi latet epitheton, v. c. *Ecce Ithaci conjux Lærtiadæ Icariotis.* Interpolatum erat in Ms. Helmst. *semper decus enitet oris.*—265. *Fœmineum concepta d.* vett. edd. ante Bembum, etiam Aldina, cum codd., quod Scaliger verum esse ait, esse enim archaismum: *concepta decus,* nec tamen addit, quo sensu. *illa* ubique video post *procul;* ut mirer *illam* viros doctos maluisse. Interpunctionem mutavi, quæ erat: *decus manet, et pr.* Versus autem hic et sequens non ad Cupidinis tela, quo male referunt Interpp., sed ad cædem respiciunt procorum ab Ulysse factam.—267. Totus hic de Orpheo, qui sequitur, locus novum facit episodium; quod a primo carminis auctore profectum esse vix potest. Vides ubique cumulata tentamina versificatoris refingendi et variandi studio occupati. *Quin* h. l. transitum orationis facere debet. Forte fuit *En m., At m.* Voss. *Quid m.,* ut 242. *tanto m.* non satis intelligo, quid sibi velit. f. *tacito mœrore.* Jacobs conj. *infando m.,* voce Virgiliana. Porro Barth. XXI, 20 conjiciebat *recesti* pro recessisti.—268. Versum, ut nunc est, vix expedias, etiamsi *Orpheus* pro *Orpheu* accipias. *Orpheos* alii, ut secundus casus sit. An poëta significare voluit: Eurydicen esse in Elysio, Orpheum vero sejunctum ab ea puniri, quod eam respexit. Scaliger emendavit: *Pœnaque respectus et nunc in te manet, Orpheu.* Heins. ingeniose: *Poneque respectans et nunc manet Orphea serum,* et ablegat ad Voss. Anal. II, 9. Nec tamen ipsa respectabat, verum Orpheus.—270. *illi* edd. vett., et 271 *furens* vitiose, etiam Aldina cum codd.; iidem *haud illi,* et *unda.*—272. *obtentu Ditis f.* codd. et vett. edd., quod Ascens. reddit: in possessione Ditis. *obtentu diro et f.* a Bembo est; ut sit *obtentus* caligo, quæ obtenditur, Scaliger antiquam scripturam ita refingit: *obtenta Ditis ferrugine:* Ditis tenebris obtentis. Aldina exhibet: *Nec mœsta obtentum Ditis ferrugine regnum;* ex emendatione, ut judicare licet, viri docti non inscita. *obtutu* corr. Heins.—273. Scaliger in membr. Contiana reperiebat: *Nefossas* (ut in Helmst. Ms. *Nec fessasq.,* in Voss. *Nec f.* erat), et recordabatur antiquæ vocis apud Festum; *Cnefosum* pro obscuro: ex κνέφας. Ita vero prima vix producta esset. *Defossæ domus* haud dubie eleganter pro locis subterraneis. Sic *Defossos specus* Ge. II, 376 vidimus. *Depressasque* conj. Jacobs, h. domos profundas, qua voce delectantur poëtæ. Porro *ad T.* vitium ed. Taubm., nil amplius. *Tartara nocte obsita:* bene; sed *nocte cruenta?* an simpl. pro horrenda? Sic et Jul. Sab. accipit, ut sit, sæva. Nisi aliud olim fuit epitheton; *nocte tremenda, nocte silenti.*—274. *nec faciles:* ad quas non facilis aditus, quas

Judice, qui vitæ post mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Jam rapidi steterant amnes, et turba ferarum
Blanda voce sequax regionem insederat Orphei;
Jamque imam viridi radicem moverat alte
Quercus humo, steterantque amnes, sylvæque sonoræ
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes bijuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu currentes, menstrua virgo,

non admittunt aliquem, nisi judicium subierit. Æn. VI, 431 *Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice, sedes.* Scaliger maluit tamen: *nec faciles Dictæo judice sedes*, h. Minoë, docte: *scit judicis urna Dictæi* Statius VIII, 102.—275. *indicat* vett. edd. *judicat* vet. cod. Scaligeri, et sic edd. Verum e Bembi codice *vindicat* eodem sensu doctius positum, respectu suppliciorum simul habito infligendorum ex sententia lata.—276. *Sed f. favens* em. Heins. Edd. Ald. et hinc Ge. Fabric. cum Ms. Kœler. et Helmst. et Petav. ac Voss. *audacem fecerat, ante Jam r.*—278. *insiderat* Petav. et Voss. Reliqua versus verba non satis docta sunt: *regionem* multo minus expectabas.—279. *unam* vett. edd. pro *imam*, ut sæpe alias. *viridis* Ms. Kœler. *Jam vox una viri euridicen moverat* Ms. Helmst.—280. *que* a Bembo illatum post *steterant* in vett. edd., etiam Aldina, non male abest. Sed omnino interpolatio in h. l. grassata est. *steterant amnes* jam præcesserat v. 277. Heins. conj. *sequiturque comes;* tum *sonoros* mavult.—281. *c. avara* Petav. et Voss. Heins. f. *vertice prono.*—282. *Albentes* tentat Jo. Schrader. Sed versificator dixit *labi per sidera. Lunæ*

NOTÆ

276 *Fortuna audacem fecerat Orphea*, scil. quod tantam cantus sui vim in aliis rebus alio tempore jam sæpe antea expertus fuerat, quæ mox enumerantur: hoc tanquam successu elatus ille audebat nunc adire infera loca. *Fortuna valens*: simpl. ornans epitheton; plerumque alias *fortuna potens*. 277. 278. *regionem*, locum, quo Orpheus canens cithara consederat, *turba ferarum, sequax blanda voce*, propter blandam vocem *Orphei*, jam alias sæpe suavi cantu allecta, *insederat*. 279. 280. Hic peccavit poëta, quisquis ille fuit (nam totum episodium de Orpheo ab alio, sed docto, homine profectum videtur), cum Ovidio et aliis, quod vim cantus Orphici in arbores nimis dilute descripsit. Recte vetus poësis arbores carmine motas et delinitas dicere potuit. Sed ineptum erat, huic phantasmati immorari et motus adeo rationem describere velle. Quercus radicitus evulsa ad vatem accedere debuit secundum poëtam nostrum. Mox redit ad easdem v. 280. 281 *sylvæ sonoræ* (ornat h. l. epitheton proprium arborum vento strepentium) *rapiebant* cantus, avide audiebant, arripiebant, idque ornavit adjecto: *cortice;* ut alias *auribus rapimus cantum:* sonus autem per corticem penetrabat. 282. Etiam Luna repressit bigas per cœlum invectas: cursum inhibuit. *Bigæ* nunc equorum sunt, alias taurorum. Parum suaviter mox eandem alloquitur: et tu, *menstrua virgo*, propter vices Lunæ menstruas, ut audires lyram, *tenuisti currentes* equos, *nocte relicta*,

Auditura lyram tenuisti nocte relicta.
Hæc eadem potuit Ditis te vincere conjux,
Eurydicenque ultro ducendam reddere. Non fas,
Non erat in vitam Divæ exorabile numen.
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Præceptum signabat iter; nec retulit intus
Lumina, nec Divæ corrupit munera lingua.
Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti jussa Deorum.
Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,

Voss. et Petav.—284. *nocte relecta* conj. Markland. ad Statium p. 283.—286. 287. *Non fas, Non erat in vitam Divæ exorabile Numen* Bembina lectio: in qua non constat verborum sententia. Vetus lectio erat: *Non erat in vitam Divæ*, vel *Dive*, et in Aldina *diræ*, *exorabile mortis:* quod et Petav. habet. Arripuit Scaliger *diræ e. mortis*, nec expedito tamen satis sensu. Puto fraudem latere in *in vitam*. Lego: *Hæc eadem—Eurydicenque ultro ducendam reddere (non fas, Non erat, invitam), Divæ exorabile numen!* h. ut jungantur: Ditis conjux, Divæ inexorabile numen, et potuit Proserpina Eurydicen abducendam reddere ultro; non enim fas erat, invitam reddere: non cogi poterat, ut invita reditum daret. Precibus tamen illa exorari potest. Et eo fere tendit lectio vitiosa in edd. Ascens. *nam fas Non erat invitam, nec Divæ exorabile mortis.* Acute Heins. *viro* pro *ultro*. Post omnia tamen hæc vss. 286, 7. pro alienis habeo.—289. 290. *inter Limina* vett. edd., et mox iterum: *nec d. c. limina.* Etiam Scaliger *corrupit limina* profert e membr. Contiana et præfert: vetuerat enim, inquit, Proserpina loqui intra limina et respicere. Bembinam tamen lectionem deserere nolim: *munus Proserpinæ* erat venia data relinquendi loca infera; reditus in vitam. Illa *non corrupit munus*, non irritum reddidit, *lingua*, loquendo. Ms. Kœler. prorsus corrupte: *Lumina, quæ Divæ nec rupit imagine linguam.* Ms. Helmst. *nec rupit munere linguam.*—293. 294. Bembina lectio. Edd. vett., etiam Aldina, *gratum si Tartara nossent. Peccatum meminisse grave. et vos s.;* sic et Petav. et Voss., nisi quod *possent*, et *est. vos s.* Scaliger veterum lectionem præfert et interpungit: *gratum si T. nossent Peccatum meminisse. Grave: at vos;* sensum tamen non satis ad liquidum perducit, mox autem emendat: *Peccatum minus esse.* Atqui iniquum est deserere

NOTÆ

cursu, qno noctem efficit, regit. 285—287. Hæc eadem lyra, o conjux Ditis, potuit te vincere, ut redderes Eurydicen. *hæc potuit reddere*, solito poëtis more, efficere, ut redderetur. *ducendam*, reducendam in vitam.

288 Eurydice quidem severum et strictum jus inferorum Deorum jam experta, iter præscripto modo faciebat, neque, uti jussi erant, respexit neque verbum elocuta est. Ingeniose sic poëta non modo Orpheo interdictum, ne retrospiceret, verum et novam legem Eurydicæ datam memorat, qua nostros poëtas nondum uti vidi: *ut nec illa silentium voce rumperet:* quæ lex longe durissima fuit, utpote fœminæ dicta. Fuit tamen illa magis compos linguæ, quam maritus amoris. *signare iter*, vestigiis impressis.

294 Nunc ipsum Elysium adit Ca-

Vos manet Heroum contra manus. Hic et uterque
Æacides: Peleus namque, et Telamonia virtus
Per secura patris lætantur numina, quorum
Connubis Venus et Virtus injunxit honorem.
Hunc rapuit serva: ast illum Nereis amavit.
Assidet hac juvenis, sociat quem gloria, fortis,

meliora, quæ libri dant, quæque hausta esse ex Ge. IV, 489 manifestum est: *Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.* Si quid e vet. lect. servare placet, esto illud: *Grave. At vos*, ut sit: Grave quidem est hoc. At contra, ex adverso, a Campis lugentibus, habitat, in piorum sede, heroum contubernium. Sensum teneo; verba tamen sunt aspera ac dura. Saltem delebo *vos* altero loco, ut sit: *Sed et me sede piorum manet h.* heroum manus, *contra vos*, ex adverso, *in sede piorum*, manet me, adeunda mihi est. Nam de his nunc sequitur locus. Mox in fine *priorum* male recensio Heins. et Burm. cum vett. edd. Sic sæpe *piorum* et *priorum* permutantur. *sedem piorum* quis nescit! *contra est dura.* Majorem interpunctionem apposui ante *Sed et vos.*—296. *Peleusque una et T.* Heins. conj. Saltem malim sine copula: *Peleus una et T.* nam hi sunt Æacidæ.—297. Vett. edd. *locantur*, et *locitantur*. A qua lectione discessum esse videtur, quod transpositas esse voces non videbant viri docti: *per patris secura locantur n.* Sic totus locus sic procedebat: *Hic et uterque Æacides, Peleus nempe et T. virtus, Per patris secura locantur numina.* Ut sit: namque hic locantur, collocati sunt, (etsi satis tenue hoc est) uterque Æacides. *patris numina* ad Jovem, patrem Æaci, avum Pelei et Telamonis, erunt referenda. Scaliger emendavit: *munia*, id est, præfecturam Æaci, quam obtinet ille apud Inferos. *munera* in Aldina expressum video. Tamen vel sic *secura* parum placet; erunt: perpetua, æterna. Saltem præstabat scribere: *Peleus —virtus Lætatur secura, patris per numina.*—298. *C. genus et v.* Jo. Schrader. emendat, vere arbitror.—299. *Hunc rapuit feritas:* vetus erat lectio; manifeste corrupta. De nuptiis Pelei et Telamonis agitur; alteri Virtus, alteri Venus, eas astruxerat; ille Thetidem duxerat, hic Glaucen, Peribœam, et Hesionem: quam Troja capta ab Hercule accepit et abduxit. Potuit adeo ille ipse dici rapuisse Hesionen: *Hic rapit Hesionen;* at alterum amat Dea. At: *Hunc rapuit serva: ast;* Bembina lectio, digna utique quam amplectamur: quidni enim Hesione bello capta minus *serva* dici potuit, quam Tecmessa Ajacis? et bene oppositæ sunt Nereis et serva: diversa ut sit Telamonis et Pelei fortuna. Maluit tamen Scaliger retrahere pristinum: *H. r. feritas*, ut sit virtus, ἥρωίη Homerica. *H. r. ferrum* Ms. Helmst. Petav. et Voss. *ferit. ast. Hunc rapit Hesione* substituit Heins. Pari jure substituas: *Hunc cepit Peribœa; illum N.;* et hoc substituit quoque Jo. Schrader. Emendatt. p. 24 *Hunc rapuit Peribœa;* estque illud propius ad literarum ductum in codd.—300. Ajacem memorari manifestum est. Achilles non sequitur nisi v. 320. *A. ac j.* vett. edd., Aldina quoque, et *sociat te gloria sortis*, et Ascens. *ac j. sociatæ gloria sortis;* quod Scaliger probavit, ut esset: *Assidet hac juvenis, sociatæ gloria sortis, Alter*, ut sit, puto, *sors sociata*, consessus heroum in Elysiis modo memoratus. Ita tamen melius procederet sententia, si legeretur: *Assidet his juvenum sociatæ gloria sortis: Alter*, sc. Ajax, h. assidet par juvenum æquali fama; ut sit: *gloria juvenum*, juvenes gloriosi, gloria cumulati. Barthius XXI, 20 malebat; *Assidet at juvenis, sociat quem gloria sorti. sociat quem* Petav. quoque,

NOTÆ

lex, et recensum heroum facit, ea tum Romanorum.
loca incolentium, primo, Græcorum,

Acer, inexcussus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
O quis non referat talis divortia belli,
Quæ Trojæ videre viri, videreque Graii!
Teucria cum magno manaret sanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor; Sigeaque præter
Littora cum Troas, sævi ducis Hectoris ira,
Videre in classes inimica mente Pelasgas

et *sortis* idem cum Thuan. Heins. emend. *Assidet hunc juvenis sociatæ gloria sortis.* Ita tamen *sociata sors* cum Peleo et Telamone vix esse potest.—**301**, **302**. *inexcussus* etiam e Bembino codice; accipio, ut sit imperterritus, qui mentis statu non excutitur. Vett. edd. *Alter in excessum.* Aldina: *in excelsum*, et Scaligeri duæ membranæ: *Alter in excissum* (hoc etiam in Petav. et Voss.) et *in excidium*, quod et in Ms. Helmst. erat: unde ille fecit: *in excursu r.* Heins. conj. *inexustis navibus. referens repulsos* est pro repellens incendia a Trojanis illata classi. Iliad. M. sqq. *Phrygios—repulsus* edd. Fabric. *P. turba fremitante r.* Ms. Helmst., interpolate. *turba feritate refulsos* Petav. et Voss.—**303**. *O quisnam* Ms. Helmst. *tali devortia bellis* Petav. et Voss. —**304**. *Trojæ viri:* saltem *Troës*, aut potius: *Quæ Troës videre, viri videreque Graii.* Sic *Graii viri* apud Ovidium. Heins. *Troës feri* vel *Trojæ subiere viri.* —**305**. *magno...sanguine;* non dubito fuisse, *multo.* Est enim hæc perpetua mutatio ex primis statim Tibulli versibus nota. Vidit quoque Jo. Schrader. et late illustrat Emendatt. pag. 21.—**306**. *Sigea*, non *Sigæa.* Est τὸ Σιγειον. *propter* malebat Heins. et Jo. Schrader. Emendatt. p. 27. Interpunctionem mutavi: cum ea esset: *X. liquor, Sigeaque præter Littora: cum.*—**307**, **308**. *cum Troës sævi vos Hectoris ira* Bembina erat lectio, ut sit: *cum videre* (scil. homines) *vos, o Troës, paratos inferre* etc., quod ingratum est. Vett. edd. *cum Troas sævi vos Hectoris ira Viderit*, et Ms. Helmst. *Vidit, et* (Voss. et Petav. autem *Vidi in cl.*): neutrum satis commode. Licet *Troas* tenere et suspicari in *vos* latere *actos: Sigeaque propter Littora cum Troas sævi actos Hectoris ira Videre;* ut ipsa littora viderint. Alioqui debebat *videret* sequi: excidit forte hoc ad finem versus, v. c. hunc in modum: *cum Troas sævi Hectoris ira videret Fortiter in classes...inferre paratos*, aut, quod Ms. Helmst. habet, *parantes. Hectoris ira, μένος Ἕκτορος*, pro Hectore. Sed Scaligerum hoc eo ducebat, ut *vis Hectoris* mallet, et reliqua accommodaret: *cum Troas sævi vis Hectoris ira Viderit in cl.* In ed. Ven. 1484 *vox Hectoris* erat vitium. Ecce tamen protulit Jo. Schrader. Emendatt. p. 27 e Cod. Vossiano, quod totam litem tollat; esse enim in eo diserte scriptum: *Troas sævi ducis Hectoris ira.* Verum adeo esse non potest, quod apud Friesemannum est, in Voss. et Petav. legi *sævi dos.* At *Troas* jam in edd. vett. et in Petav. visitur. *Pelasgas* vid. ad Æn. I,

NOTÆ

303 *Divortia belli:* quod inter diversos duo populos geritur, quasi ad duo divertitur: ut *divortia viarum, aquarum;* et ex altera parte similiter, *jurgia belli, discordia pugnæ*, dici solent. Elegans translatio, quam nescio num aliunde acceperit poëta. Mox **304** facit iterum in digressione novam digressionem de bello Trojano poëta: nisi tota hæc lacinia cum tot aliis assuta est ab alio. Cogitandum autem de ταιχομαχίᾳ Iliad. N. in qua Ajax Telamonius ignem a classe propulsavit 107 seq. Tum alter Æacides, vers. **322** Achilles, Hectorem interemit.

Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.
Ipsa jugis namque Ida, potens feritatis, et ipsa
Æqua faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœtei littoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Objectoque dabat clypeo certamina; et illinc
Hector erat, Trojæ summum decus: acer uterque,
Fulminibus cœlo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic telisque super, si classibus Argos
Eripiat reditus: ille ut Vulcania ferro

628, Not.—310...314. Quatuor hi versus, forte etiam sequentes, a deterioris notæ versificatore inserti videntur.—310. *Ipsa magis* edd. vett. *Ipsa vagis* Ald. cum Petav. et Voss. In fine *et ipso* ed. Ven.—311. *Ida faces* Ald. cum Ms. Kœler. *Datque faces* edd. vett. *Daque f.* Petav. Unde Scaliger refingebat: *Ipsa magis namque I. p. f. et ipsa Acta* vel *Dicta faces. Dicta* ita, Δίκτη, mons erit; *acta;* ἄκτη, ut Æn. v, 613. Mire autem et insolenter dictum: *Ida potens feritatis*, pro, ferarum potens: ut μητέρα θηρῶν alii dixere. Scaliger etiam multo durius *ferarum arborum altricem* exponit. Heins. non emendat, sed substituit: *Ipsa jugis namque Ida parens* (vel *patens*, quod Petav. et Voss. habent) *vernantibus* (vel, *frondentibus*) *ipsa Ida faces altrix c. p. a.* "Meurs. Exerc. Crit. P. II, p. 103 *Ata parens:* nam Ata collis, in quo sita Troja. Apolled. III et Lycophr., ubi idem Meurs. videndus." Male vero Meursius. Nam *Ates collis* est: vid. Apollod. p. 245 et Not. p. 743 τῆς Ἄτης λόφος. Verum totum versum non sanandum, sed ejiciendum arbitror tanquam insititium: et legendum in proximo: *Ida faces altrix cup. p. alumnis*, h. Trojanis suis. Et Voss. cum Petav. *Daque faces a. cupidus f.*—313. *flamma lacrymante* ut codd., sic vett. edd. ante Bembum, etiam Aldina, et membranæ Scalig., quod hic præfert; ut sit δακρυόεσσα φλὸξ, πόλεμος δακρυόεις· sed hoc Virgilius reddebat: *lacrymabile bellum*, et sic malim *lacrymabilem flammam*, non *lacrymantem*. Heins. conj. *populante* vel *crepitante*.—314. *opp. conto* conj. Jo. Schrader. ex Homero.—316. *summum Trojæ decus* Ald.—317. 318. Ergo erit: acer uterque velut tonitru, hic super ignibus telisque. Laborat in his τὸ *super*. Forte, *furens*. Tum Heins. *Ignibus hic tædisque*. Vett. edd. *Fulminibus cœlo veluti fragor editur ense. Tegminibus telisque super Sigeaque præter Eriperet reditus;* quo et alludunt Ms. Kœler. Voss. et Petav., nisi quod in hoc *Fluminibus*, et *editus in se*. Aldina: *Fulminibus veluti fragor sonat* (in Ald. 1534 mutatum in *intonat*) *ætheris in se Tegminibus telisque super Sigeaque præter Eriperet reditus*. In his corrupta haud dubie et ejicienda illa: *Sigeaque præter* ex vs. 306 huc retracta, et tenendum est, quod habemus: *si classibus Argos Eripiat reditus:* est hoc, quod Scaliger quoque monet, Homericum, ἀφέλεσθαι νόστιμον ἦμαρ. *si eripiat* pro ut, utl Æn. VI, 78 *magnum si p.* At priora e vetere lectione non male procedant: *Fulminibus cœlo veluti, fragor editur ense Tegminibus telisque super*. Comparatio illa Virgilio quoque frequentata. *tegmina* sunt clypei; malis quidem: *Tegminibus galeisque super;* sed ferendum est alterum. Scaliger tentat: *Fulminis ut cœlo volitat fragor*, vel, *Fulmineus* (hoc et Heins. conj.) *cœlo veluti fragor:* ut *super editur* sit, sc. *utergue*, quam dura hæc et invita!—319. 320. *Eriperes* ante Bemb. *Eriperet* codd. et vett. edd. *alter Vulc.* ante Bemb., et *projectus* et *instat;* sic et codd. forte: *ille at ...protectis navibus instat*. In edd. Ge. Fabricii emendatum video *protectis*

Vulnera protectus depellere navibus instet.
Hoc erat Æacides alter lætatus honore:
Dardaniæque, alter, fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et hujus
Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
Huic gerit aversos proles Laërtia vultus,
Et jam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade jam lætatur ovans; rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jam jamque horret Læstrygonas atrox.

navibus. Flammarum autem incendia dixit *Vulcania vulnera*, quæ Ajax avertit. Æn. IX, 109 *Cum Turni injuria matrem Admonuit ratibus sociis depellere tædas.* Heins. conj. *alter Vulcania tergo Sulphura protectus:* ut sit tergum pro clypeo; et *sulfur* pro igni.—321. 322. 323. Etiam hi tres versus acumen interpolatoris sapiunt. Malim tamen eos e lectione Bembina sic legere, ut sunt. In vett. edd. et codd. *Hoc e. A. vultu l. honore* vel *honores*, et v. 323 *Hectora lustravit victor de corpore Troja.* Aldina utrumque versum paulo aliter expressit: *Hoc erat A. multum l. h.*, idque non male teneas; quod et Heins. facit; et *Hectore lustrarit victor de c. Trojam.* Ms. Helmst. et Kœler. *Hector lustravit victor de c. T. Hectora lustravit victor de c.* Voss. et Petav. Scaliger audacter satis ita refinxit, ut ad unum Achillem omnes tres versus spectent: *Hic erat Æacides, vultus elatus honore, Alter Dardanio fusis quod sanguine campis Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.* At Heins. em. *Dardaniisque alte fuso quod sanguine.* Etiam Jo. Schrader. conj. *alte.*—323. Inter hunc et 324 inseruit Scaliger inf. versus 336 et 337.—324. *fremit* vett. edd. *acerba*, pro acerbe. *latat, lætat* vett. edd., eodem sensu, ut sit *letat* vel *lethat;* leto dare, πέφνειν corruptius alii *lædat.* Ms. Kœler. *fremunt pars huic pars destinat illi.* Ad rem vid. Æn. VI, 56 sqq. Sed uterque versus subditicius.—325. *Alma* a Bembo venit; vett. edd. *Arma* cum Petav. et Voss., vel *Alta:* hoc haud dubie præstat et Scaligero quoque probatum. *hujus*, sc. Ajacis: et ad armorum judicium respicitur. Ms. Kœler. *virtusque c. ira.*—326. Ulysses ex adverso Ajaci, sed averso propter arma Achillis intercepta vultu, sedere et veterum factorum recordatione delectari fingitur. Sed vett. edd., etiam Aldina, *Hinc gerit eversos p. L. currus:* ut poëta adhuc in emblemate descripti belli ad Trojam subsistat. Ita *currus Rhesi* intelligendi sunt, unde solutos equos abigit apud Homerum Ulysses Iliad. K. 498 sqq. Sed potuit hoc variare poëta. Scaliger conjicit *aversos*, ut abegerit ipsum currum: ut testatur auctor tragœdiæ Rhesi. Nisi *currus* dixit Homerico more pro equis, quos abegit. vid. Æn. I, 476. Heins. conj. *Hinc regit aversos p. L. currus.* conf. Jo. Schrader. Emendatt. p. 18 et 171. Petav. *virtus.*—328. *Palladio lætatur ovans* Ald. et ed. Fabric.—329. Corrupte edd. vett. *Pamoicon asiamque h. L. atrox*, vel *atros.* Aldinæ: *Jam Cicones: jamque horret atrox Læstrigone.** Pro hoc in fine versus *atros* vulgo lectum; *acres* ed. Fabric. effinxit; sed tenendum *atrox.* Voss. lectio: *Jam Cic. jamque horret atrox Læstrygonas ipse*, præfertur a Jo. Schra-

NOTÆ

324 Achilles Paridis, Ajax Ulyssis fraude cecidit.

328 *Pallade ovans* potest esse, Palladis auxilio; sed verius, Palladis rapta, Palladio, ut jam Ascensius, vid. Æn. II. 163 sqq.

Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Ætnæusque Cyclops; illum metuenda Charybdis,
Pallentesque lacus, et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen: quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit, heu, gravius pœnas tibi, Troja, ruenti;
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam propriæ fortunæ munere dives
Iret invectus cœlum super; omne propinquo

dero, in Emendatt. pag. 28, quia *jamque* dicendum erat, non *jamjamque*. conf. sup. 254. 255. Recte hoc. Reposuissem et ipse hoc, nisi finem versus in *ipse* claudicare viderem; id quod et Aldina lectio docet. Quod habemus, sic refinxit Scaliger.—331. *metuenda Charybdis.* Voss. corrupte *ranolea*, unde Jo. Schrader. Emendatt. p. 26 eruit *Zanclæa*, docte, ut ap. Ovid. Fast. IV, 499.—333. Vett. edd. *Hic et Tantaleæ gener Æacus amplus Atridæ* vel *Atrida*. Sic et Petav. ac Voss., sed omisso *Æacus*. Non male Ascensius *Tantaleus* legit (ita esset: *Tantaleus gener: Æacus: amplus Atrida*) et de Amphione, Niobes marito, accipit. Nec tamen is in hoc de Trojanis temporibus loco sedem recte suam tueretur. Alia corruptela in Ms. Kœler. *gemmatæ prolis Atridæ*. Ms. Helmst. *Tantaleum genus jam Plistenatrides*. An *Plisthenes*, Agamemnonis pater, fuit memoratus? *Hic et Tantalei stirps Plisthenis, amplus Atrides.*—334. *tegente* vett. edd., sed *quo regente* est, quo moderante, imperante: *οὗ στρατηγοῦντος*, ut bene Taubmann. Agamemnonis ductu eversa Troja.—335. *Oris E.* male vett. edd. *flamma Doris*, Dorica, Achivorum. Ausus idem Maro lib. II Æn. 27, ubi vid. Not. *Erichthonias arces:* de Ilio vid. Illad. Υ. 219 sqq.—336. *furenti* erat in vett. edd. Sed *ruenti* præstat. Est autem verborum ordo ac sensus: *O Troja, reddidit tibi ruenti pœnas gravius*, pro, *pœnas graviores*, scil. Agamemnon; domum redux a conjuge interemtus. Quæ sequuntur, iterum interpolatoris manus sunt, meo judicio. In Agamemnonem profecto hoc non convenit, quod in Hellesponto obierit. Itaque Scaliger, qui primum corrigebat: *Heu reditus Graium p.*, mox transponit versus supra ante v. 324 *Rursus a. f.*, ut ad Achillem retrahantur, quem ad Sigeum, adeoque ad Hellesponti ostia, sepultum esse constat. Barthius XXI, 20 reponere jubebat vs. 337 *obituris*, quam obituri. Dure! ut fere omnia hujus viri. In Ald. scriptum: *Reddidit heu Graius pœnas tibi, Troja, furenti* (ut fere Voss. et Petav., nisi quod *gravis*). Ita de toto Achivorum exercitu accipiendum. Nec tamen is in Hellesponto sed ad Eubœam naufragium fecit. Heins. *Graiis* adoptabat; non video quo sensu: tum versu altero *subiturus*, vel *luiturus* et *Euboicis*. Sed pannus hic est ab alio versificatore assutus, qui iterum de Achille cogitabat. Sequentes quatuor versus sunt nimis exiles.—338. *copia* pro multitudine hominum, pro copiis. Ita Virgilius vix est locutus. Etsi pedestrium scriptorum exempla non desunt. vid. Barth. XXI, 20.—339. 340. *proprio* vel *prono* em. Heins. Scaliger ex membrana vet. excerptorum sic legit: *Cur aliquis propriæ fortunæ munere dives Tendit invectus cœlum super?* Iterum hic *invectus* pro evectus. Male vett. edd. *in æternum*, et edd. Ge. Fabric. *in evectos*. *invectus* etiam Petav. Heins. iterum *humo evectus*, ut v. 160. Lenius Jo. Schrader. *ne...f. m. fidens Tenderet evectus c. s.* Mox

Frangitur invidiæ telo decus. Ibat in altum
Vis Argea petens patriam, ditataque præda
Arcis Erichthoniæ: comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus; Nereis ad undas
Signa dabat, pars inflexis super acta carinis;
Cum seu cœlesti fato, seu sideris ortu
Undique mutatur cœli nitor, omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt anxia. Jam maris unda
Sideribus certat consurgere; jamque superne
Corruere et Sol iis, et sidera cuncta minantur.
Ac venit in terras cœli fragor. Hoc modo læta
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,

haud dubie distinguere præstat: *omne propinquo F. i. t. decus;* non ut ante erat *super omne; pr.* Aldina: *telo; Deus ibat.* Iterum nova interpolatio, a loco aliena, sed docti hominis, hinc orditur: *Ibat in a.*—342. *Vis Argoa petens* a Bembo est. Ita vero *Argiva* legendum; nam *Argoa* ab navi Argo esset ductum. Aldina dederat: *Vix Argo repetens p. Vis Argo r.* Petav. cum Voss. Ms. Helmst. *Vix agros r.* Edd. vett. *Bis ergo repetens* vel *Bis repetens Argo*, vel *Vis r. Argo;* unde Scaliger conj. *Vis repetens Argos patrium.* Sed nimis durum, ut *Vis* absolute pro copia ac classe dicta sit. *Vis argea* vel *Argiva* Heins. et Jo. Schrader. Emendatt. pag. 23.—343. *comes aura; πόμπιμος αὔρα,* ut Scaliger illustrat.—344. 345. Scabri et hiulci versus ex margine profecti. Forte fuit: *comes huic erat aura secunda; Per placidum cursus pelagus* (sc. fuit), *Nereides undis Innabant* (nam alterum barbarum aut corruptum est). *Pars inflexis super acta carinis:* designat currus, quibus insident, belluis junctis? Scaliger emendat: *Nereides undis Signa dabant:* et mox *pars* (scil. Nereidum) *i. subit acta carinis;* subit adeo navi pars Nereidum, ut propellat; sed quid *acta* esse dicemus? Barth. XXI, 20 *Nereia turba* legebat, et de delphinibus accipiebat; esse enim in vet. edit. *Nereia fundit.* Videtur barbarus et illepidus interpolator junxisse: *pars* (cursus per pelagus) *superata erat,* h. confecta erat a classe. *inflexæ carinæ;* ornat epitheton; ut *curvæ pandæ.* Ms. Kœler. *Per pl. cursus pelagus venientis...superata carinis.* Heins. conj. *Nereides udæ Signa dabant* vel *Adnabant;* et: *pars inflexas circum acta carinas.* Nodell Not. crit. conj. *pars inflexis* subjecta *carinis.*—346. *Cum ceu cœlestis f. s. s. ortu* Petav.—348. *anxia* parum dixit commode. Heins. conj. *concita.* Mox 349 *Sideribus,* ad sidera.—350. *Corruere et Sol iis et sidera.* Parum propitia Musa procusus versus: ex Bembina lectione. *Corripere et Sol et* vel *et Sol jam* vett. edd. An fuit: *jamque superne* (maris unda) *Corripere et solem et jam sidera cuncta minatur.* Giganteum hoc; sed versificatore, quem sæpe in carmen hoc grassari vidimus, non indignum. Ms. uterque *et soles et.* Nec longe abit Aldina lectio: *jamque superne Corripere et soleis et sidera cuncta minantur. Ac ruere in terras c. fragor.* Petav. *supernæ Corripere et solis et s.* Heins. conj. *jamque superne Corripere,* vel *Opprimere, et soles et s. c. minantur. Ac ruere in terras cœli fragor:* ut Phædr. LXXIV, ubi leg. *Canes confusi, subitus quod ruerat fragor.*—351. *Ac vero in t.* Petav. et Voss. *Ac venit* melius alii. *Ac ruere in terras* Aldd., ut modo vidimus. *cœlo* conj. Jo. Schrader. *Hic modo lætum,* pro lætorum, Bembus dederat. *Hinc m. læta* vett. edd. *Hic modo læta* alii. *Hic modo lethum* Ms. Kœler., cum Ms. Helmst. Voss. Petav., in quibus *letum.*

Immoriturque super fluctus, et saxa Capharei,
Euboicas et per cautes Heræaque late
Littora: cum Phrygiæ passim vaga præda peremtæ
Fluctuat omnis in æquoreo jam naufraga tractu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroës, mediisque siti sunt sedibus omnes:
Omnes Roma decus magni quos suscipit orbis.
Hic Fabii, Deciique; hic est et Horatia virtus;
Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli;

Mox *Copia* iterum pro copiis, classe.—353. Conf. Æn. XI, 259. 260, unde *Capherei* refingendum.—354. *E. en per c.* vel *at per* Heins. malebat. *Heræaque ...littora* jam Scaliger monuit in Eubœa nulla memorari, et egregie emendavit *Gyræa*. Γυραῖαι πέτραι, et Γυραί, Homero Odyss. Δ. 500. 507, ad quas Ajax Oilei interiit. In vett. edd. *Cœicaque* legitur: "An," pergebat ille, "in membranis scriptum fuit *Æcea* pro *Ægea*? Nam *Ægea littora* legendum esse, etiam Euripides docet in Ione—*πέτραις Καφηρέως ἐμβαλὼν αἰγείρε.*" Probat emendationem Jo. Schrader. Emendatt. p. 29; accedere enim Voss. *Egeu*. At debebat docere vir doctus, quænam sint *Ægea littora*. Leg. *Ægæa littora*, seu maris Ægæi, seu, quod præfero, ab Ægis, Eubœæ urbe maritima aut insula in ipso littore; a qua etiam nomen ductum putatur maris Ægæi v. Hesych. in Αἰγαί, et Strabo VIII, p. 592 B. C. Et locus, quem Scaliger respexit, non est Ionis, sed ex Helena 1140 *πέτραις Καφηρίαις ἐμβαλὼν, Αἰγαίαις τ' ἀναλίοις πέτραις*. *Ægeuque* e Ms. Kœler. quoque notatum video. Alius vir doctus in ed. Aldina emendavit: *E. aut per cautes Œteaque*, minus feliciter. Nam Œtam in Eubœa non novimus. Etiam alienum *Cenæque*: nam illud promontorium in diversa Eubœæ parte. *E. aut per cautes Æreaque* Petav. et Voss. apud Friesemannum; quod de Vossiano recte pronuntiatum non est.—355. *tum P.* malebat Heins. *præda peracta* vett. edd., quod Scaliger retrahere jubet, ut sit penitus aversa et convectata, ut *sidus peractum*, confectum. Quæ non satis capio: dicam saltem *prædam peragere* esse dictum pro agere. *vaga præda perempta* Aldina dedit; nec aliter Voss. et Petav., qui et, *cum Phrygia*.—356. *F. æquoreo omnis jam* edd. vett., vel *Fl. æq. nunc omnis*, et in fine *fluctu*: quod et Scaliger legit; in Contii Ms., ut et in Ms. Kœler., erat *luctu*. In eodem (et Voss. ac Petav.) *Fl. omnis in æquorio naufragia*, unde Scaliger conj. *narifraga*. Sed præstat vel sic Bembina lectio. *navifraga tractum* Petav. *fluctu* et ipse probat Heins. et conj. *male naufraga*.—357. *Hinc alii sidunt* Aldina. *Hoc alii assidunt*, vel *se dant* conj. Heins.—358. *Heroës...omnes*. Totus versus ludus est hominis, qui superiorem versum aliis verbis reddebat. *m. insistunt s.* Heins. conj. vel *incedunt*.—359. Sensus: *Quos omnes Roma suscipit*, vel pro suscepit, quorum parens fuit Roma, vel pro tenet, habet. Alii accipiunt, suscipit in numerum principum virorum suorum. Nec præstat legere: *suspicit*, miratur. Hoc tamen conj. Heins. et Friesem. Post hunc versum Scaliger vs. 368 *Jure igitur t.* retrahit.—360. *Gracchia* Voss. apud Jo. Schrader.—361. *n. m. perævum* vett. edd., etiam Aldina; unde patet, *Camillum* interpolatoris manu irrepsisse. Ms. Helmst. *n. m. Metelli* legebat: et hunc versum superiori præmittebat. Voss. et Petav. *mota Melli*. Itaque, quod Scaliger jam fecit, jungenda: *Hic et*

NOTÆ

357 Nunc heroës Romani, h. e. clarissimi viri, memorantur in Elysio.

Curtius et, mediis quem quondam sedibus urbis
Devotum bellis consumsit gurgitis haustus;
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime cessit cui fracta potentia Regis.
Hic Curius claræ socius virtutis, et ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammæ.
Jure igitur tales sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces: devota triumphis
Mœnia quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.

fama vetus nullum (nam sic leg. pro *nunquam*) *moritura per ævum, Curtius:* ut ipse Curtius sit κλέος, fama vetus, nota elegantia: καὶ μῦθος παλαιὸς ὁ Κούρτιος. Heins. tamen em. *Hic fama et veteris.*—362. *e mediis* Aldina; sicque emendat Scaliger. Equidem desidero *in mediis.*—363. Bembina lectio est. Vett. edd. *gurges in unda;* Voss. autem *greges in unda.* Scaliger hinc effingit: *gurges inundans.* De Curtio narratio fuit valde diversa, quod Scaliger jam monuit. In pugna cum Sabinis facta sub Romulo narratur ille trajecto lacu in medio foro salvus evasisse. v. Dionys. lib. II, 42. Varro triplicem historiam affert de LL. IV, p. 36 ed. Dordr. Potuit itaque et alia esse, qua Curtius in eo lacu periisse ferebatur. Fit tamen manifestum, *bellis* esse corruptum; forte *tetri c. gurgitis.* Ceterum *devotum* puta inferis Manibus.—364. 365. Versus in seqq. suspicor esse plures in margine ascriptos ab iis, qui nova exempla cumulare vellent. *prudens,* sciens ac volens. Sed quid vs. 365 velit non satis capio. Scaliger dedit: *Legitimi...Regis:* ut Porsenna sit, cum Scævola antea scribam falso pro rege habuisset. Parum placet acumen. Malim *Legitime* ad *passus* annectere: ut forte cavere voluerit poëtaster, ne ob maleficium perpessus ignem putaretur. Etiam Burmanno in Anthol. Tom. I, pag. 199, parum placere video *Regem legitimum;* conjicit ille *Finitimi,* quod et Heinsio in mentem venit. Cur tamen non placuit *Clusini, Etrusci, Tyrrheni?*—366. *Huic C.* Heins. em., bene; et mox *illi.* Jungenda: *socius virtutis et ille:* si versus sequens deletur.—367. *flammis* edd. vett. Hunc Flaminium, qui flammæ se dederit, nemo facile ex historia vetere eruat. Metaphorice accipi de bello, adeoque de Flaminio Cos., qui cum Annibale conflixit, Scaliger: nimis argute. Satis prodit vel inepta alliteratio: *Flaminius flammis,* ab indocto homine procusum versum esse, qui veteri poëtæ excidere non potuit. Accommodatior historiæ est Jac. Nic. Loënsis Epiphyll. IX, 2 emendatio: *Cæcilius, devota dedit qui lumina flammis,* ut sit notus ille Metellus, luminibus orbatus, quod Palladium ex incendio ædis Vestæ rapuerat. Enimvero Curii memoratio vix alium quam *Fabricium* postulat vel admittit. Forte librarius turbas fecit, cum esset exaratum: *Mucius et, prudens ardorem corpore passus. Hic Curius, claræ socius virtutis et ille Fabricius, cessit cui fracta potentia Regum.* Jam ascriptum repererat ille in margine ad v. 363 *devota dedit qui corpora flammæ.* Nec longe ab hoc aberat Jo. Schrader.—368. *talis* pro *tales* accipiendum: *Jure igitur sedes pietatis,* piæ sedes, *honorat tales.* Versus parum affabre procusus. Vett. edd. cum Petav. et Voss. *honores.* Heins. conj. *Jure triumphali,* nescio quo fructu.—369. *Istic* vett. edd. *Istarum piadasque duces quæ vox triumphet* Petav. *Scipiadasque duces quorum d. tr.* Scipiadæ *rapidi,* qui et Virgilio: *duo fulmina belli.* Aldina: *Scipiadasque.*—370. *Mœnia Romanis* Ms. Kœler. et Voss., parum commode. *Mœnia rapidis L.* Ms. Helmst. *M. quos rapidis* Petav.,

Illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos a lumine Phœbi,
Et vastum Phlegethonta pati: quo maxima Minos
Conscelerata pia discernit vincula sede.
Ergo jam causam mortis me dicere vinctæ
Verberibus sævo cogunt ab judice Pœnæ:
Cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis,
Sed tolerabilibus curis hæc immemor audis;
Quæ tamen, ut vanis dimittens omnia ventis,

melius.—372. *locos* corr. Jo. Schrader. *viduos a lumine P.* ἡλιοστερεῖς ex Sophocle appellat Scaliger. Malis tamen *viduatos lumine*. Et sic Heins. quoque conj., vel *viduos ah l.*—373. 374. Scaligero commodius videbatur legi posse: *Cognita discernit scelerata piacula sede:* ut sensus sit: Minoëm discernere maxima piacula scelerata cognita, h. dijudicata, sede h. sedibus pro ratione criminum assignatis. Equidem hæc non minus scabra esse sentio quam vulgata: *quo*, aut potius *qua*, qua parte, ubi (et sic edd. Ge. Fabricii), *Minos discernit maxima vincula conscelerata* (h. Tartarum, unde nullus reditus; qui etiam Maroni est, *Sedes scelerata*) *pia sede*, h. a sede pia. Barth. Advers. XXI, 20 primum se jactat loci sententiam perspexisse; *vincula* esse corpus, *conscelerata*, contaminatum a scelerata anima. Nihil vidi contortius. Jo. Schrader. *discernit sæcula.* Jacobs conj. ingeniose: *quo proxima M.—discernit limina sede.* Nodell cum Jo. Schradero conj. *quo*, maxime *Minos*, *Conscelerata pia* discernis *vincula sede.*—375. A Bembo est lectio, in qua *vinctæ* expeditu difficile. *cinctæ* em. Oudin. Misc. Obss. crit. nov. Tom. IV, p. 313. Ferrem, si angues vel serpentes adjecti essent. Nisi verbera pro flagellis dicta esse putes, cum Propertius flagellis incinctas Furias dixerit. Præstaret tamen *me...vinctum.* Vett. edd. et Aldus: *Ergo quam causam mortis, quam d. vitæ;* quam lectionem reduxit Scaliger: Τὸ *quam* ego non magis expedio; saltem malim sic constituere: *Ergo jam causam mortis, jam dicere vitæ*, scil. cogunt. Et aspirat Petav. *Ergo quam c. m. jam discere vitæ.*—376. *sævæ* vett. edd., ut *sævæ Pœnæ* sint, Furiæ, idque melius: etiam codd. Tum Scaliger cum Heinsio emendat, *cogunt sub judice.* Forte poëta *a judice* sic dixit, ut sit: ad jussum judicis.—377. *malignæ conscius* vett. edd. cum codd. Petav. et Voss. *conscius* h. l. tanquam advocatus. *συνήγορος. σύνδικος. c. ausis* conj. Heins.—378. *Nec t.* Bembina lectio sensum vix habet. *Sed tolerabilibus curis* vett. edd., quod merito revocat Scaliger: sunt enim *curæ tolerabiles*, mediocres, modicæ. Audis hæc, nec multum mea calamitate tangeris, parum memor beneficii mea morte accepti. Codd. Petav. et Voss. cum Aldina: *Sed tolerabilius.*—379. Est Bembina scriptura. Vetus vero: *Et tamen in vanis dimittes* (Aldina *dimittis*) *somnia ventis*, quam Scaliger sic ornat et cum versu

NOTÆ

1 sqq. Miro phantasmate poëta Culicem per diversas Inferorum partes vagatum, cum primum lucos Cimmerios, monstrorum sedes (v. 230 sq.), mox impiorum loca (v. 238 sq.) tum Elysias sedes (v. 257 sqq. ad v. 370) a limine salutasset, nunc in eo esse narrat, ut coram Minoë judicium subeat. Scilicet corpore sepulto et funeris honore sibi persoluto sperare poterat, iri se admissum ad certam in Inferis sedem. Nam ad humanæ umbræ exemplum hæc adumbrata sunt.

Digredior nunquam rediturus; tu cole fontes
Et virides nemorum sylvas et pascua lætus:
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit; et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi solicitum dimisit inertia vitæ:
Interius graviter mentem æger nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcumque sibi vires tribuere seniles,
(Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem)
Rivum propter aquæ, viridi sub fronde latentem
Conformare locum capit impiger: hunc et in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulavit opus, atque aggere multo

382 continuat: *Tu tamen in vanos dimittes somnia ventos Et mea diffusas rapientur dicta per auras.* Sin alterum nec admiseris, prius tamen erit refingendum: *Hæc tamen, ut vanis dimittes somnia ventis? somnia* Heins. quoque em., vel propius ad vulgata: *Quæ tamen haud vanis permittens omnia ventis.* Sed totus versus miseri interpolatoris est. Debuerat saltem cum sup. jungere: *Ut vana hæc rapidis dimittens somnia ventis.* Porro autem Scaliger post hos quos dixi versus: *Tu tamen...Et mea...*inseri volebat versus 257...259 *Rhen m. ... In diversa...Elysiam.* Tum subjici novissimos v. 380. 381. 383. *Digredior* etc.—380. *D. n. moriturus* Voss.—382. *At mea* forte. *rapiantur* Ald. cum Petav. Heins. *En mea...raptantur.* Verum est et hic versus interpolatoris. —384. *inertia vitæ* quid hic sit, non dicam. Lego: *inertia somni*, h. somnus, ubi pastorem dimisit, reliquit. *visi* conj. Heins.—385. *ægret* Scaliger emendat, nec male. Potest tamen oratio continuari: *æger nec tulit* pro, *non t.*, ut feci, sublata distinctione post *æger*. Aliam lectionem, quam etiam Ms. Helmst. cum Petav. et Voss. habet, profert Scaliger et probat: *Interius graviter regementem:* ita enim scribendum, non *rege mentem*. Jacobs noster em. *Ingemit et gr.* Malim *Ingemuit graviter, mentem æger, n.*—386. *S. inclusum* Ms. Kœler.—388. *Quęis, Quis*, viribus. *pugnaș* vett. edd., male. *hostem* int. hydram.—389. Uti distinximus, *v. s. fronde latentem locum* junximus. Alii *Rivum latentem* junxerant, vel *hostem latentem.*—391. *hac ferri cupidum* vett. edd., male, et v. 392 abest *ut:* tum Aldina cum edd. Ge. Fabric. *viridi fodiens de. capulum in usum repetere* mire dictum est. Heins. conj. *ac ferri c.-r. acuti*, quod non satis facit.—393. In hoc et seqq. plura plurium versificatorum tentamina. Hic saltem versus delendus.—394. *Aggestum c.* Heins. em.,

NOTÆ

384 Exsurgit a somno pastor et Culici tumulum parat. Etsi enim non diserte de eo Culex conqueritur, quod justis sibi non præstitis umbra in Inferis sedem habitura certam non sit, totam tamen poëtæ fabulam eo attemperatam et efformatam esse apparet. 390. *capit conformare:* suscipit, ut supra *comparat dare.* v. 204 *et in fessos requiem dare comparat artus.* Aliud est *locum capere*, quod Scaliger huc vocat.

Telluris tumulus formatum crevit in orbem:
Quem circum lapidem levi de marmore formans
Conserit assiduæ curæ memor. Hic et acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ genus omne hic est, et Spartica myrtus,
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus arvo;
Laurus item Phœbi surgens decus; hic rhododaphne,
Liliaque, et roris non avia cura marini,
Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina,
Chrysanthusque, hederæque nitor, pallente corymbo,

et *utque a. m.* Forte fuit: *Aggestam cumulavit humum.*—396. Scaliger conj. *Quem circum lapidum levi de marmore formas Conserit:* ut sint crustæ marmorum, emblemata; nimis eleganter et opipare pro pastore. *d. m. acervans* Heins. conj., et *lapidis* et *Congerit.* Valer. Fl. VI *supremos puero sic fatus honores Congerit. Lapidem* tamen et *marmor* quomodo jungam non video. An *lapide et levi de marmore.* Pessime vero interpolator marmor memorat, cum saltem maceria aut θρηνὸς aggestam humum circumdare deberet.—397. *assiduæ curæ memor;* iners repetitio est ex v. 393, cum deberent sequi gramina, herbæ, flores, quibus conserit tumulum. Saltem jung. *Quem conserit:* ita *lapidem formans* de monumento intellige. *Congerit* conj. Heins. *acanthos* Ald.—398. *crescens* Ms. Kœler. *purpureum crescit rubicunda tenorem* Ms. Helmst. *purpureum crescent r. t' rorem* Petav. *pudibunda rubore* Voss. eleganter; idque recte probat Wakef. ad Lucret. II, 416.—399. *Et violæ omne genus, hic est* vulgg. *Spartica myrtus* merito suspecta jam Scaligero: qui varie tentat: *Astartica,* ab Astarte, Venere, vel *Parthica;* est enim myrti genus, philadelphum, quod apud Parthos inveniri Athenæus tradit, tandem agrum Sparticum Achaiæ ex Theophrasto narrat. Dalechamp. ad Plin. XV, 29. Veneris aliquod nomen latere videtur: forte etiam regionis. Ægyptia myrtus olim præstitisse ceteris narratur (Athenæus XV, p. 676 D). Conjiciat aliquis *Memphica, Nilotica.* Myrtus ad Eurotam Catullus memorat 68, 89. Verum a *Sparta* non fit *Sparticus.* Heins. conj. *Epirotica,* quod miror. Jo. Schrader. *Cythereia.*—400. *Cilico* edd. vett. Scaliger archaismum inesse putabat. Sed cur *Cilix arvum* non feramus? Est tamen aliud vitium, quod hic latet: si de croco agunt poëtæ, non memorant *arvum* sed *antrum* Corycium Ciliciæ. Hoc videtur h. l. reponendum; et jam repositum nunc video in Aldina, et hinc in ed. Ge. Fabric. *additus* malebat Heins. Idem ante: *et hinc C.*—401. *L. item decus, exurgens rh.* vett. edd., sed laurus *Phœbi decus* recte. *Laurus item Phœbea ingens d.* conj. Heins., tum ed. Ge. Fabric. *hic urgens rhododaphne;* quod vitium operarum esse arbitror. *rhododaphne* est nerion Plin. XXIV, 11, s. 53, et in nostris herbarum auctoribus.—402. *non avia cura* a Bembo restitutum; forte quod ipse ros marinus vulgo nascitur. Heins. conj. *non avia turba.* Vett. edd. *novania cura.* Voluit aliud exsculpere Scaliger: *Nonacria thura,* ut ros marinus Arcadibus pro thure fuisse dicatur, vel *non annua cura;* sed non successit.—403. *Sabinis* vett. edd. Scaliger: *Sabina* Bembus restituit, et herbæ nomen id est. Plin. XXIV, 11, s. 61 *Herba Sabina, bruthy appellatu a Græcis, duorum generum est, altera tamaraci similis folio, altera cupresso. ... A multis in suffitus pro thure assumitur.* Numeratur nunc inter Juniperos.—404. *Chrysanthesque* Scaliger emendat ex Nicandri

Et Bocchus Libyæ Regis memor; hic amarantus,
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus.
Non illinc Narcissus abest: cui gloria formæ
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super inseritur: tum fronte locatur
Eulogium, tacita format quod litera voce:
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

versu apud Athenæum lib. xv, p. 684 D. Videtur idem esse ac chrysanthemum. Mox *hederæ nitor* pro hedera nitente. Scaliger ῥόδον ἀγλαΐαν apud Theocritum comparat. Genera ejus plura esse notum est; h. l. candida intell. conf. Ge. IV, 124. Ecl. III, 39. *palante* conj. Heins., quia sunt *errantes hederæ*.—405. Quod aliunde non constat, ex h. l. discimus, florem fuisse Bocchi nomine insignitum. Rex ille Mauretaniæ facile hunc honorem consequi potuit Jubæ Regis beneficio, quem cum de aliis rerum naturis tum de plantis scripsisse ex Plinio tenemus. *Bacchi* edd. vett. *Boccus* Ald. Heinsius laudat Hesych. Βῶχ, *βοτάνης εἶδος*, ubi vid. Not.—406. *Bumastusque* Ald. cum vett. edd. et codd. Petav. et Voss. Est ea quidem inter uvarum genera, vid. Ge. II, 102, sed inter flores *Buphthalmus*, quem Bembus primus edidit, erat serendus: vulgari nomine *Buphthalmum*. Inter pratenses flores etiam a Nicandro ponitur loco sup. laudato, quem Scaliger emendavit. Nunc inter Teucria referri solet. Heinsius tamen tuetur *Bumastus*, ut sit herbæ nomen; laudatque Hesych. *Βουμαννῆς, οἱ δὲ Βουμαστὸς, εἶδος βοτάνης*. "Bumastus semel iterumque Columellæ restituimus" subjicit Heinsius. In fine *semper florida picris* a Bembo erat reposita, quæ apud Plinium inter lactucas et intuba numeratur. Sed Scaliger defendit veterem lectionem *pinus*, ut sit *χαμαίπιτυς*, quæ inter flores topiarios est; et Columellam laudat, ubi scilicet IX, 4, 2 *semper virens pinus* est, sed non de herba ibi agitur, nec apud Virgil. Ge. IV, 112, ubi vid. Not. Heinsius tamen et ipse: "*picris*, perperam; *pinus*, bene; posuit pro frutice, quomodo Columella: *Posthæc frequens sit incrementi majoris surculus, ut ros marinus et utraque cytisus, et semper virens pinus et major ilex*. Ita et Ovid. in Arte: *Ros maris et lauri cultaque pinus abest*, ubi plura annotamus. Salmasius in hoc loco et in Columellæ et Nasonis *tinum* pro pino voluit reponi. vid. Constant. Fanens. Collect. cap. 9. Bochart. Hieroz. lib. II, cap. 5."—407. 408. Inserti versus ab eo, qui recensum florum augere volebat; sed parum scite; vult dicere: correptum fuisse amore sui ipsius ex superbia, quam de forma susceperat. *cui gratia formæ* cum Francio conj. Burmann. ad Anthol. Tom. I, pag. 101. *qui gloria formæ* legebat Heins., vel *gratia formæ*.—410. *His* floribus *tumulus superinseritur*, vel *super*, in superficie. *ingeritur* Heins. conj. et laudat locum Quintil. Declam. V (cap. 6). *tum fronde* vett. edd., vel solenni vitio, vel ex vs. 389. —411. *Eulogium* Ald. *quod firmat* eadem et ceteræ edd. vett., quod præfert Scaliger.—412. *custos pecudum* vett. edd. *nil tale merenti* vett. edd. *tibi tale* Donatum legere Ascensius monet. An is in Culicem scripsit? et Ascensio visus est? Jung. *tale officium*.—413. *reddo* vett. edd., sed alterum stylo lapidari magis consentaneum. *funeris officium*, h. l. de sepultura, cenotaphio. In edit. Virgilii cum Opusculis, Antwerp. Exc. Mart. Nutius 1556, 12. pag. 418 Culici subjicitur hoc epigramma:

ALBANI COMANTIS.

Rana loquax, Graia multum celebrata Camena,
Et Phrygii docto carmine lecta senis,
Quid tibi cum nostris animantibus usque pusillis;
Si potuit fructus vincere Nux reliquos?
Et licet inde Elephas pretioso dente superbus
Barriat, hunc potuit nunc superare Culex.

Non vacabat, dum in his occupati eramus, in auctorem carminis inquirere, quod alibi occurrere non meminimus.

CULEX

PROBABILITER RESTITUTUS,

CUM NOTATIONE INTERPOLATIONUM.[1]

LUSIMUS, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum:
Lusimus: hæc propter Culicis sunt carmina dicta,
Omnis ut historiæ per ludum consonet ordo.
Notitiam ducunt voces. Licet invidus adsit. 5
Quisquis erit culpare jocos Musamque paratus,

NOTÆ

[1] Cum ne tolerabilis quidem lectio Culicis sit, nullaque inde omnino percipi possit voluptas: periculum feci, an mutata ejus lectione, tum ex librorum corruptelis, tum ex virorum doctorum emendationibus et conjecturis, interpolationibus vero charactere literarum diverso notatis, exiturum esset carmen, quod sine offensione legi possit. Me non omnes mutationes præstare aut veram ac genuinam lectionem ubique restitutam venditare, vix opus est ut moneam. In iis, quæ interpolatorum intemperantia et mala sedulitate interposita sunt, haud pauca legi suspicor meliora iis, quæ ipsi erant commenti parum docte ac scite. Licebat similem operam Ciri commodare. Verum specimen proponere volebam; in quo expoliendo, impugnando, defendendo, qui velint, ingenia exerceant! Lusus ingenii et hic esto.

v. 8 seqq. et 11 sqq. Interpolatio variorum.

Pondere vel culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora portus
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonæ magnique Jovis genus, aurea proles,
Phœbus erit nostri princeps et carminis auctor
Et recinente lyra fautor; seu detinet illum
Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte,
Castaliæque sonans liquido pede labitur unda.
Vos quoque Pierii laticis decus, ite, sorores
Naiades, celebrare Deum plaudente chorea.
Et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum fœtura; tibi sit cura canentis
Aërios nemorum tractus sylvasque; virentes,
Te cultrice, vagus saltus feror inter et antra.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis allabere cœptis.
Triste Jovis Cœique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses.
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos, nec magno vincula ponto
Jacta, meo quærent jam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia cum timuit venientes undique Persas;
Mollia sed tenui percurrere carmina versu, et
Viribus apta suis Phœbo duce ludere gaudet.
Et tu, sancte puer, memorabere; sic tibi perstet
Gloria perpetuum lucis victura per ævum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices memoretur vita per annos
Grata, bonis lucens. Sed nos ad cœpta feramur.

NOTÆ

v. 18. Nova interpolatio. Iterum 20.

Interjecti ab alia manu v. 33. 36 ad 40, et v. 43. 53. 54. 55. 56.

Igneus ætherias jam Sol penetrarat ad arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit;
Uvida qua patulos velabant gramina colles.
Jam sylvis dumisque vagæ, jam vallibus abdunt
Corpora; jamque omni nemoris de parte vagantes
Scrupea desertæ perrepunt avia rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina dente;
Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit rodente cacumina morsu,
Vel salicis lentæ vel, quæ nova nascitur, alni,
Hæc teneræ fruticem sentis rimatur, at illa
Imminet e ripa prostans in imaginis umbram.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta ruris fastidiat; illi
Omnia, luxuriæ pretiis, incognita, curis
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data, vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum
Picturæque decus; lapidum nec fulgor ab ulla
Cognitus utilitate movet; nec pocula Graium
Alconis referunt Boëthique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere novat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum calamo lætum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem et fraude remota,
Pollentemque sui, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu,
Illi sunt gravidæ roranti lacte capellæ,
Et nemus, et fœcunda Pales, et valle sub ima
Semper opaca novis manantia fontibus antra,

Quis magis optato queat esse beatior ævo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas inhiavit opes; non tristia bella
Nec funesta timet validæ certamina classis;
Non, spoliis ut sancta Deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum sævis ultro caput hostibus offert!
Illi falce Deus colitur; non arte, politus;
Ille colit lucos; illi Panchaia rura,
Floribus agrestes herbæ variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera; simplicibus curis: huic imminet, omnes
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Qualibet ut tenui victu contentus abundet,
Jucundoque liget languentia lumina somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe,
Naides ac Dryades: quarum non divite cultu
Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poëtæ
Securam placido traducit pectore vitam!
Talibus in studiis baculo dum nixus agresti
Pastor agit curas, et dum, non arte canorus,
Compacta solitum modulatur arundine carmen;
Tendit jam evectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque æthereo ponit discrimina mundo;
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque coruscas.
Et jam compellente vagæ pastore capellæ
Lene susurrantis repebant ad vada lymphæ,
Quæ subter viridem resonabat garrula muscum:
Jam medias operum partes evectus erat Sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras,
Et procul aspexit luco recubare virenti,
Delia Diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave

NOTÆ

Ab v. 78 inde interpolationes variorum; saltem novæ sunt accessiones v. 85. 93 et 97 sq.

Interpolationes variorum inde a v. 106, aliæ præclaræ, ut v. 114. 115. 120 sq. 132 sq., aliæ dete-

Infandas scelerata manus e cæde cruenta ;
Et gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Posterius pœnam nati de morte datura.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba
Et Satyri Dryadesque choros egere puellæ
Naiadum et cœtus. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis sylvasque canendo ;
Quantum te pernix remorantem, Diva, chorea ;
Multa tibi læto fundentes gaudia vultu.
Ipsa loci natura domum resonante susurro
His dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëriæ platanus ; inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci mœrentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos ;
Ac, quibus insigni curru projectus equorum
Ambustus Phaëton luctu mutaverat artus,
Heliades teneris implexæ brachia truncis,
Candida pandebant lentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon æterna reliquit
*Perfidiæ lamenta, *dolis dum lusit inultis**
Quam comitabantur, fatalia carmina, quercus,
Quercus ante datæ, Cereris quam semina, vitæ ;
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoæ navi decus, edita pinus
Proceras decorat sylvas hirsuta per artus ;
Ac petit aëriis contingere frondibus astra
Ilicis et nigræ et species haud læta cupressus ;
Umbrosæque patent fagus ; hederæque ligantes
Brachia, fraternos plangit quæ populus ictus
Ipsæ succedunt ad summa cacumina lentæ,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos ;
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis

NOTÆ

riores, ut v. 112. 113. 116—119. 130. 131.

Prava interpolatio v. 140. 143. 147. 152—154. 159 et 160.

Carmina per varios edunt resonantia cantus ;
Astrepit et gelidis manans e fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis sonat orta liquorem ;
Et circum geminas avium vox obstrepit aures ;
Hinc querulas referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet ; sonitus alit aëris echo,
Argutis et cuncta fremunt arbusta cicadis.
At circa fessæ passim cubuere capellæ
Excelsis subter dumis, quos leniter afflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis ; sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus :
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem :
Ni Fors incertos voluisset ducere casus.
Cum solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magnos subsideret æstus,
Obvia vibranti lambens gravis ore trilingui,
Squamosos late torquebat nexibus orbes.
Pallebant herbæ visus liventis ad auram ;
Jam magis atque magis corpus resolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit : dum crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Aspectuque micant flammantia lumina torvo.
*Metabat late circum loca ; tum videt *herba**
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intenta, ore obvia torvo
Sæpius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset, matura et comparat arma.
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore ;

NOTÆ

Ornamenta serpentis aliunde illata a v. 166 ad 180. A deteriore poëta v. 184 insertus et locus turbatus, iterumque v. 191. 192. 193 et 197—200, qui omnes pessimi versificatoris fœtus sunt.

Flexibus et versis torquetur corpus in orbes;
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ;
Spiritus et rumpit fauces: quo cuncta parante,
Parvulus humoris pastorem exterret alumnus,
Et mortem vitare monet, per spicula; *namque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturæ pupula telo
Icta levi. Sic prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit membris. Tum torva tenentem
Lumina prospexit serpentem cominus; inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno;
Qui casus sociarit opem numenve Deorum:
Namque illi dederitne viam casusve Deusve
Prodere sit dubium: voluit sed vincere talem.
Horrida squamosi volventis membra draconis,
Atque reluctantis, crebris fœdeque patentis
Ictibus, ossa ferit, qua cingunt tempora cristæ.
Et quod erat tardus, somni languore remoto;
Nescius aspiciens; timor occæcaverat artus
Hoc minus implicuit dira formidine mentem;
Tum, postquam vidit cæsum languescere, sedit.
Jamque atro bijuges oriens Erebo cit equos Nox,
Et piger aurato procedit Vesper ab Œta:
Cum, grege compulso, pastor, duplicantibus umbris,
Vadit, et in requiem fessos dare comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque infuso requierunt membra sopore:
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
En, quid, ait, meritus, aut quo delatus, acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania Averni.
Tu lentus refoves jucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethæas cogunt transnare per undas.

Præda Charontis agor; video ut flagrantia tædis
*Lumina *collucent infestis omnia tædis.**
**Obvia* Tisiphone, serpentibus undique cincta,*
Et flammas et sæva quatit mihi verbera Pœna.
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla repexis,
Sanguineumque micant ardorem luminis orbes.
Ecquid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti jam limine ab ipso!
Præmia ubi pietatis? ubi pietatis honores?
In vanas abiere vices; et rure recessit
Justitia, et prior illa Fides. Instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens:
Ad pariles agor eventus; fit pœna merenti;
Pœna fit exitium; modo sit dum grata voluntas,
Existat par officium. Feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter distantia lucos:
Quæ circa, tristes densentur in omnia pœnæ.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
Devinctum mœstus procul aspiciens Ephialten;
Conati cum sint quondam rescindere mundum;
Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ,
(Implacabilis ira nimis!) jacet alitis esca.
Terreor ah, tantis insistere terreor umbris
Ad Stygias revocatus aquas: vix ultimus amni
Extat, nectareas Divum qui prodidit escas,
Gutture ab arenti revolutis fluminis undis.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Numina contemsisse dolor quem vincit acerbus,
Otia quærentem frustra sibi! quidve puellas,
Dira quibus tædas accendit pronuba Erinnys,
(Sicut Hymen præsaga dedit connubia mortis;)

NOTÆ

Ab versu inde 215 variorum hominum ingenia et conatus ornamenta nova inserendi et lacinias alias super aliis assuendi cognoscere in promtu est. Ita a v. 222 alieno loco sententiæ interpositæ sunt, quæ ascriptæ fuerant ad v. 209—214. Inferas res persecuti sunt plures quibus pessimus versificator alia intertexuit, ut v. 231. 232. 238. 239.

Atque alias alio denset super agmine turmas?
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia solicitis meditantem vulnera natis?
An Pandionias miserandas prole puellas?
Quarum vox cit Ityn et Ityn, quo Bistonius rex
Orbus epops mœret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo semine fratres
Jam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
Alter in alterius; jamque aversatur uterque,
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Heu! heu! mutandus nunquam labor! Auferor ultra
In diversa. Magis distantia limina cerno;
**Læta loca* Elysiamque vagor delatus ad umbram.*
Obvia Persephone comites heroidas urget
Adversas perferre vices. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod sæva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
*Ecce Ithaci conjux *Laërtiadæ* Icariotis*
Fœmineum incorrupta decus! manet et procul illa
Turba ferox juvenum telis confixa mariti.
Quid misera Eurydice! tacito mœrore recessit,
Poneque respectantem et nunc manet Orphea serum.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis
Nec mœsta obtutu dira et ferrugine regna
Defossasque domos ac Tartara nocte tremenda
Obsita, nec faciles Ditis sine judice sedes,
Judice, post mortem qui vitæ vindicat acta.
Sed fortuna favens audacem fecerat Orphea;
Jam rapidi steterant amnes, et spissa ferarum
Blanda voce sequax insiderat arva corona;
Jamque imam viridi radicem emoverat alta
Quercus humo, sequiturque comes, sylvæque sonoros

NOTÆ

Locus de Orpheo inde a v. 260 sq., etsi alieno loco interpositus, est tamen ex felicioribus.

Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes bijuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu, currentes, menstrua virgo,
Auditura lyram tenuisti nocte relecta.
Hæc eadem potuit, Ditis, te vincere, conjux,
Eurydicenque viro ducendam reddere. Non fas,
Non erat, invitam. Divæ exorabile numen!
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Præceptum signabat iter; nec retulit intus
Lumina, nec Divæ corrupit munera lingua.
Sed tu, crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti jussa Deorum;
Dignus amor venia, gratum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,
Vos manet, heroës, contra nemus. Hic et uterque
Æacides, Peleus nempe et Telamonia virtus,
Per patris secura locantur numina; quorum
Connubis Venus et Virtus injunxit honorem:
Hunc cepit serva, ast illum Nereis amavit.
Assidet his juvenis, sociat quem gloria; fortis,
Acer, inexustis referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios, torva feritate repulsos.
O quis non repetat talis divortia belli,
Quæ Troës videre, viri videreque Gruii!
Teucria cum multo manaret sanguine tellus,
Et Simois Xanthique liquor; Sigeaque, propter,
Littora cum Troas, sævi ducis Hectoris ira,
Videre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera, tela, neces, ignes, inferre paratos.
Ipsa jugis namque Ida patens vernantibus, ipsa
Ida faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœtei littoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,

NOTÆ

Vss. 282. 283. 284. 287. 294 sqq. 308 sqq. a docto poëta profecti varias manus experti sunt. At vss. sunt,

Objectoque dabat clypeo certamina; et illinc
Hector erat, Trojæ summum decus: acer uterque,
Fulminibus cælo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic tædisque furens, si classibus Argos
Eripiat reditus; ille at Vulcania ferro
Vulnera protectis depellere navibus instat.
Hic erat Æacides alter, lætatus honore,
Dardaniis alte fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
**Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et hujus*
**Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.*
Huic gerit aversos proles Laërtia vultus,
Et jam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade jam lætatur ovans; rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jam rursus atrox Læstrygonas horret;
Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Ætnæus Cyclops illum, Zanclæa Charybdis,
Pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen; quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit heu Graius pœnas tibi, Troja, ruenti!
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam nimium fortunæ munere fidens
Tenderet evectus cælum super; omne propinquo
Frangitur invidiæ telo decus. Ibat in altum
Vis Argeia petens patriam ditataque præda
Arcis Erichthoniæ; comes huic erat aura secunda;
Per placidum cursus pelagus; Nereides undis
Innabant, pars inflexas circum acta carinas:
Cum seu cœlesti fato, seu sideris ortu
Undique mutatur cœli nitor; omnia ventis,

NOTÆ

Diversorum forte ingeniorum conatus sunt versus 314 sqq., utique vss. 321 sqq., interpositis a mala manu 324 et 325, et iterum 336. 337. Præclarus locus sequitur inde a v. 341.

Omnia turbinibus sunt concita; jam maris unda
Sideribus certat consurgere, jamque superne
Corripere et Soles et sidera cuncta minatur;
At ruere in terras cœli fragor. Hic, modo læta,
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Immoriturque super fluctus et saxa Capherei,
Euboicas et per cautes Ægæaque late
Littora: tum Phrygiæ passim vaga præda peremtæ
Fluctuat omnis in æquoreo navifraga fluctu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroës mediisque siti sunt sedibus omnes:
Omnes Roma decus magni quos suspicit orbis,
Hic Fabii Deciique; hic est et Horatia virtus;
Hic et fama vetus nullum peritura per ævum
Curtius, in mediis quondam quem sedibus urbis
Devotum tetri consumsit gurgitis haustus.
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime, cessit cui fracta potentia regis.
Hic Curius, claræ socius virtutis et ille
Fabricius, cessit cui fracta potentia regis.
Jure igitur tales sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces, devota triumphis
Mœnia quos rapidis Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduatos lumine Phœbi,
Et vastum Phlegethonta: atro quo flumine Minos
Conscelerata pia discernit limina sede.
Ergo jam causam mortis, jam dicere vitæ,
Verberibus sævo cogunt a judice Pœnæ:
Cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis:
Sed tolerabilibus curis hæc immemor audis;
Hæc, vana ut, rapidis dimittens, somnia ventis.
Digredior, nunquam rediturus. Tu cole fontes
Et virides nemorum sylvas et pascua lætus.
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.

NOTÆ

Pessima interpolatio vss. 358. 365. 368. 377 sq.

Dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi solicitum dimisit inertia somni:
Ingemuit graviter, mentem æger; nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcumque sibi vires tribuere seniles.
Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem,
Rivum propter aquæ, viridi sub fronde latentem
Conformare locum parat impiger; hunc et in orbem
Destinat, *ac ferri capulum repetivit in usum,*
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Aggestam cumulavit humum; jamque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem.
**Quem circum lapidum levi de marmore formans*
Conserit, assiduæ curæ memor: hic et acanthus
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ genus omne hic est; Spartanaque myrtus
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus antro;
Laurus item Phœbi surgens decus; hic rhododaphne
Liliaque et roris non avia cura marini,
Herbaque thuris opes priscis imitata Sabinis,
Chrysanthesque, hederæque nitor pallente corymbo,
Et Bocchus Libyæ regis memor: hic amarantus
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus;
Non illinc Narcissus abest: cui gratia formæ
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super ingeritur; tum fronte locatur
Elogium tacita quod format litera voce:
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

NOTÆ

388 Jejuni versificatoris conatus, et poëta manum admovit.
392 sq. et 396. 397. Inde doctus

PROŒMIUM

IN

CIRIN.

CARMEN hoc, etsi inter Virgiliana opuscula vulgo referri solet, an Virgilium tamen auctorem habeat, fides nos satis certa deficit. Sunt quidem multa, quæ probabile hoc faciant: nec dubitationis tamen causæ desunt ex parte altera; itaque ægre ferendum non est, si in diversas opiniones discessisse viros doctos videas. Scilicet de rationibus, quibus contenderunt inter se, videndum erat; inter eas autem multas esse leves ac futiles negari nequit. Ea tamen omnia, quæ de his dicta sunt, ut iterum recocta apponam necesse, puto, non est; ut summatim pro more meo exponam, judicio meo qualicumque interposito, hoc forte est quod lector a me expectet.

Qui *Virgilio* carmen vindicant, argumentis fere utuntur iis, quibus carmen hoc politissimum, præstantis ingenii poëta, ipsoque Marone, non indignum declarent. Ita vero non evictum est, habendum quoque esse Virgiliani ingenii fœtum, si quod carmen est, quod eum non dedeceat. Vetus aliqua eaque idonea auctoritas allata in medium non est. Nam, quod ex Seneca vulgo laudatur Ep. 92 *ut ait Virgilius noster in Scylla*, non viderunt viri docti ad Æn. III, 426 sq.

spectare, et *in Scylla*, esse in loco de Scylla. Quid? quod nec a Pseudodonato, qui reliqua carmina Virgilio tributa recenset, nec, quantum memini, ab alio vetere Grammatico, in simili instituto, Ciris mentio fit. Indocti enim monachi, Servianis in Æneidem commentariis in fronte assutus, pannus, in quo adeo Cirina scribitur,[1] memorari adversus me vix potest. Quod autem poëmatii præstantiam adeo verbis ornant, ut Scaliger id nulli Latinorum neque nitore neque elegantia cedere dicat, Barthius vero luculentissimum inter omnia antiqua poëmatia appellet, in eo studium virorum doctorum video, judicii subtilitatem desidero. Non enim satis circumscribunt prædicationem suam, adeoque, dum ultra terminos evagantur, ne id quidem obtinent, quod in medio positum erat, quodque recte se habebat. Quod in carmine hoc tantopere admirati sunt viri docti, si propius intuearis, nihil aliud fuit, quam orationis in plerisque locis dignitas summa, ornatus præclarus, splendor quoque; tum numerorum concinnitas. Hæc sunt, quæ viris doctis adeo se probarunt; sed, an hæc illa sint, quibus poëticæ laureæ decus parari possit, admodum dubito.

Omnino ab inventi felicitate, quæ tamen res una omnium maxime poëtæ nomen et laudem continet, carminis hujus laus magna vix peti potest: uti nec tractatio arte aliqua insigniore se commendat, nisi in locis singularibus iisque fere ad communem poëtarum orbem spectantibus: cujusmodi est nutricis opera in virginis dolore allevando, puellæ miseræ querelæ, et sic alia. Contra sunt alia poëtica narratione vix comprehendenda, adeoque a poëta relinquenda, quia ad pedestrem orationem proniora erant: ut locus de diversis super Scylla opinionibus v. 63 sqq.—90, alius super fabulæ in Britomarti varietate 303 sqq. Hæc et similia cum tractata nitescere nequeant, bonus poëta non facile attinget. Alia ad rhetoricam δεινότητα egregie accommodata sunt, ut in querelis puellæ: et, si quid est, quo ad-

NOTÆ

[1] Ita etiam in Ms. Helmstad. exaratum erat *Decircina*, non, Ciris.

ducar, ut Maroniani ingenii fœtum esse hunc putem, hunc propiorem ad tragicam vehementiam et rhetoricam declamationem affectum esse dicam, quem in Virgilio me agnoscere jam alibi accuratius exposui.[1] Accedit orationis poëticæ facultas, quæ in hoc poëta fuit summa: quæ ea ipsa causa fuit, qua adducti viri docti cetera etiam omnia in eo carmine pronuntiarent esse summa. Poëtæ Maronis ingenium agnoscere mihi videor etiam in hoc, quod, cum argumentum hoc ab aliis poëtis esset pertractatum, relictis ille iis, quæ ab aliis prærepta erant, ingenium applicuit ornandis iis, quæ ab aliis nondum essent occupata. Ita forte excusari potest, quod ille id, quod summum rei momentum, ipsa ἀκμή, erat, resectionem comæ, verbo exposuit, et vero ne verbo quidem attigit ea, quæ resectam Nisi comam subsecuta sunt, donec abstraheretur Scylla navi alligata. Expectabam in primo Minois conspectu, in pactione cum eo sancienda, in coma Nisi resecanda, tradenda, et fide Minois ex conditione pactionis exigenda, poëtam disertum, copiosum, et ornatum. Vix verbo memoravit hæc omnia. Vitio hoc factum dices; nisi judicio illi subtiliori illud tribueris. Levioribus equidem argumentis accensebo omne illud, quod a repetitis tot Virgilianis versibus ducitur, sive ut hinc colligas ipsum Maronem sive ut alium auctorem fuisse statuas. Vix enim firmo fundo nititur argumentum, quo Scaliger usus est, cum diceret: auctorem carminis ut esse Virgilium credamus, hanc unam rationem vincere, versus crebro hic repetitos,[2] qui passim in Æneide et in Georgicis atque in Bucolicis leguntur. Atqui potuit carminis esse alius serior auctor, qui ex Virgilio plurima mutuaretur, vel qui id ageret, ut Virgilii nomen et auctoritatem mentiretur.

Commemoravi adhuc ea, quæ probabile facere possint, ad Maronem auctorem hoc carmen referendum esse. Alias rationes Barthii aliorumque nec commemorare juvat, nec

NOTÆ

[1] Vid. Tom. II. Disquis. I. s. VIII. extr. s. XIII. Exc. ad Æn. II. p. 364. 5. Vol. II. et Æn. X. pr. Tom. IV.

[2] Apposuit eos Jo. Schrader. Emendation. p. 33 sq.

opus est, cum eas dudum exposuerit ac refellere studuerit doctissimus Præsul, Justus Fontaninus in Hist. Litt. Aquilei. p. 35. Eodem loco magna cum judicii subtilitate ac doctrina vir doctissimus ex Virgilii Ecl. VI, 74 sqq. verum Ciris auctorem eruisse visus est, ut, quod Gifanius jam olim suspicatus erat, Barthio mox probante, is *Gallus* sit, cujus carmina illis versibus attigerit poëta plura, inter quæ duo fuerint: alterum, quod nunc habemus, Ciris, de Scylla, Nisi f., in cirim mutata, alterum de Scylla, Phorci filia: *Quid loquor? aut Scyllam Nisi? aut quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates et gurgite in alto Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?* Non equidem, tanquam satis valida, argumenta omnia amplectar, quæ ille attulit; nec tamen quicquam ingeniosæ conjecturæ obstare video: convenit enim ætas Galli ac Messalæ; nisi quod difficile est ad intelligendum, quo cum pudore tot ex Ciri hac versus Virgilius in sua carmina aut ex his Gallus in Cirim adoptare potuerit. Nam, quod Gallum Epicureæ philosophiæ operam dedisse nunc ignoramus, morari potest neminem, quin assentiatur Præsuli dignissimo. Superest igitur, ut versus illos seriore ætate ab interpolatrice manu in Cirim insertos esse dicamus; quod nec improbabile fit.

Qui *Catullum* pro auctore carminis habuere (in quibus Eglinus fuit, cujus *Vindiciæ Ciris Catullianæ* sunt), quandoquidem cum Epithalamio Thetidis et Pelei nonnulla posse comparari videbant; non animadverterunt, Messalæ, cui inscripta est Ciris, ætate se refelli: nam is paucos ante Catulli obitum annos natus est. Sed et hæc accurate tractavit Fontaninus l. c. pag. 33. 36. Quo argumento *Valerium Catonem* Ciris auctorem ediderit Delrius in Comment. ad Senecam, ex ejus verbis intelligi nequit. Quod si tamen Virgilium auctorem Ciris adoptare cum Scaligero et aliis[1]

NOTÆ

[1] Nuper quoque Jo. Schraderus vindicavit; nec tamen is argumentis gravioribus, quam alii, suffultus. Idem Emendat. c. 3 pag. 31 Virgilio Cirim

malit aliquis, non tamen cum eodem Scaligero commiscetur tot alia, quæ probatione idonea destituuntur: paulo ante mortem suam, et Athenis aut adeo Megaris, Virgilium hoc carmen composuisse: etsi jam tum, cum Cirim scriberet, auctor carminis nonnulla carmine se tractasse, et, cum famæ pœniteret, iis depositis ad philosophiam se contulisse narret ipse v. 1 sqq. 42 sqq. Juvenem tamen se testatur auctor satis manifeste vss. 42 sqq. *Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes, Nunc primum teneros firmamus robore nervos: Hæc tamen interea quæ possumus, in quibus ævi Prima rudimenta et primos exegimus annos, Accipe.* Si porro Messalam *juvenum doctissimum* v. 36 appellare potuit, juvenili ætate constitutum eum et ipsum tum fuisse necesse est, cum Maro illa scriberet; id quod temporum docet comparatio.[1] Rem tamen vel sic in medio relinquere satius duco.

Inter hæc, etsi carminis facies omnino satis liberalis est; negari tamen nequit, varices passim et ulcera corpus obsidere, loca occurrere plurima scabra et horrida, versus duriores aut pedestri oratione depressos, alios prorsus corruptos ac sensu carentes, ut interdum honestas illa oris fœde contaminata ac prorsus obliterata sit. Scilicet primum id, quod in carminibus his minoribus evenisse videtur fere omnibus, etiam in Ciri factum arbitror, minore tamen cum audacia quam in Culice, omnium uno maxime fœdato carmine, ut jam antiqua satis ætate in ea exercerent se poëtarum seu versificatorum ingenia, variando et amplificando carmine. Ascripti in margine versus, sæpe imperfecti, a librario, qui describebat codicem, in textum sunt recepti: nonnulli satis arguti, alii ex similibus veterum poëtarum locis retracti vel adumbrati, qua de re supra ad Culicem dictum est. Accessit alia calamitas, ut carmina illa per plura sæcula ignota et sepulta jacerent, et ut vix unum vel

NOTÆ

docte adversus Galli nomen disputat p. 48, et adversus Catullum auctorem p. 46, Scaligerum autem refellit p. 41.

[1] Natus enim Virgilius a. u. c. 684, Messala a. 695, nec hic claruit ante 718, æt. 23.

alterum exemplar ad nostram ætatem perveniret; quod cum obscuris fugientibusque literis oculos librarii recentioris, aut etiam operarum typographicarum, falleret, corruptelas infinitas inferri necesse fuit.

Conspirant itaque in corruptelis editiones fere omnes, nec e libris scriptis, qui et numero paucissimi, et, quantum intelligo, omnes recentiores sunt, auxilium expectari posse videtur. Nic. Heinsius in Epistola ad Octavium Falconerium fatetur, Ciris exemplar sibi nullum evolvere licuisse, ante artem typographicam inventam descriptum. Evolvit tamen ille postea Ms. Basileensem, aut variantem lectionem ex eo accepit; attamen et ille fuit chartaceus, et, quantum intelligo, in corruptelas vulgares ubique consentit. Abfuit Ciris a prima Virgilii editione, etsi ea minora Virgilii poëmatia complectitur; accessit vero in Romana altera: vid. Recensum edd. h. a. Omissa hinc ab aliis, ab aliis addita: cf. Fontanin. Hist. litt. Aquilei. p. 40. Enarrare eam primus aggressus est Domitius Calderinus in edit. Ven. 1483 per Baptistam de Tortis, hinc 1489. 1491. 1492 et al. Paulo doctior commentator successit Julius Pomponius Sabinus, commentariis a. 1486 vulgatis, et 1519. 1544 hincque in edd. Henricopetrinis repetitis: tum copiosior commentator Ascensius a. 1500. 1505 et al. Tandem etiam critica manus accessit, eaque viri summi Josephi Scaligeri in Appendice Virgiliana Lugd. 1573; multas ille attulit emendationes præclaras, alias durissimas, nonnullas prorsus non ferendas. Lectiones ejus et interpretationes recepit omnes Taubmannus, vir doctus, qui, quod supra jam diximus, ex aliorum judicio totus pendebat, suo parce uti solitus, edita Ciri a. 1618. Vix bis terve Barthium comparat, qui interea 1608 Cirim commentario instruxerat, valde tum adolescens, et omnino doctrinæ copia præstantior quam judicii subtilitate. Attigit idem loca nonnulla in Adversar. XX, 20. XXII, 9. XXIII, 9 et 21. XXX, 24, et, ut eo loco se facturum profitetur, denuo Cirim edere constituerat, si exemplum aliquod manuscriptum nancisci unquam posset. Cf. Fontanin l. l.

Equidem comparatis antiquis, quæ ad manum erant, editionibus, omnes, fere inter se in easdem lectiones et vitia conspirare intellexi. Quod cum semel animadversum esset, satis habui, Venetam 1484 per Thomam de Alexandria expressam, mox quoque Aldinam primam 1505, comparare. Manum emendatricem non experta est Ciris nisi in Aldina: *diversorum veterum poëtarum in Priapum lusibus* etc. 1517, de qua editione ab Asulano curata et 1534 repetita jam in procemio ad Culicem dictum est.[1] Ex Bembino codice, cujus ope Culex tam præclare fuit emendatus, Ciris nihil auxilii consequi potuit; quandoquidem in eo codice illa exarata non erat. Alios igitur codices Asulano in Ciri ad manum fuisse necesse est, de quibus nunc nihil constat; profitetur quoque vir doctus in præfatione, se hæc carmina *collatis pluribus exemplaribus* emendasse. Aldinam recensionem expressit in plerisque editio Veneta apud Aloysium de Tortis 1541, sed pleræque aliæ, quod mireris, Aldinam deseruere et veterem lectionem repetivere. Occurrunt mox editiones, uti Ven. apud Hieron. Scotum 1544, apud Bonellum 1558, Georg. Fabricii, Plantini, quæ in margine varias lectiones habent, quarum magnam partem emendationes virorum doctorum esse vidi. Nam fuere passim, qui singula loca in Ciri, ut in aliis veterum libris, emendarent. Sic, ut unam vel alteram Jani Parrhasii et Paulli Leopardi correctionem taceam, plurima correxerat in Miscell. Epiphyll. VIII, 23 sqq. Jac. Nic. Loënsis, qui ab amico Leopardo exemplum Ciris acceperat ex prisca editione descriptum, addita ejus castigatione. Hanc ipsam editionem Catalectorum intelligo fuisse illam, quam Heinsius diu se frustra quæsivisse ait in Epist. ad Daumium Tom. V Sylloges Burmann. p. 218; nam Barthius in Adversariis ea non ipse usus est, sed ad Loënsis fidem provocat. In Miscell. Obss. Vol. IV loca nonnulla ex Ciri retractarunt viri docti: sed levioris fere momenti.

NOTÆ

[1] Editio illa 1517 intelligenda, quoties Aldina, tanquam emendatior, a me excitatur. Reliquas duas non nisi in nova recensione nactus eram.

Cum a nemine adhuc operam datam viderem, ut lectionum origines et causas indagaret; studium in ea re posui præcipuum, etsi res molestiæ plus quam credi potest haberet. Quandoquidem autem inde intellexeram, librorum scriptorum auctoritatem nos fere deficere; conjectandi licentiæ materiem in hoc libello relictam nobis esse putavi tanto majorem. Ea itaque ita usus sum, ut, quam aliis veniam dederim, vicissim et mihi ipsi a viris doctis petam.

* * *

In nova recensione anni LXXXVIII ad manus fuere Schedæ Heinsianæ, de quibus supra ad Culicem dictum est, tum Jo. Schraderi; hæ tamen tam moleste ac perplexe scriptæ, ut iis extricandis vacare vix possem; inprimis cum in Cirim meliora jam ipse in Emendationibus vulgasset. Cum a viro docto *Edvardo Burnaby Greene* ad calcem Apollonii Rhodii T. I versam in Anglicum sermonem Cirim recordarer, multis emendationibus appositis (1780); has quidem enotare institueram: mox tamen sensi calamo frænum injectum, cum perpaucæ in iis sint, quæ sermonis indoli conveniant aut sententiam expeditam habeant.

P. VIRGILII MARONIS

CIRIS[1]

AD

MESSALAM.

ARGUMENTUM.

M. VALERIO Messalæ inscriptum est carmen: eique adeo in exordio satis diserto ad v. 100 illud offert poëta.

NOTÆ

[1] Ciris quænam veteribus avis dicta fuerit, nondum satis expedita res est. Accipitris genus fuere qui putarent; idque Etymol. M. firmat: Κίρκις, εἶδος ἱέρακος. Inde alii eandem eam cum circo tradidere. v. Munker. ad Hygin. f. 198. De haliæeto (halyætum scribunt alii, non satis bene) minor est dubitatio: cum ipsum nomen aquilam marinam prodat, et Aristoteles Hist. Anim. IX. c. 32 inter sex aquilarum genera ἁλιαιετὸν recenseat. Addit alia Plinius lib. X. 3. cf. Munker. ad Antonin. cap. 11. Thynoaquilam, seu potius Dunoaquilam, nunc appellari Loënsis tradit in Miscell. Epiphyll. VIII, 26, quoniam versatur in dunis seu collibus arenosis juxta mare. Cuniculis quoque eum insidiari et fœtus deprædari.

Perdicem alios putasse esse cirim, quæ solitaria avis sit, disco ex Julio Sabino. Notas edidit poëta ipse has: esse eam pulchriorem cygno vs. 489, in vertice crista purpurea 501, pluma vario colore 502, crura rubentia 505. 506, degit solitaria in locis desertis 518. 519, odium in eam pertinax est haliæeti 532 sqq. Adde eam in Græcia, et Italia forte, habitare, et inter serenæ ex pluvio cœlo tempestatis præsagia referri in Ge. I, 404 sq., si in conspectum veniat haliæetus cirim fugans. Quæ de ciri commemoravimus, vix videntur in alaudam cadere, quam uno cristæ argumento multi in ea quæsivere: in quod avium genus sævire solet accipiter fringillarius, dictus inde aliis Nisus. Scaliger ad Cirim v. 528 falconem interpretatus est haliæetum, cirim autem egrettam: quo nomine appellasse videtur ardeam albam minorem, garzettam quoque appellatam. Inter hæc nihil effici potest, nisi avium per istos tractus genera melius teneamus; fit enim probabile, domesticam Mega-

Narrare inde incipit fabulam de Scylla, Nisi Megarensium regis filia. Habebat Nisus in vertice crinem purpureum, urbi ac regno fatalem, ut capi Megara non possent, quamdiu ille incolumis esset. Minos, Cretæ rex, Megara urbem cum obsideret, Scylla, cum ex muro forte eum prospexisset,

NOTÆ

rensibus avem cirim fuisse. Mergum Megaridem frequentare (ἀθυιαν) ex Paus. I, 5, p. 13 didici.

In fabulæ autem tractatione per hoc carmen mirum videri potest, multa vix verbo attingi, quæ tamen potiora narrationis capita esse videbantur, ut comæ ipsa resectio et Scyllæ cum Minoë super ea pactio. Quæ quidem res aut poëtæ vitio aut loci luxatione accidere debuit, aut a poëtæ arte profecta est, dum ille leviter tantum attigit ea, quæ ab aliis diligenter erant ornata. Fabula enim a multis jam erat tractata, Græcis scilicet poëtis, et variis figmentis etiam per interpretationem, exemplo ipsius Callimachi, in Αἰτίοις, variata: quod in ipso carmine, etsi parum poëtice, exponitur, vss. 54 sqq., ubi vid. Not. Neque adeo Hyginus inscitiæ accusandus erat, qui fab. 198 in piscem mutatam esse Scyllam narravit. Tradiderat et hoc scilicet alius poëta, forte Tragicus aliquis. Æschylus monili aureo corruptam Scyllam, φωνίαν Σκύλλαν, Minoi patris immortalem capillum (ἀθανάτην τρίχα) prodidisse: κιχάνει δέ μιν Ἑρμῆς, quod ad Nisum refert ejusque mortem Scholiastes; nisi de Scylla illa accipienda putes, ut exquisitior aliqua fuerit narratio de pœna per Mercurium ab ea sumta. Prior tamen explicatio cum eo convenit, quod apud Apollod. est III, 15, 8 ταύτης ἀφαιρεθείσης τελευτᾷ. Ceterum Æschylus ad avaritiam refert Scyllæ facinus, quod alii ab amore incesto repetunt. Capilli color purpureus a plerisque traditus; etiam a Callimacho apud Suid. in Κρέκα, Πορφυρέην ἤμησε κρέκα, *demetuit crinem purpureum:* cf. Toup. Curæ noviss. p. 81 et Apollod. Auream comam narrant nonnulli, confusa forte fabula simili, cum Pterelao Neptunus immortalitatem dedisset ἐν τῇ κεφαλῇ χρυσῆν ἐνθεὶς τρίχα Apollod. II, 4, 5, et 7, ubi conf. Not. Omnino haud assequaris, quid antiquos homines in his fabulis ad hoc figmentum adduxerit, ut, quod etiam de Samsone narratum novimus, in capilli natura mirabilem aliquam virtutem latuisse narrarent.

Cum κρὲξ et ipsa sit inter aves carnivoras aliis infestas (v. Aristot. H. An. IX, 1 et 17), putabam forte nominis lusum fabulæ opportunitatem dedisse; nec tamen eam avem in hac fabula memoratam vidi. Sed Scyllam a Minoë ex navi suspensam, et quidem gubernaculo alligatam, inde in cirim avem mutatam, tradiderat quoque Metamorphoseon libello, qui nunc inter deperditos est, Parthenius: ut ex Eustathio ad Dionys. Perieg. 420 didici (v. de eo Mellmann. de causis et auctorib. Narrat. de mutatis formis pag. 83). Jam hunc nostro poëtæ ante oculos fuisse probabile facit studium Parthenii legendi et latine convertendi, quod inter Latinos poëtas magnum fuit. Hos autem in argumentis mythicis, a politioribus poëtis Græcis tractatis, inprimis ingenia exercuisse, tot aliis carminibus, quorum nonnulla quoque servata sunt, satis constat. Ceterum similia argumento sunt nonnulla in Propertii Eleg. IV libri IV de Tarpeia, quæ Sabinis Capitolium prodidit.

insano ejus amore correpta est: quo illa victa noctu surrexit, ut crinem illum fatalem clam rescinderet, quo sibi Minois amorem conciliaret. Exeuntem cubiculo animadvertit nutrix, Carme, Jovi olim amata, ex quo illa Britomartin pepererat. Ea alumnæ meliora primum persuasit, mox autem multis frustra tentatis ut Nisus pactione bellum componeret, in nutriciæ sententiam concessit. Resecta igitur Niso coma aurea et cum urbe Minoi tradita. Is vero facinus tam atrox et impium aversatus, cum in Cretam rediret, puellam, ne piaculo tanto classem contaminaret, ne navi quidem recipere voluit, sed ex navis exteriore latere alligatam secum duxit. Tum illa multa diu conquesta in avem cirim mutata est: additus tamen mox ei pater Nisus in haliæetum mutatus, qui cirim avem internecino odio persequitur.

Etsi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,

Minus adhuc adolescentum manibus tritum esse hoc carmen, etsi tot præclaris locis insigne, nemo mirabitur, qui, quam fœdis illud corruptelis laboret, intellexerit. Versabitur igitur nunc quidem præcipua operæ nostræ pars in vulneribus illis sanandis. Statim in fronte carminis fœda occurrit labes, cui jam Scaliger mederi voluit. Sententiam loci omnino hanc esse, ut, etsi studiis philosophiæ Epicureæ sese addixerit, carmen tamen hoc inceptum se absolvere velle significet, manifestum est. Itaque vss. 1—8 ad priorem sententiæ partem spectare, inde alteram sequi necesse est. Nunc singula videbimus.—1. *vario amore*. Cum altero versu eandem rem per *irrita præmia vulgi* declaret; quis dubitet poëtam *vano laudis amore* scripsisse? Ita et Nic. Heins. emendat, et præterea *lactatum* legit, bene. "Festus: lacit, *decipiendo inducit;* lax *etenim fraus est;* lacit, *in fraudem inducit: unde et* allicere *et* lacessere, *inde* lactat, illectat, delectat. et *laqueus*. Symmach. lib. VIII, ep. 57 *si se amor speratus et ex mutuo debitus lactari laude pateretur;* ubi puto, *amor spectatus*. Vide Sciopp. Verisim. IV, 15 et Susp. Lect. V, ep. 19 restituit Plauto *amor luctat, lactari amantem* Terentio; idem Symmachus alibi: *neque me juvat falsa lactatio.*" Mitscherlich. v. c. Lect. in Catull. p. 78

NOTÆ

Cum difficultas hujus carminis interpretandi plerumque ex depravata lectione proficiscatur: ad criticas animadversiones pleraque rejicere et hic necesse fuit.

1—4 Se, abjectis iis studiis, quibus apud vulgus inclarescere voluerit, philosophiæ Epicuri operam dare ait. Color orationis similis est Catulliano carmini LXIV *Etsi me assiduo confec-*

Cecropius suaves exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiæ complectitur umbra;
Num mea quæret eo dignum sibi quærere carmen? 5
Longe aliud studium atque alios accincta labores,
Altius ad magni suspendit sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est ascendere collem:

defendit *vario*, quia *jactatum* se dixit, quo innuit, variis modis se laudem quæsivisse.—4. Veteres edd. *Florentes viridis Sophiæ c. umbras.* Sic fere Bas. cod. Meliorem lectionem *Florentis* (amœnæ) *viridi Sophiæ complectitur umbra* Aldina 1517 exhibuit. Scaliger mutato ordine: *Florentis Sophiæ viridi* dedit. Turnebum miror l. c. maluisse: *Florenti viridi S.*—5. *Num mea quæret eo dignum sibi quærere carmen.* Pessime habitum versum facile agnoscas. Nulla varietas vett. edd. et codd., quam quod *Tu, Tum* et *quiret* occurrit. At ex vett. edit. P. Leopardi J. Nic. Loënsis Epiphyll. VIII, 23 *Non me ea curat eo dignum se cudere carmen*, recitat, et ad Sophiam refert: parum commode. Turnebus Advers. XXVIII, 25 varie tentat; vel: *Musa quoque Actæo dignum s. q.*, vel *Musaque Erechtheo*, vel: *Musaque Arateo sene.* Docta conjectatio: sed orationis vincula nulla video. Nomen *mentis* vel *Musæ* in verbis latere obvium est, nam ea *suspendit* et *ausa est*, sed reliqua nemo sine libris expediat. Scaliger reposuit: *nec mea quit Erato dignum se quærere carmen:* ut, qui sequuntur, tres versus in parenthesi habeantur. Versum scabriorem procudere ipse vix poterat. Refinxit eum Heins. *Nunc mea fert Erato dignum tibi quærere carmen:* etsi cum ceteris parum cohæret. Jacobs: *Musa tamen curat dignum te quærere* (saltem *pangere*) *carmen.* Greene: *Num me quæret ea dignum? sibi quærere carmen? (will wisdom search after me, as worthy of her?* (hoc esset: Num me quæret se dignum?) *is it hers to seek poetry?)* Malim resecare totum versum 5 tanquam inepti versificatoris, qui innuere volebat: quæri poëtæ hoc ipso philosophiæ studio novam carminum materiam, et conjungere verba sic:—*umbra, Mensque aliud st.*, etsi, si dicendum est, quod sentio, omnes hos vers. 5—8 ab altera manu intextos esse suspicor.—7. 8. *suspendit* vid. Not. Tuentur vocem Livineius et Barthius apud Taubmannum. Verum etsi *suspendit* pro *suspendit se*, suspenditur, ferri forte potest; duriora tamen sunt reliqua: *suspendit ad sidera;* nec mollius illud: Musa *suspendit studium et labores ad sidera.* Probanda itaque Scaligeri lectio: *subtendit*, ad cœlum tendit altius, hincque alterum pendet: *Et placitum paucis ausa est ascendere collem*, scil. Sapientiæ seu Virtutis: ad quam via ardua, *οἶμος ὄρθιος*, vulgari voce ferebatur. cf. vs. 14. Male de poëtices laude et Helicone monte accipiunt hæc interpretes, etiam Fontanin. Hist. litt.

NOTÆ

tum cura dolore Sevocat a doctis, Hortale, virginibus. vario amore laudis, variis modis ac viis laudem et famam venatus erat. Sed v. Var. Lect. *irrita præmia*, h. vana, inania; sunt autem ipsa fama et gloria, quam carmine consequi studuit. 3. *Cecropius hortulus.* Epicuri sectam et disciplinam per hortum ejus, quem Athenis habuit, in quo docere solebat, declarari notissimum. Illustrat locum Barth. Advers. XX, 20, et Jo. Schrader. Emendat. p. 31 sq.

5—8 *Musa*, cujus nomen in corruptis vs. quarti verbis latere necesse est, *accincta aliud studium et labores*, h. aggressa aliud studium, philosophiæ scilicet (ut Æn. IV, 493 *magicas*

Non tamen absistam cœptum detexere munus.
In quo jure meas utinam requiescere Musas, 10
Et leviter blandum liceat deponere morem.
*** Quod si mirificum proferre valent genus omnes**

Aquilei. p. 35. Basil. *suspensi:* unde Heins. *suspendi* vel *se tendit.* Jo. Schrader. Emendatt. c. III, p. 35 *suspexit:* cum Jacobs nostro: inf. 218 *et altum suspicit ad culti nutantia sidera mundi.* Et sic codd. Æn. IX, 402 *suspiciens altam ad Lunam.* Durum tamen et hoc: mea Musa suspexit ad cœlum. *placitum* et *paucis* vett. edd. omnes habere Scaliger ait: quod verum non est. Legitur passim, etiam in Basil., *multis,* et *placidum:* sed vitiose. Vetus editio P. Leopardi apud Jac. Nic. Loënsem Epiphyll. VIII, 23 *Nec facilem multis,* ex interpretatione. *ascendere callem* conj. Heins.—10. 11. In quo carmine utinam liceat finire labores meos poëticos: forte, ut totum se philosophiæ addicat. Sed uterque versus ab interpolatore profectus videtur. Otiosum enim et durum τὸ *jure* et *leviter.* Heins. conj. *rure,* hortulo. Melius Jo. Schrader. *rite.* Tum *meas Musas liceat requiescere in hoc carmine,* parum comta oratio. Attamen *blandum morem* non male dictum putes de studio poëtico, cui indulget. Jac. Nic. Loënsis Epiphyll. VIII, 23 ex vet. edit. *deponere amorem* profert, idque Barthius Advers. X, 12 probat, cum Heinsio (qui et conj. *Leniter et blandum,* ut Lucret. lib. I pr.) et cum Jo. Schradero Emendatt. p. 64; esse enim idem hoc apud Catullum LXXV, 13 *Difficile est longum subito deponere amorem.* Narrat præterea Jo. Schrader fuisse qui mallet: *deponere honorem.*—12. In vett. edd., etiam in Aldina, tantum: *Quodsi mirificum genus omnes* legitur. *Mirificum seclis* eadem vet. edit. apud Loënsem l. c. Nec aliter Basil. Qui carmen hoc a diversis doctis hominibus interpolatum, interpolationes autem in margine, obscuro interdum et parum elaborato literarum ductu ascriptas meminerit, is intelliget, quam facile in locis his a librario, qui novum inde exemplum petebat, depravationes inferri potuere, quas nullus alius codex sanare potest. In h. l. tamen lacunam seriores grammatici suo quisque more supplere, et alii alia in margine novare et versus variare tentarunt. Itaque utrumque versum 12 et 13 esse delendum censeo, tanquam inepta pericula grammaticæ manus in versu seu vetere, qui exciderat, supplendo seu novo procudendo. Scaliger tamen refinxit: *Quodsi majorum, Valeri, genus omne tuorum Mirifice seclis modo sit proferre libido,* h. e. si esset mihi libido mandare seclis et memoriæ æternæ genus Valeriorum, ex quo Messalarum familia, non ego te acciperem hoc munere, sed longe excellentiore carmine. Ipse tamen Scaliger suæ conjecturæ non satis confidit. Barthius minus docte refinxit: *Quod si versificum proferre volunt genus omnis Mirificum secli: modo sit tibi velle libido.* Turnebus Advers. XXVIII, 25 *valet genus omne Mirificum secli* corrigit, de sensu verborum idoneo parum solicitus. Pomponius Sabinus ita interpretatur vulgatam, ut acumen viri non assequar: " Omnes, supple, tradere suadent. Si omnes suadent, ut scribam philosophiam, et tu etiam id vis et ego paterer scribere, non vene-

NOTÆ

invitam accingier artes), suspendit (vel *se,* h. suspensa est, suspenso animo contemplatur, vel *me,* ut Julius Sabinus explet, aut, quod melius, *subtendit) altius ad magni sidera mundi, et ausa est.* Collem Sapientiæ, ad quem pauci emergunt, ascendere: absolvam tamen cœptum carmen. Videtur adeo carmen jam olim cœptum, mox sepositum esse. Ceterum carminis initium habet aliquam similitudinem cum epigr. VII inf. in Catalectis.

* Mirificum sæcli, modo sit tibi velle libido;
Si me jam summa Sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ heredibus est data consors:
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali;
Non equidem; quamvis interdum ludere nobis,
Et gracilem molli liceat pede claudere versum;
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,

---

rarer te munere Ciris, sed carmine philosophico."—14. *arce* Aldina dedit. Vett. edd. *arte*, idque Calderin. et Ascens. interpretantur; pronum est in *pangeret*, quod tamen non male est dictum pro figeret, eductum collocaret, suspicari *panderet*, ut reliqua consentanea sint, scribendum: *Si mihi jam summam Sapientia panderet arcem.* Incidit quoque in hoc Frisemann. et Jacobs; nisi quod hic *summas arces* asciscit cum Greene. Heins. conj. *Si mea* (vel *mihi*) *jam summam Sapientia tangeret arcem.* Ms. Helmst. *Si mea jam summas S. p. artes.* Melins Basil. *summas arces*, quod Heins. probat, recte. —15. *quæ* in vett. edd., etiam in Ald. et in Basil., excidit. *heredibus* eleganter seu ut simpliciter sint κληροῦχοι, seu proprie respectu Socratis. Parum caute Pallus Leopard. ap. Loënsem Epiphyll. VIII, 23 *hæresibus* emendabat. Heins. *Quatuor antiquis heroibus addita consors*, vel *heroisin*, ut quatuor philosophiæ ipsius partes designet. Martian. Capella lib. VI, p. 189 *Tantorum qui philosophiæ heroum matrem non agnoscis.*—17. *possim* Ald., quod Heins. et Jo. Schrader. probant. *possum* Basil.—18. *munere vili* conj. Jo. Schrader. —20. *liceat;* forte *libeat.*—23. *dona* vett. edd. ante Ald. cum Ms. Basil.—

NOTÆ

14 sqq. Si in philosophiæ studio jam satis profecissem,—ut majus carmen de rerum natura conscribere possem; hoc tibi dedicarem. Hæc subjiciuntur vs. 36 sqq. *summa arce* cf. ad v. 8. *me pangeret*, figeret, statueret, collocaret. 15. Arx, quam quatuor summi philosophi tenent, Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus. (Pro Zenone Pythagoram veteres interpretes nominant.) *arx data est consors*, elegantius, quam *iis consortibus*, quatenus heredes sunt Socratis. Expressus autem totus locus ex Lucretii notis verss. lib. II, 9 sqq.

21 sqq. Celebratissima res in Panathenæis magnis, quæ Athenis quinto quoque anno agebantur, peplum Minervæ. vid. Meurs. Panathen. c. 17 sqq. Ducebatur occultis machinis per terram navis, ad speciem remis instructa, ad Minervæ templum; peplum, pro velo suspensum, mox utrum pro veste Minervæ signo injectum, an sedentis gremio appositum, an, quod probabile fit, pro aulæo prætextum sit, nulla auctoritate expressa doceri posse video. Ceteroqui Aulæa signis Deorum obducta in adyto passim fuisse satis constat: unde etiam in ultimam opinionem proniores sumus cum Stuarto (*Antiqu. of Athens*, T. II, p. 7.) Pollucis auctoritas, qui VII, 50 πέπλον etiam ἐπίβλημα fuisse ait, idque colligi posse ἐκ τῶν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλων, de amiculo vel indumento est accipienda: id enim ipsi est ἐπίβλημα. Peplo intextæ res a Pallade gestæ, inprimis pugna cum Titanibus et Gigantibus;

Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ,
Tardaque confecto redeunt Quinquatria lustro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere currum.
Felix ille dies, felix et dicitur annus;
Felices, qui talem annum videre, diemque.
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ:

24. *Tardaque* haud dubie legendum, ut jam a Taubmanno editum video: non ve. *Quinquatria* vett. edd., quod doctius esse vocabulum videri potest, et improprie de Panathenæis dictum. *Quinquennia* Aldina et Ascensianæ intulerunt.—26. Legebatur: *Et prono gravidum provexit pondere cursum.* Superior versus 25 ad declarandum tempus Panathenæorum habendorum spectabat. Cum non appareat, cujus rei cursus intelligi possit, nec ad navigationem ad quam Turnebus XXVIII, 25 versum refert, quicquam aliud nos ducat: vitium subodorari in promtu est, ut *currum* legamus; ut jam Barthius emendavit, Taubmanno probante. Navis Panathenæis ad Palladis templum ducta machinis agi debuit, peplo tamen pro velo expanso, quod adeo Zephyrum excipiebat, vid. Not. ad v. 21. Navim per currum declarari, idem Barthius docuit; v. c. apud Catull. LXIII, 9. 10, ubi vid. Intpp. Ex Julio Pomponio exsculpere aliquis possit lectionem *gravidam p. p. Chlorim.* Sed lusus is esset, non emendatior lectio.—27. *illa dies* Ald.—30. *pepla.* Sic jam ed. Ven.

NOTÆ

mox quoque strenuorum ducum Athenis egregia facta, aiunt viri docti, Scaliger ad h. l. et Meurs. l. c. Volunt id docere ex Aristoph. Equ. 563, ubi majores prædicantur digni ea urbe καὶ τοῦ πέπλου. Hoc tamen clariorem locum afferri velim: nam Comicum pompam Panathenaicam respicere potius arbitror, qua armati incedebant viri. Etiam Pepli nomen, quo Aristoteles librum inscripsit, quem de heroum tumulis confecerat, viri docti hinc illustrant. Nostri poëtæ locus rem non magis probat. cf. inf. ad v. 36.

21 *Si fas est dicere:* non tam ad religionem refero, quam ad audaciam cœpti; et *olim*, pro *tum*, sequente etiam *cum*. Æn. VIII, 391 *Non secus atque olim*, ὡς τ' ὅτε.

25. 26 *Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro:* alternis Zephyrum cum Euro spirare ait, eoque tempus Panathenæorum habendorum declarat: quod hic ad primum ver retrahere videri potest. Mense tamen Hecatombæone, et quidem die XXIII, tertio cujusque Olympiadis anno, ea celebrata esse satis constat; est ille primus mensis anni Attici, quem a primo plenilunio post solstitium æstivum processisse quis ignorat? Æstatis igitur ingressæ tempus declarari hoc versu dicendum est: quod tamen quam commode per pugnam Zephyri cum Euro designetur, non dicam. Etsi Zephyri flantes non modo ver, sed et æstatem ineuntem alibi quoque indicant. cf. Ge. III, 322. Hactenus itaque illud ferri potest. De altero versu 26 v. Var. Lect.

29—34 Locus, etsi ab h. l. forte alienus, classicus tamen post Eurip. Hecub. 466 sq. de peplo Minervæ.

Magna Giganteis ornantur pepla tropæis;
Horrida sanguineo pinguntur prælia cocco;
Additur aurata dejectus cuspide Typho,
Qui prius, Ossæis consternens æthera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale Deæ velum solenni in tempore portant.
Tali te vellem, juvenum doctissime, ritu
Purpureos inter Soles et candida Lunæ
Sidera, cœruleis orbem pulsantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis;
Æternum Sophiæ conjunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis.

1484 et aliæ cum Aldina. Male aliæ vett. edd. *templa*.—31. *cocco*. At Ald. *succo*. Sic et vetus editio apud Loënsem Epiphyll. VIII, 23.—32. *dejectus* Aldina emendatum dedit. *delectus* vett. edd. cum codd. *deletus* Loëns. ibid., quod placere non debebat Drakenborchio ad Silium IX, 39. *irato.... fulmine* conj. Frisemann., quod sane et ipsum dici posset; sed hoc est variare, non emendare. *aurata cuspide* poëta dixit respectu texturæ coloribus variatæ.—33. *Qui superum* conj. Heins. *consternans* ed. Flor. vetus apud Barth. Advers. X, 12.—35. *solenne* edd. nonnullæ. *in* abest Ald.—38. *bigis*. Ita video primum editum in Ald. At veteres edd., ut Ven. 1484 et aliæ, cum Ms. Basil. *signis*, perperam. Barthius ex vet. ed. sua Loëns. VIII Epiphyll. 24 laudat pr. edit. *sumis*, et inde conj. *mulis*. Nihil est facile tam absurdum, quod non Critico in mentem venerit.—40. *Æternum ut Sophiæ* Loëns. l. c. e vet. edit.; malim *et* legere. Heins. em. *Æterno* vel

NOTÆ

conf. ad vs. 21. *Giganteis tropæis;* prælio et victoria de Gigantibus Pallante et Echione Enceladoque prostratis inprimis Dea tum inclaruit. *pinguntur*, quod vs. 29 *texuntur*. Typho vel Typhoëus, diversum a Gigantibus monstrum, sæpe tamen in eorum censum a poëtis relatum, procellarum et turbinum, cumque iis eructantium ignes montium symbolum satis frequentatum, alias a Jove prostratum narrari solet: quæ vel ex Apollodoro teneas. Minervæ in ea victoria partes etiam Horatius tribuere videtur in noto loco Carm. III, 4, 53. Stans cum hasta capiti prostrati monstri imposita Dea occurrit in patera Medicea apud Demster. t. v (cf. Comment. Soc. Gotting. T. IV, P. II, p. 82. 83 not.) *Emathius vertex*, Pelion esse debet, Olympo h. l. impositus, ut Ge. I, 281 Ossæ.

36 *Tali ritu*, hoc modo ait auctor velle se, tanquam peplum, carmen de rerum natura scribere eique Messalæ nomen intexere. 37. 38. Luna, quæ invehitur per cœlum bigis. *Sidera* pro sidere, et *pulsare* de curru seu equis curru tracto solum quatientibus solenne. *purpureus* pro pulcher, frequens poëtis.

40. 41 *Nomen tuum, conjunctum Sophiæ, carmine*, (h. nomini Sophiæ in carmine), *pagina nostra loqueretur æternum sæclis senibus*, h. seris.

Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes ;
Nunc primum teneros firmamus robore nervos :
Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta et primos exegimus annos,
Accipe dona, meo multum vigilata labore,
Et præmissa tuis non magna exordia rebus :
Impia prodigiis ut quondam exterruit amplis
Scylla, novosque avium sublimis in aëre cœtus
Viderit ; et tenui conscendens sidera penna
Cœruleis sua tecta supervolitaverit alis ;
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,

Alterno, quod non capio.—43. f. *Nunc primum* et *t.* Heins. *Nunc primum*, vel *primo, hoc.*—45. *et juvenes exegimus annos* Ald. Sicque Ms. Helmst., probat Burm. ad Sammonic., renuente Jo. Schradero Emendatt. pag. 45.—47. *præmissa* edd. vett., ut Ven. 1484. Emendatius *præmissa* dedit Aldina. *permissa* Ms. Basil.—41. *Impia .... exterruit amplis.* Vitium in extremis latens non difficile est deprehendere. Nam *amplis* importunum est de prodigiis, et *exterruit* suspectum fit propter sequens *viderit* et *supervolitaverit*. Latens in eo *exterrita* statim occurrit, idque vidit Jo. Schrader. Emendat. p. 56. explens reliqua: *prodigiis...exterrita amoris Scylla novos avium...Viderit ;* ut fuerit Scyllæ amor prodgiosus et portenti similis. Nec tamen ad cetera bene se habet hoc : Scyllam *exterritam amore* in avem fuisse mutatam. Scaliger emendavit *prodigiis...exercita amoris:* sicque jam in marg. edd. *exercuit.* Heins. conj. *exercita diris* vel *miris.* Bonum vocabulum, *exerceri curis, amore*, sed *prodigiis* magis exterremur, quam exercemur. Malim itaque : *prodigiis ...exterrita*, prodigio formæ mutatæ. Omnino dubito an, qui sequuntur, versus 48...100 ab eodem poëta sint, qui carminis auctor fuit. Produnt enim Scholasticum aliquem serioris temporis inepta quoque doctrinæ copia intempestive illata.—49. *que* post *novos*, quod sublatum volumus, abest quoque ed. Ven. 1484, Ald. et al.—50. *Auxerit :* vetus editio ap. Nic. Loënsem Epiphyll. VIII, 24, quod Grævius probabat : ut apud Nasonem de Pierlis puellis Musarum æmulis : *Auxerunt volucrem victæ certamine turbam.* Nil tamen mutandum esse, ipse Heins. censet ; qui et *leves cœtus* maluerat, mox tamen ipse respuit. Videt avium cœtus novos in aëre, quia humo affixa fuerat. Barthius comparat inf. vss. 200 sqq. Porro *conscendens æthera* Ald., inde aliæ edd. in margine, ex interpretatione.—51. Hic versus ex Ecl. VI. 81

NOTÆ

42 *Ad tantas artes :* non de poëtica, ut perperam post ceteros Fontaninus quoque Hist. litt. Aquilei. p. 37. statuit, sed de philosophiæ studio accipe, ad quod nunc primum accessit.

47 *Et præmissa.* Si sensus inest, debet poëta significare, se præmittere quasi exordia, s. præludia, carmini, quo aliquando Messalæ res gestas persequetur, hos lusus, *ut Scylla in avem mutata sit :* quod eleganter extulit : *ut—novos avium, sublimis in aëre, cœtus Viderit, et tenui conscendens sidera penna Cœruleis sua tecta supervolitaverit alis.* 48 Corruptis verbis declarat versus ipsam Scyllam exterritam fuisse forma sua mutata, videlicet se avem factam.

Proque patris solvens excisa funditus urbe.
Complures illam, et magni, Messalla, poëtæ
(Nam verum fateamur : amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura ;
Scyllæum monstra in saxum conversa vocari ;
Illam esse, ærumnis quam sæpe legamus Ulyxi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Mæoniæ hæc patiuntur credere chartæ,
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ dicantur Homero.

traductus.—53. *Pro patris solvens excisa et fund.* Ms. Helmst. *excisam f. urbem* Ms. Basil.—54. *Cum plures, Dum plures,* codd. et vett. edd. *et* aberat ab Aldd.—55. Vett. edd. *Polymnia ;* unde alii Polyhymnia, alii *Polymneia* fecere, ex Πολύμνεια, Πολυμνήτα, et hoc doctius ac verius, ut Musa sit memoriæ rerum et factorum servandæ invigilans ; eaque adeo verum amare dici possit. Porro *amant* vett. edd., ut *poëtæ* subintelligantur.—56. *Longe alia ... figura.* Jam in Aldina comparet. *mutatam m. figuram* ed. Ven. 1484. *mutatam m. figura* et *mutata figura* aliæ. *Longe aliam... figuram* Ms. Helmst.—57. Suspectus versus. Deficit quoque nexus cum antec. versu. Etsi inserere licet : *Scyllæum* et *m.*—58. *ærumnis* durum est, ut sit inter ærumnas, labores Ulyssis. *quam sæpe* bene em. *quam nempe* Jo. Schraderus. *Ulyssei* ed. vet. apud Loënsem l. c. *Ulyssi* Ald.—59...61. Ex Ecl. VI, 75...78.—62. 63. Totum hunc locum, qui sequitur, insititiis locis annumerandum esse arbitror. Grammaticum acumen video, poëticum nusquam comparet. Sententia impedita et verba male juncta. Homerus de Scylla agit Od. M. Non patitur, inquit, is hæc credere, seu quod nihil tale memorat, seu quatenus Scyllam Cratæidis filiam edit, non Nisi : nec patitur credere auctor malus, h. parum idoneus, istorum hominum erroneis interpretationibus. Versum alterum tanquam ineptum prorsus deleo, et lego : *Atque alias alii.* In priore versu *hæc* om. Ald. In altero Scaliger *Nec Lamus* conjiciebat : ut Læstrygonum ille rex Scyllæ pater forte habitus fuerit. Sed ne sic quidem verba ad sensum commodum rediri posse video. *Nec malus est horum,* vel *historiæ,* conj. Heins. Ceterum cum tot de Scylla narrationes attigerit homo, miror omissum esse amorem Glauci, quem exposuerat carmine Hedyle poëtria in carmine Scylla : v. Athen. VII p. 297. B.—65. Admodum dure *Scyllæ* pro singulari : ut sit,

NOTÆ

54 sqq. Multi poëtæ Scyllam in Saxum Scyllæum, naufragiis infame, in Italiæ extremæ ab occidente oris, haud longe a Freto Siculo, mutatam narrant. Nota res est, de Scylla diversas fabulas tradi, et plures Scyllas ab aliis memorari, ab aliis confundi. conf. ad Ecl. VI, 74. Scylaceum, quod Scaliger et Taubmann. memorant, in altera Italiæ ora ad Mare Ionium, alienum est. conf. ad Æn. III, 553. *monstra conversa in Saxum Scyllæum* pro monstro. *canibus marinis,* quibus succincta erat Scylla. cf. Æn. III, 424 sqq. 431. 432.

Ipsi seu Lamie mater sit, sive Cratæis,
Sive illam monstro genuit Persea biformi,

alii aliam puellam ediderunt, quæ Homero Scylla esset. *Quæ dicantur* legi necesse est. Et nunc sic in Ms. Helmstad. legi video ; nunc et Heins. sic e Basil. Vulgo *dicuntur*.—66. 67. Corruptissimi versus. Vetus lectio est: *Ipsi Cratinei matrem ; sed sive Erichthei, Sive illam monstro genuit grandæva biformi.* Nec occurrit varietas, nisi quod in aliis, ut in Ald. 1517, Junt. 1520, *Gratinei*, et in Junt. 1532 *Ipse Cratem matrem, sed sive hanc sive Erychthei. Sive* etc. Ascensius *Cratin* legit, sed verum nomen est *Cratæis*. Odyss. M, 124 βοωτρεῖν δὲ Κραταιὴν, μητέρα τῆς Σκύλλης. Erechthei filia, quam intpp. Athidem esse aiunt (quæ tamen Cranai filia fuit; Pausan. I, 2, p. 7), aliena ab hac fabula est. Ut nunc leguntur versus (in Ald. 1534, ubi Lamio est), ex emendatione prodiere Jani Parrhasii, quam se Minutiano exprimendam typis dedisse narrat ad Claudian. R. Proserp. lib. III sub fin. Quam Virgilii editionem curaverit Minutianus, nondum cognitum habeo. Sed ex Parrhasii verbis illud satis constat, sine codd. et ex aliorum de Scylla narrationibus ab eo versus esse concinnatos: et quantum quidem intelligo, admodum pro lubitu, et perperam in hoc, quod tres matres pro binis intulit, cum sequatur *neutra parens*. *Scribit* etiam *Lamiæ* (vitiose haud dubie pro *Lamie*, Λαμίη pro Λαμία), et *Persæa*, cum *Persea* esse debeat, sub qua Hecaten intelligit, sicut in *monstro biformi* Phorcum. Nituntur hæc partim Apollonii verbis Argon. IV, 828. 829, quibus Phorcus et Hecate, cui Cratæis quoque nomen sit, Scyllæ parentes traduntur: Σκύλλης Αἰσονίης δολόφρονος, ἣν τέκε Φόρκυν Νυκτιπόλος θ' Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κραταιὴν, partim Grammatico vetere ad e. l., qui cum Homeri tum Aculilai auctoritatem sequi Apollonium notat, namque hunc Phorcynis et Hecates filiam edere Scyllam; in veteri autem carmine, ταῖς μεγάλαις ἠοίαις, Phorbantis et Hecates, in Scylla Stesichori *Lamiæ* filiam tradi eam. Heins. Scyllam ipsam Lamiam dici volebat, ut esset una e Lamiis, de quibus ad Petron. Fragm. Tragur. remittit, et refingit: *Ipsi seu Lamiæ mater sit sæva Cratæis.* Nec Heinsii, nec Parrhasii acumen improbo, sed in versu priore restituendo eos operam lusisse arbitror; nam in codd. *Lamiæ* vestigium nullum est; et utrumque: *Ipse Cratinei matrem*, et alterum, *sive Erichthei*, grammatici notam in margine ascriptam sapit: *Ipse Homerus Cratæin matrem tradidit.* Etiam in Ms. Basil. ad verba *Sed sive Erechthei* est superscriptum *Ipse.... matrem.* Alias, proxime ad verba, ad hariolationem expedita est via: *Ipse Cratæin ait matrem; sed sive Cratæis Sive illam* etc., digna tali poëta oratio. Quod *Perseam* attinet, potest illa locum tueri, si quidem apud Statium quoque IV Theb. 482 ita meliores libri, pro eo, quod vulgatius est, *Perseis*, habent. Perses enim ex Titanibus ortus, ex Asteria Hecaten genuit. v. Apollod. I, 2, 4. Hinc illa Πέρσεια, Περσηΐη, Περσηΐς recte dici potuit. Ex Julio Pomponio colligo, lectum ei esse: *Granena;* nam hæc iste ascripsit: "Volunt quidam hanc Scyllam fuisse filiam Erechtheidis, quidam filiam Granenæ et Tritonis." *Gravena* notatum quoque e Ms. Helmstad. video. Scaliger Parrhasianam lectionem et ipse retinuit, sed miris modis tentavit locum, sive ut legeret: quod et Taubmannus recepit:

Sive Cratæis ei mater de semine Erechthei,
Seu Lamie monstro genuit grandæva biformi.

sive ut esset:

Sive Cratæis ei mater, sive et Cretheis
Sic illam monstro genuit grandæva biformi.

Sed *Erechthei* nomini nullus hic locus; natum illud librarii stupore supra diximus. Nec magis *Cretheis* ex fabula ulla firmari potest; nam, quod *Cra-*

NOTÆ

66 Ordo sententiæ ab his usque ad v. 89 sqq. procedit: *Sed ipsi seu La-*

Sive est neutra parens : atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido ;
Sive etiam est jactis speciem mutata venenis,
Infelix virgo : quid enim commiserat illa ?
Ipse Pater nudam sæva complexus arena

this fluvium patrem Scyllæ prodidisse dicitur Martianus Capella, ex vitioso codice acceptum videri debet, cum *Cratæis* esset scribendum, uti emendavit Grotius lib. VI, p. 205. Est enim *Cratæis* vel *Cratais* fluvius juxta Scyllæum in extrema Italia, ut ex Plin. III, 5 constat : *Cratæis fluvius, mater, ut dixere, Scyllæ*. Varie corruptum nomen illud v. apud Intpp. Hygini f. 199 et Heins. ad Ovid. Met. XIII, p. 649. Nova ratione Scaliger refingit :

Seu Luna hunc monstro genuit grandæva biformi.

Monstra enim veteres e Luna demissa putasse, quod utique factum in Leone Nemæo probat. cf. Gesner. ad Claudian. p. 395. Wernsdorf. Poëtæ min. Tom. I, p. 276.—69. Male interpungebatur post *vitium*. Est enim ordo : Atque in toto hoc carmine vitium inguinis (libidinis immoderatæ) et Veneris libido descripta est. Canes scilicet, quibus inguine tenus cincta est, ad impudentiam caninam referebat ille quisquis hæc exposuerat allegorice. Lectio versus debetur Aldinæ. Vett. edd. *I. in vitium* et *inscripta*, unde Ascensius *vitium inguinis* de canibus subnatis accepit. *id vitium* Ms. Basil. *damnosa libido* vett. edd. apud Loënsem l. c.—70. *exactis venenis*. Non video quam commode dicatur. Scaliger quidem *exacta venena* vocat, ut medici ἀκριβῆ πυρετόν. Longius petitum hoc. Dicam clarius, esse venena explorata adeoque potentia. Taubmannus venena accuratissima, exquisitissima, et præsentissima exposuit. Sed latere puto aliud venenorum epitheton ; forte *Ææis venenis*, h. Circes Æææ ; ut passim poëtis mos est loqui. Aldina dederat *jactis*, quod et Ms. Helmst. legebat ; non male ; accedit Heinsii judicium. v. Ovid. Met. XIV, 55 sqq. Barthius Advers. X, 12 *ex jactis* emendaverat, parum scite ; immo *est jactis*. Heins. *hæc jactis*.—72. *Sive pater* vet. ed. apud

NOTÆ

mia mater sit, seu Cratæis, seu Persea, h. e. Hecate ; *sive illa allegorice est libido Venerea, sive puella a Neptuno oppressa et in monstrum mutata, sive puella quæstum corporis faciens : quicquid est, de ea potius agamus Scylla, quæ in cirim mutata est. Lamiæ* filiam tradiderat Scyllam Stesichorus. vid. Schol. Apollonii IV, 828. *Cratæidis* autem Homerus Od. M. 124. *Persea* est Hecate, Persæ ex Asteria filia. *monstrum biforme*, διφυὲς, Phorcys vel Phorcyn.

68. 69 Seu fabula Scyllæ allegorica est libidinis narratio. Simili modo eam interpretatur Fulgentius Planciades Mythol. II, c. 12 et Heraclides in Allegor. p. 496.

72 *Ipse Pater*, Neptunus, ex noto poëtarum more de Jove, de Plutone, et Neptuno. Is igitur Scyllæ vim intulerat : quam Amphitrite irata in monstrum mutavit corruptis *veneno*, quod h. l. per *sanguinem* declarari necesse est, aquis, in quas illa descenderet. Qua ratione id sit factum, non diserte exponit auctor Ciris, sed marinas aquas infectas narrare videtur, contra quam alii, qui fontem, in quo Scylla se lavaret, Amphitriten medicaminibus inquinasse narrarunt : ex quibus Tzetza rem exponit ad Lycophr. 45. 648. Circes artibus id factum traditur in vulgari narratione de Glauci amoribus apud Ovidium, Hyginum, et alios. 75. dum invehebatur mari *cura conjugis* : sive ipsa Amphitrite sive amata a conjuge pellex.

Conjugium caræ violaverat Amphitrites:
Attamen exegit longo post tempore pœnas,
Ut, cum cura sui veheretur conjugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum.
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes,
Et cupidos quæstu passim spoliaret amantes;
Piscibus et canibus rabidis vallata repente,
Horribiles circum vidit se sistere formas.
Heu quoties mirata novos expalluit artus!
Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus!
Ausa quod est mulier numen fraudare Deorum,
Edictam Veneri votorum vertere pœnam:

Loënsem l. c., sed perperam. Porro *nudam* ead. vetus ed. c. Aldd. Ex prioribus *timidam* iterum induxerat Pithœus et Scaliger. At *sæva arena* quis ferat? Leg. *flava arena:* frequens et elegans verbum. Nam *Ausonia arena* si legam, verendum est, ne longius sit petitum. Nodell. not. crit. p. 82 *sola arena* conjicit.—73. *canæ Amphitrites* Heinsius conjecerat, parum suaviter.—74. Iterum tres versus a mala manu submissos suspicor. *Has tamen* idem Heinsius emendabat, et alius vir doctus *Hæc tamen* Misc. Obss. Vol. IV, p. 318, quod et ipse malim. *Ast tamen* Basil. Ms. Greene legit: *Nec tamen*—et mox *Aut cum cura;* quæ non capio.—75. *Ut cum* ex Aldina fluxit. *Ut tum* edd. vett., item: *At cum*, et *cura suæ v. conjugis;* sicque vet. ed. apud Loënsem l. c. cum Ald. *cura tuæ* Ms. Helmstad. *suæ* etiam Ms. Basil. Jo. Schrader. conj. *Ut cum rore sui.*—76. *multo.* Heins. hariolatur, *immerito.*—78. *spoliaret.* Ald. *popularet:* docte ac vere. Ms. Helmst. corrupte *procularet* descripserat; recentior manus *procaret.*—79. *Pristibus et c.*, h. belluis marinis, emendare in promtu est.—80. *Terribiles* alii sp. Loënsem l. c.; idem emendat: *circumque videns.* Mox vulgo *vidit sibi.* Ms. Helmst. *circum vidit se*, nec male. Heins. conj. *videt subsistere* vel *videt se existere formis.*—82. *pertimuisse latratus* edd. vett. ante Aldum, inscite.—83. *Ausa quoque* Taubm. edit., nescio unde. *quod et* mavult Heins.—84. *Edictum* vett. edd. nonnullæ. *Edictam* Ms. Basil. Tum *notorum*, quod et ipsum illud Ms. habebat, emendabat Barthius, ut essent noti, amatores, qui cum Scylla consueverant: quorum *pœna* sint præmia, quæstus decimæ. Sed vid. Not. *avertere prædam* conj. Heins. *dictam Veneri* illustrat ex Petron. (c.

NOTÆ

77—88 Sive Scylla fuit puella eximiæ formæ, quæ corporis quæstum fecit et a Venere in monstrum marinum est mutata.

83. 84 Læserat, ad horum poëtarum mentem, Scylla meretrix numen, intervertendo et intercipiendo *pœnam votorum dictam Veneri* a juvenibus, quos illa amore sui irretierat. Spectat pœna ad reatum quasi votorum, quibus se obligaverant Veneri, quæque ipsi nunc erant persolvenda; sed juvenes ea, quæ ex voto debebant, aut voti solvendi causa Veneri destinaverant, ad puellam, quæ quæstum faciebat, apportabant. Scaliger aliter accepit: "τοῦ ἔρωτος, more Græcorum, debitam mercedem: an quod noluit persolvere decumas quæstus sui, quas voverat Veneri? sed tunc

Quam, mala multiplici juvenum quod septa caterva
Dixerat atque animo meretrix jactata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuisse,
Docta Palæphatia testatur voce papyrus.

132 extr.), ubi em. *Ipse pater Veneri dictis Epicurus in hortis Jussit.* Qui sequitur locus vix a primo interpolationis auctore profectus est. *prædam* vel *partem* etiam Jo. Schrader. conj.—85. 86 *Quam modo m.* Ald. At Scaliger ad Chronic. Euseb. *Quæ mala...Vixerat*, unde Taubm. recepit: quod parum placet, nec magis Heinsii: *male...quod...Vixerat*, vel *Vixit parque animo*, vel *æquata ferarum.* Lenior medicina esset: *Quam,...mala...quod...Struxerat*, tum pro *atque* malim: *ipsa animo m. juvenum quoque* ed. vet. apud Loënsem Epiphyll. VIII. 25. Mox *agitata* unde in Heinsianam et alias vulgatas venerit, ignoro: ubique editur *jactata.* Scaliger interpretatur docte θηριωδῶς ἐκμανεῖσα. Barthius Advers. XXIII, 9 *jactata erat* pro jactavit, dictum esse vult, qua auctoritate vel analogia, non intelligo.—87. *tali merito rumore* Cujacii et, Taubmanno monente, Paulli quoque Leopardi Emendatt. X, 24 emendatio est apud Scaligerum, pro librorum lectione: *tali meritorum more;* quam ipse Scaliger non improbare videtur, dum recte interpretatur: quod ita se in juvenes gessisset, quod ita de iis promerita esset.—88. *Palæpaphiæ* vel *Palepaphiæ* (quod ad Palæpaphon Cypri referebant interpretes) et *Pachynus* vel *Pachinus* vett. edd. cum codd. Quod nunc habemus, ex Jani Parrhasii emendatione profectum est, quam ad Claudiani R. Proserp. sub fin. testatur. cf. sup. ad v. 66. 67. Receptam eam jam video in Aldina 1517, quam semper intelligi in his carminibus volumus, quoties Aldinam excitamus. De *Palæphatia voce* dubitari vix potest; *papyrus* commoda quidem lectio, defensa quoque a Schotto Not. in Procli Chrestomath. p. 22, nec tamen dicta facile, quomodo ea in *Pachynus* abire potuerit. Scaliger eo nomine poëma seu opus μυθολογικὸν Palæphati fuisse suspicatur, quod de Siciliæ fabulosis multa continuerit, cum Pachynus Siciliæ promontorium sit. Verum, quod eam suspicionem juvet vel firmet, nihil occurrit; et monstra corruptelarum similia in vocibus, quæ librario notiores esse debebant, quam eæ, quas substituit, plura ad manum sunt; et *papyrus, charta*, frequens est certo poëta-

NOTÆ

melius legeretur: *avertere*, an, quod melius est, mercedem a juvenibus accipiebat, juvenes ipsos excludebat?" Hæc Scaliger; sed in poëtæ verbis vix ea latent. Scyllam de scorto avaro etiam Heraclitus de Incredib. cap. 2 exposuit.

85—88 Quam merito tali rumore infamem fuisse, recteque adeo illa de ea narrata esse, testatur Palæphatus, quod, septa meretrix multiplici juvenum caterva, atque animo ferarum (h. fero ac sævo) *jactata*, agitata, *mala dixerat*, fraudes, mendacia: quod latratum pro pœna Scyllæ mutatæ attributum respicere videtur. Sed cf. not. crit. Ceterum, cum de lectione *Palæphatia* vix dubitari possit, apparere videtur etiam hoc ex loco, nos verum Palæphatum non habere, et esse alterius auctoris libellum περὶ ἀπίστων, qui a nobis teritur; nam in hoc c. 21 diversa utique ratione, etsi satis inepta, de navi Tyrrhenorum piratica, fabula exponitur. Viderunt hoc jam Grotius et Scaliger. Nisi forte permutavit auctores poëta: nam is, qui nunc sub Heracliti nomine venit, περὶ ἀπίστων scriptor fabulam fere ad istum modum interpretatur. In eodem c. 14 occurrit simile quid de Sirenibus, quod sub Palæphati nomine profert Hieronymus Chron. Euseb. n. 848. Mirer tamen, homi-

Quicquid, et ut quisque est tali de clade locutus,
Omnia sint: potius liceat notescere Cirin; 90
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare, quæ, cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuistis præmia, Divæ
Pierides: quarum castos altaria postes
Munere sæpe meo inficiunt, foribusque hyacinthi 95

rum generi pro libro.—89. Vulgata erat *et ut quisquis* quod nec Latinum esset; verum *et ut quisque est tali de clade locutus*, legendum ex Aldina et e vet. editione apud Loënsem l. c., ac Ms. Helmst.; tum licebit accipere: *Omnia sint*, habeant se, ut volunt. Jejuna tamen hæc sunt omnia. Heins. divinat: *Quicquid et* (vel *id*) *est, tali quod quis de clade locutus, Somnia sunt*.—90. Scaliger cum Aldina minus bene jungit: *Omnia sint potius*, πάντα μᾶλλον. Tum *sunt* (quod et Ms. Basil.) et *crini* edd. vett. ante Aldinam, ut sit: *liceat Scyllam notescere crini*, propter capillum patris recisum.—91. *Atque liceat* (notescere), *Scyllam non esse unam ex multis puellis*, μίαν ἐκ πολλῶν, non esse ignobilem, ut bene Scaliger explicat, sed scilicet carmine meo inclarescere. Sic si juvetur oratio, etsi versus sunt parum politi, non desideres subjectam mox a Scaligero correctionem satis obviam, ut *novisse* pro *non esse* legamus: ut sit: et nosse Scyllam puellam. Laudat idem Theocriteum epigramma: εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν ἐμοὶ Συρακοσίων. Duriora dedere Barthius et Taubmannus: Scyllam non esse amplius puellam, sed avem: aut *non esse* pro fuisse, fato esse functam, perperam. Heins. *nunc scire* vel *cantare* conj.—92. *Quare et*. Melius abesset *et*. Nec habet Ms. Helmst. cum Aldina. *Quare æquæ* conj. Heins. Ms. Helmst. *cantus...cecos*.—93. *mihi cupido, meditanti mittere certos cantus* (*lévai φωνὴν, ἀοιδήν*). Sic jungenda verba. Nec tamen locum satis expedio, qui omnino ex Virgiliana vena profluere vix potuit; adeo invita versus Minerva procusi sunt; etsi sententia satis sit poëtica. *certos* cantus Barthius interpretatur veros: at parum apte. An ad fiduciam animi spectat vox, in quibus ipse certus auxilii sit? *cupido* non satis appositum videtur. *Præmia* ad favorem ac studium Dearum ac præsentiæ beneficium erunt referenda. In vett. edd. *Magnanimis* vel *magna nimis cupidis* (hoc et Ms. Basil.) *tribuisti pr. Diva*. Quod nunc legimus excusum primum video in ed. Aldina.—94. 95. Multa in his vss. laborant. vid. Not. Forte fuit: *quarum castos violaria* (vel *topiaria*) *postes Munere sæpe meo cingunt*. ex more religioso, ut

NOTÆ

nem nostrum ad Palæphatum provocare, cum notior ei esse deberet Callimachi auctoritas Fragment. CLXXXIV: is sive in Aἰτίοις, sive in Hecale, (ut Toup. Cur. noviss. ad Suid. p. 80 putabat,) Scyllam mulierem libidinosam ediderat: Σκύλλα, γυνὴ κατακῶσα, καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα. *Scylla, meretrix, nec falsum nomen habens*. Dixerat de eadem: πορφυρέην ἥμησε κρέκα, h. e. τρίχα, v. ad pr. 89 sqq. Verum cujusque modi hæc omnia sint, quicquid et ut quisque de iis narravit; equidem de ea Scylla agam, quæ in cirim mutata est. *Clades* videtur ipsa perniciosa puella esse: *fundi nostri calamitas*.

92—100 *Quare....Divæ Pierides.... nunc age, Divæ, nunc præcipue aspirate labori nostro*. Is ordo sententiæ: adeoque pravam interpunctionem emendavi.

94—95 De sacrificio Musis fieri solito agit: *quarum castos postes altaria sæpe inficiunt munere meo*. Ara in templi aditu vel vestibulo stabat;

Deponunt flores, aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alterna conjungens lilia caltha,
Sparsaque liminibus floret rosa: nunc age, Divæ,
Præcipue nostro nunc aspirate labori:
Atque novum æterno prætexite honore volumen.
Sunt Pandioniis vicinæ sedibus urbes,
Actæos inter colles et candida Thesei
Purpureis late ridentia littora conchis:
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara, Actæi quondam munita labore

conveniant seqq. Nec sacra Musarum alibi facile victimis fiunt.—96. Iterum hic mutavi distinctionem; erat enim expressum *f. h. Deponunt flores: aut s.* Sed melior, puto, ordo verborum: et *Deponunt* suos *flores* in *foribus* aut *hyacinthi aut narcissus...aut crocus...sparsaque liminibus floret rosa.* Fores templi sertis ac corollis se ornare ait. *Deponunt flores* ornate pro defloreseunt, *μαραίνονται*, quatenus suspensæ corollæ prostant. *Dependent* Ms. Basil., sicque conj. Heins. et Jo. Schrader. Emendatt. p. 57.—100. *pertexite* Ald. 102 *et c. Tensa* vet. ed., unde Calderinus nomen urbis in Peloponneso faciebat.—103. *late; latex* ed. Ven. 1484, perperam; etsi Calderinus agnoscit. *late* mavult Wakef. ad Lucret. II, 375. *radiantia* conj. Frisemann.—104. *non nulli* eadem, cum Ms. Basil. *non vidi* Junt. *non ulli* recte Aldina.—105. *Megara*

NOTÆ

lta, victimæ sanguine, postes ac janua templi aspergi poterant. Ita saltem ea, quæ habemus, interpretanda sunt. Sintne integra, alia est quæstio. Scaliger *inficiunt* ad nidorem refert: Κνισσῶσι. Durum hoc, meo sensu.

96. 97 Vestigia Virgilianæ Musæ: Ecl. III, 63 *suave rubens hyacinthus.* Ecl. II, 50 *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

101 seqq. Ornate. Inter alias Athenis vicinas urbes fuit Megara. Pandionem Athenarum regem fuisse notum est. *littora candida* propter marmor candidum; et *ridentia conchis*, accurate ad naturam loci: nam, quod Scaliger jam monuit ex Pausania lib. I, 44, totus ille tractus agri Megarensis lapide conchite abundat, candido admodum colore, cui plurimæ insunt conchæ marinæ.

105 sqq. Fabula Megarensium domestica v. Pausan. lib. I, 42 pr., quam jam Theognis attigit v. 771. 772. Alcathous Pelopis f. Megaram, seu verius acropolin, Nisæam, muris cinxisse ferebatur, Phœbo operæ consorte: unde seu saxum aliquod, cui Phœbi cithara fuerat imposita (sic Pausan. l. c. et Epigramma a Scaligero laudatum, quod vide in Anthолog. lib. IV, p. 490. Steph. p. 351. nunc Analect. To. III, p. 192. Jacobs To. III, p. 160.) seu turris erat, quæ lapillo percussa, in citharæ tactæ morem, resonabat (Ovid. Met. VIII, 14 sqq.) Alcathous *Actæus* h. l., quatenus Megarensis ager Atticæ pars haberi poterat, et olim in Atheniensium ditione fuisse credebatur; cf. Pausan. I, 39, p. 94. f. 95. Nam alioqui e Peloponneso advenerat Alcathous, Pelopis quippe filius.

Alcathoi, Phœbique; Deus namque adfuit illi:
Unde etiam, citharæ voces imitatus acutas,
Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus,
Et veterem sonitu Phœbi testatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis, 110
Fecerat infestam populator remige Minos:
Hospitio quod se Nisi Polyidos avito,
Carpathium fugiens et flumina Cæratea,

perpetuo usu plurali effertur: itaque *Stant* fuisse videtur. Sic etiam Heins. legit. Idem *Argæi*, aut potius *Argei*, *Alcathoi*, quia Argis venerat. Pelasgus dictus Ovidio. *Attei* Junt. *mutata* ead. cum Ven. 1484 et Ms. Basil., sed recte *munita* dedit Aldina.—106. *Alcathoë* eadem Ven. *Archadio* Junt. cum Basil., sed iterum emendate *Alcathoi* editum in Aldina. *Phœbique decus* Ven. eadem. *Phœboque decus* Junt., sed etiam hoc emendatum in Aldina.—107. Legebatur *imitantur*, scil. saxa, quod vix ex antecedentibus elicias. Si *Stant Megara* legeretur, posset eo referri. Legendum igitur aut *imitatur sæpe lapis: recrepat C. m. pulsus Et v.* Occurrit quoque *imitatur* in ed. Junt. 1533, sicque Loënsis emendaverat Epiphyll. VIII, 25, aut, quod magis placet, *imitatus*. Sic Heins. et vir doctus Miscell. Obss. Vol. IV, p. 319 correxerant; et sic jam legitur Ald. 1534.—109. *Ut v.—testetur* Junt. et Ascens. *amorem* conj. Nodell. Obss. crit. p. 39.—112. 113 Vetus lectio, etiam Mss., *Hospitioque senis* (vel *senisque*, Basil. *senio*) *hypolidosa victo*; et Junt. cum aliis interpolate: *Hospitioque seni fuit Hippolydosaque victo*. Errant fere inter has ceteræ edd. At Aldinæ: *Hospitioque senis hypolidos avito:* in quibus *Hospitio quo se Nisi Polyidos avito* facile agnoscitur. Scaliger hinc aliam lectionem extudit: *Hospitio qua se Nisus Pelopeus avito Carpathium fugiens et flumina Curetea Texerat:* ponit ille, quod nulla fabulæ auctoritas probat, Nisum ultro bellum intulisse Minoi, huncque injuriam acceptam ulturum venisse. Alia, sed parum probanda, emendatio secundum vestigia vet. editi libri facta Paulli Leopardi a Loënsi prodita est Epiphyll. VIII, 25 inverso ordine versuum:—*Minos Carpathium linquens et flumina Niseia. Hospitio cunum namque urbs Lelegeia Nisum Texerat* etc. Lectio, quam nunc vulgatam habemus, a quo primum in textum illata sit, ignoro: prolata est primum a Contareno Var. Lect. 8, propior illa ceteris ad literarum ductum (nisi quod pro *quo* malim *quod*), nec a fabula abhorrens, qua Polyidus vates, Glauco Minois filio in vitam reducto, Creta

NOTÆ

107 *imitatur* saxum citharæ sonum. *Cyllenia munera*, lyram a Deo Cyllenio, Mercurio, inventam. Lapis igitur pulsus, si percussus fuerit, *recrepat* lyram, h. resonat, imitatur sonum lyræ. *veterem Phœbi honorem:* videtur hoc eodem sensu dictum, pro munere, invento, Apollinis, cithara, cujus sonum saxum refert, adeoque memoriam lyræ ei impositæ servat.

110 *florebat* absolute: cum alias adjici soleat, laude, virtute. Sic Catull. *florentem Iacchum* absolute dixerat, scilic. annis, LXIII, 251, ob sempiternam juventutem: at Mitsch. Lectt. p. 110 floribus ornatum. *remige:* docte: nam cum classe advenerat Minos, cujus *θαλασσοκρατίαν* illustravimus in Commentar. Soc. R. Gotting. T. I, P. II, p. 71 sqq. 112. Causa belli Niso a Minoë illati memoratur, quod Polyidus, qui Creta anfugerat, a Minoë armis repetebatur.

Texerat. Hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretæa sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas
Ducere, et indomita virtute retundere mentes:
Responsum quoniam satis est meminisse Deorum.
Nam capite a summo regis, mirabile dictu,
Candida cæsaries; florebant tempora lauro;

aufugit (Apollod. III, 3), adeoque Megara proficisci indeque bello a Minoë repeti potuit. Legitur quoque Polyidus Megara venisse, ut Alcathoum de cæde Callipodis filii lustraret: narrantur porro ejus filiæ Megaris sepultæ Pausan. I, 42, p. 104. Quod *avitum* hospitium ait, potuit alias fabulas respicere, quas nunc ignoramus. Sed *Carpathium mare*, tanquam vicinum Cretæ, posuit pro Cretico. Sequuntur flumina *Cæratea*. Jam in vett. edd. *Ceratea*, quod Aldina quoque dedit, et *Cerathea* scriptum est. Scaliger in priore edit. legerat: *Carpathium fugiens pelagus et flumina Cretæ*, in altera vero: *Carpathium fugiens et flumina Curetea*, Græce ad verbum: Καρπάθιον λείπων καὶ ῥέματα Κουρήτεια, cum *Curete* antiquum nomen insulæ fuerit, mox *Crete*. Videtur tamen et ipse mox in Cæratea animo inclinato ferri; est enim fluvius Cretæ Cæratus ex Callimacho notus in Dian. 44 χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα. Alluebat ille Cnossum, cui urbi quoque olim ab eo nomen fuit. vid. Meurs. in Creta I, 8.—114. *Cothinius*, *Corthinius* vett. edd. *Cortinius* Aldina.—115. *sternebat* vix sanum. Heins. em. *terrebat*.—116. 117. 118 Obscura oratio, et, si recte judico, corrupta. *Turmæ volitantes ad muros infesto agmine* Megarenses esse non possunt; nam ii non *infesto agmine ad murum accedere* poterant, nisi dicas valde improprie esse: *ducere turmas ad muros*, ut muros conscenderent, defendendæ urbis causa. Verum nec *agmine* nec *infesto* convenit; ergo Cretenses sunt, et ad eosdem debent referri *mentes indomita virtute*. Ita vero claudicat sententia verborum in reliquis, quocumque te vertas. Heins. pro *Ducere* conj. *Reicere*, ut in Ecl. *Reice capellas;* aut ut *Ducere* sit pro trahere. Melius conjicias: *Sistere;* nisi totum locum sic refingas: *Sed neque—veretur Infesto—turmas Ducentem indomita virtute retundere mentes*. Ut *Ducentem* intelligas Minoëm. Suspicor versum tertium *Ducere et i. v. r. mentes* a seriore manu assutum esse. *volitanti ex agmine* Ven. ed. 1484 et Ald. cum Ms. Basil.; unde Heins. tentat: *v. examine. indomitas v. r. mentes* emendabat Lindenbruch et Heinsius; sed hoc tenue. Ascensius *non veretur* accipit *non curat*, negligit ducere turmas Nisus etc. In *mentes* potest latere videri: *Cretas*. Heins. conj. *Martem*.—119. *quoniam in fatis meminisse* conj. Heins. *fas est* Jo. Schrader.—121. *florebant tempora lauro* in medio interposita, dure quidem: nec tamen Scaligeri emendatio mollior, qui conjiciebat primum: *Candida cæsaries, florens interprete lauro*, h. divinatrice, qua reges redimiti esse solebant, postea autem: *C. c. florebat tempore longo*. Heins. varie tentabat: *Cand. cæsaries florebat tempore utroque*, vel *t. lævo*, l. *tempora in ambo*. In Basil. erat *tempore*. Jo. Schrader. *Candida cæsaries replebat tempora late*. Nolim operam perdere in suppositiis. A vetere poëta fuisse apparet tantum hæc: *Responsum—Deorum:*

NOTÆ

116 sq. Sed Megarenses et Nisus non cunctantur Minoi occurrere et muros urbis defendere: quippe capillo purpureo (de quo v. ad pr. Ciris) confisi etc., sed vid. Var. Lect.

At roseus medio fulgebat vertice crinis:
Cujus quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
Concordes stabili firmarunt numine Parcæ.
Ergo omnis caro residebat cura capillo;
Aurea solenni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebat dente cicadæ.
Nec vero hæc vobis custodia vana fuisset,
Nec fuerat: nisi Scylla, novo concepta furore,
Scylla, patris miseri patriæque inventa sepulcrum,
O nimium cupidis si non inhiasset ocellis!

Nam roseus medio f.—122. *At* Ald. 1534. Vulgo: *Et. fulgebat.* Scaliger ex vett. edd. *surgebat;* quod et Ms. Helmst. habebat cum Basil.—125. Versus ex Ecl. IV, 47. *firmarunt:* debebat esse *firmarant.*—126. *caro.* Ita Aldina. Edd. vett. cum Basil. Ms. *cano.*—127. *comtum quem* editum a Taubmanno, ex Ald. tert. (1534), ut Loënsem emendasse video l. c.—128. *ritu Corsellæ* vett. edd., vel *Corpselæ:* unde Scaliger refingebat *Cecropiæ,* cum olim *Cypsellæ* et *Tortilis et t.* legere voluisset. Sed emendatum *Mopsopio* jam animadverto in ed. Ald.; et sic Parrhas. ad Claudian. R. P. p. 2. b. legere jusserat. Felicius tamen his omnibus ex vetere scriptura veram lectionem eruisse arbitror Loënsem Epiphyll. VIII, 25 *Crobylus et tereti.* Nota res vel ex Thucyd. I pr. *Crobyliæ* conjecerat alius vir doctus in schedis Wolf., minus probe. *teretis—c.* malebat Heins.—129. *vobis:* ut ad Megarenses conversa sit oratio. Scaliger legit *votis.* Ms. Basil. *nobis.* Immo vero scriptum fuit *urbis. Nec vero hæc urbis custodia vana fuisset.* Etiam Heins. sic emendat.—130. *Nec fuerat.* Quid hoc loci habeat post *Nec fuisset,* equidem non assequor; nec minus jacet oratio, si subintelligas *ante;* nec fuerat vana ad id tempus. Nisi doctius urbis epitheton fraudem fecit: *Nec vero hæc urbis custodia vana fuisset Niseæ.* Saltem poëta: *Infelix nisi Scylla,* et pluribus aliis modis scribere poterat. Heins. conj. *Debuerat; si.* Voluit *defuerat.* Sic quoque Jo. Schrader. *Defuerat si S. novo concepta furore.* Frustra defendit hoc Barthius. Obvium est poëtam scripsisse *correpta.* Nunc hoc idem exhibere video Aldinam et Pith. Minus placet *novos concepta furores;* etsi sic in Culice quoque 265. Scaliger e libb. refinxit: *Femineis concepta decus.*—131. Male in fine versus plena interpunctio ponebatur in edd. De toto versu dubito an ab alia manu venerit. *infensa* vel *infesta* conj. Heins., nescio quo fructu.—132. Præclare Heins. *Minoëm c. si* vel *Minoa heu.* Sublegerat ei hoc jam Toll. ad Auson. p. 148. Ita vero *nisi—si non* se excipiunt. Unde Jo. Schrader. Emendatt.

NOTÆ

128 *Cujus—natura,* pro qui crinis. Barthius Advers. XXIII, 9 laudat ex Avien. Perieg. (v. 57) *pigra ponti Se natura tenet,* h. pontus.

127. 128 Fibula aurea nectebat eum crinem dente tereti cicadæ. Erat scilicet fibula in cicadæ formam facta *ritu* Attico. Nota nunc res, Athenienses τεττιγοφοροῦντας fuisse; habuisse cicadam auream crinium cincinnis innexam. Post Scalig. et Taubmann. ad h. l. et Meurs. v. Perizon. ad Ælian. IV, 22. Sed princeps locus est Thucyd. I, 6.

Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Jupiter: ille etiam Pœnos domitare leones,
Et validas docuit vires mansuescere tigris;
Ille etiam Divos, homines; sed dicere magnum est;

p. 58 malebat: *O nimium cupidis Minoi inhiasset ocellis.*—135. Quæ sequuntur ad v. 138 ab interpolatoribus inserta suspicor.—136. *vires m. tigris;* Scaliger maluit ex vett. edd. *victas m. tigres*, quod et in Basil. Sed durum id post *validas*. Etsi hoc *validas* vix ipsum sanum est, latere enim videtur solenne tigrium epitheton, *rabidas*. Heinsius in notis ineditis apud Burmann. ad Anthol. T. I, p. 19 emendabat: *Et rabidæ docuit vires mitescere tigris.* Et 137 *Divos homines*, ut hic interpungitur, Deos et homines mansuescere docuit Amor. Alii junctim *Divos homines* exhibent, h. e. Deorum filios, heroës. Sed cum priore ratione melius convenit quod sequitur: *sed dicere magnum est;* ut

NOTÆ

133 Non ignobilis de Amoris potentia locus, etsi a multis tractatus, et alienus forte ille ab hoc loco, cum ira Cupidinis nullum in seqq. locum habeat: quo tamen viam sibi poëta struit ad ipsam narrationem a v. 139 sqq. Quæ tamen inde sequuntur omnia sunt fœde corrupta et interpolata usque ad 163. Obscura quidem res est, sed Scyllam apparet religionem Junonis violasse, cum inter lusum pilæ cum æqualibus in loco sacro ulterius, quam fas erat, processisset. Ita evenisse, ut Minoëm prospiceret ejusque amore capta insaniret. Nec vero apparet e poëtæ verbis: peccatumne fuerit in hoc, quod locum sacrum et arcanæ religionis imprudens adierit; an quod nudaverat corpus; qua quidem re Junonem tantopere exarsisse quis non miretur? ferres, si Diana aut Minerva esset. Nostri poëtæ multa haberent, quibus hæc probabiliter fingi possent. De ludis Junoni, quales Paus. v, 16 memorat, institutis agi non videtur. Quid? quod nec Junonis templum aut præcipua aliqua religio Megaris fuisse videtur. Certe Pausanias ne ædem quidem vel signum Junonis in ea urbe memorat. Videtur aliquid de perjurio puellæ attingi, quo Junonem læserit. Sed locus tam stribliginosus est et interpolatus variis versificatorum lacinils, ut nihil habeas cui satis confidas. Expectabam cum Scaligero, ut studio ludendi provectam ad ipsa urbis mœnia pervenisse diceret puellam poëta, unde illa cum prospiceret, Minois amore esset correpta. Sed in poëtæ verbis nihil, quod eo ducat, video. Poterat a poëta causa iræ Junonis ex eo astrui, quod Minos Jovis erat filius ex pellice. Nec illud satis dilucide exposuit poëta, quare et quatenus amor Junonis iræ ac vindictæ in amore puellæ injiciendo indulserit. Veneris impulsu Minoëm a Scylla amatum esse prodiderant alii, quos Hygin. sequitur f. 198. Monili aureo inductam Scyllam Æschylus: vid. sup. ad pr. Ciris.

134 *pater atque avus idem Jupiter.* De hoc v. docta disputatio Valkenarii ad Eurip. fragm. p. 159. add. Musgravii ad Hippol. 539. Scilicet a diversis poëtis Venus Jovis filia et eadem mater Amoris e Jove tradita fuerat; unde nunc lusus. Jungenda autem: *Sed malus ille puer,—Idem tum tristes a.*

Idem tum tristes acuebat parvulus iras
Junonis magnæ: [cujus perjuria Divæ
Olim se meminisse diu perjura puellæ
Non ulli liceat:] violaverat inscia sedem,
Dum sacris operata Deæ lascivit, et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans.
Necdum etiam castos agitaverat ignis honores,

quasi præfiscini dictum esse velit: ne temerarium quid et quod Nemesis ulciscatur, dixisse videatur. cf. Barth. Advers. XXIII, 9. *Ille etiam Dives omnes* conj. Heinsius apud Burmann. l. c.; ut postea versus exciderit: cui subjungatur: *sed dicere m. est.* Sed totus versus Scholasticum, qui nova exempla ascribere volebat, redolet.—138. Distinxeram plene ad finem versus: ut diceret primum de Superis universe, quod mox de sola Junone locum habet: et mox jungebam: *Junonis magnæ violaverat sedem.* At nunc mutavi. *iras Junonis* acuit Amor. Porro legebatur: *Idem tum Superis.* Heins. conj. *super his, in superis, e superis. Idem cum superis* edd. vett., vel *quum.* At Aldina: *Idem tum tristes a. p. iras Junonis m.* Sicque Ms. Helmst. et Jul. Sabinus legerat. Et hoc esse verius arbitror.—139....141. *cujus perjuria Divæ...Non ulli liceat.* Sensum idoneum nemo facile ex his versibus extundat: et, si recte judico, assutus est pannus ex grammatici, experientis vires ingenii in compingendo versu, nugis in margine ascriptis. Scaliger misere se torsit, ut hinc proferret hunc sensum: cujus puellæ perjuria, o Musæ, nemini fas meminisse. Sed iis rescissis sententia sic sese expedit: *Idem tum tristes acuebat parvulus iras Junonis magnæ: violaverat inscia sedem.*—139. *per jura Divæ* ed. Fabric. Heins. tentat: *cujus per ludicra Divæ:* vel *fera jurgia.*—140. *se meminere* edd. vett., etiam Ald. cum cod. Basil., et *per jura...tum nonnulli.* Heins. tentat: *O nolim meminisse:* ut Ovid. Fast. *Ah nolim victas hoc meminisse Deas:* vel *Hoc nolim m.*, vel *Nolim te meminisse tui;* et porro *jurare* vel *temerare puellæ Non ulli liceat.* Pœnitet acuminis in tam pravis versibus. *Non nulli* vett. edd. *lutam* Ms. Basil., unde Heins. conj. *licitum.*—143. *caterva* edd. vett. et Aldd. *catervam* inde a Juntina: hoc verius.—146. F. *Nondum jam.* Tum *agitaverat* ortum ex *agitante* sup. versu; Heins. conj. *adoleverat.* Sane *gus-*

NOTÆ

141 *sedem* de templo et τεμένει accipe. *sacris operata Deæ lascivit*, sacris factis puella cum æqualibus ludit. 144. 145. Veste igitur recincta, soluta, incedit, ut auram, qua recreetur, excipiat.

146. 147. 148 Obscura sententia, quam nec Scaliger habet quomodo expediat. An, inquit, nondum initiatam sacris Junonis intelligit, cujus ageretur ἀγὼν quidam λαμπαδοῦχος; an nondum sacra ab antistita patrata —an potius nondum nupsisse intelligit? Media sententia vero propior videtur: etsi, quæ in ea violatæ religionis causa lateat, non assequor. Videamus verba: *honores ignis castos nondum agitaverat* sacerdos, h. e. nondum flabello aura agitata ignem succenderat in ara. *nec dum solenni— olivæ*, h. nec ea rite lota caput ex more sacrorum sertis et infulis velaverat.

Necdum solenni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivæ :
Cum lapsa e manibus fugit pila, cumque relapsa
Procurrit virgo : quo utinam ne prodita ludo
Aurea tam gracili solvisset corpora palla !
Omnia, quæ retinere gradum, cursumque morari
Possent, o tecum vellem tua semper haberes !
Non unquam violata manu sacraria Divæ,
Jurando infelix nequicquam jura piasses.
Et si quis nocuisse tibi perjuria credat,

---

taverat emendabat Loënsis l. c. cap. 26 ex Aldd., quod et Ms. Helmstad. legebat. Accipi hoc potest : *ignis nondum gustaverat honores*, h. victimam. —148. *Pallentis*. Ed. Pithœi *Pallantis* an *Palladiæ?* inquit Heins. ; sed f. *Albentis*. Quorsum tamen hæc : cum ipse Virgilius *Pallentem olivam* dixerit : vid. Ecl. v, 16. —149. *relapsæ* vel *relaxæ* vett. edd. Sed recte *cumque relapsa*, scil. pila procurrit virgo. At Heins. em. *cumque relapsa est*.—150. *quod uti ne p.* Aldd. et Ms. Helmst.—151. *Aurea tum* forte legendum. *jam* vett. edd. et *pallam ;* etiam Aldinæ. *corpore pallam* Ms. Helmst. Cum cl. Jacobs auspicor fuisse scriptum : *Auratam gracili solvisset corpore pallam*. Heins. conj. *Aurea tam graculi solvisses corpore pallam !* Greene : *Ast utinam ne...Auratam gracili solvisses corpore pallam !*—152. sq. Interpunctione ac distinctione locum ita constituisse arbitror, ut aliqua saltem exeat sententia, etsi poëta venustiore vix digna. *Vellem o haberes* (habuisses) *tecum tua omnia* (de vestimentis intelligendum ex v. 151), *quæ retinere gradum cursumque morari possent* (ne discincta procurrere auderet) : *Ita non piasses nequicquam jurejurando* (ita lego), *o infelix, sacraria Divæ non unquam violata manu tua esse ;* ut penetrale ingressa illa, quod adire nefas erat, frustra postea jurarit, se manu res sacras non contrectasse. *Piare* videtur nove positum, pro purgare se, amovere culpam a se. Sequentia vss. 156. 157 assuta arbitror ab alio, quam qui superiora male inferserat. Voluit is urbanus videri : posse forte aliquem auspicari puellam pejerasse, eaque culpa sibi Junonis iram conscivisse ; sed falsum hoc esse : causam piam fuisse, h. e. Junonem, benevolentia in puellam permotam, cavere voluisse, ne, si illa intraret in Deæ penetrale, Jovis in conspectum veniret ; facile enim illum Deum adduci potuisse, ut insidias faceret puellæ pudori. Hæc aut similia videtur voluisse is, qui hæc intexuit, ineptus forte clericus, vix digna, ut in iis hæreas. Quod Scaliger suggerit, nimis acutum est : maluit te hoc modo punire Juno, quam Jovi te excruciandum tradere, qui solus perjuria ulciscitur.—152. *cursusque* Ald. cum Ms. Helmst. et Basil. —154. *Non u. v. manus :* agnoscit idem et Jul. Sabin.—155. F. *Jurando jure*. Heins. *Infelix ne quid jurando jure piasses !* Conjicias melius : *Juranda...jure piasses*. Nam piatur perjurium. Hoc et Jo. Schraderum maluisse video.

NOTÆ

150 *prodita* eleganter, in errorem, fraudem, inducta.

152 Obscura et hiulca tota hæc oratio. Utinam veste impedita, retenta fuisses, quominus longius procederes ! Sic nunquam violatæ religionis pœnam dedisses. Si modo ea per perjurium declarari potest ; perjurii tamen proprie dicti nulla hic subest ratio. vid. Var. Lect.

Causa pia est: timuit fratri te ostendere Juno.
At levis ille Deus, cui semper ad ulciscendum
Quæritur ex omni verborum injuria dicto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra,
Heu nimium tereti, nimium Tirynthia visu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quæ simul ac venis hausit sitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in ossa furorem:
Sæva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,

Tum vero scribam: *Juranda infelix aut unquam jura piasses!*—157. *Sontica causa est* em. vir doctus in schedis Wolf. Non video qua metri cura.—158. *cui s. adolescentum* vett. edd. ante Aldinam cum Basil. Ms. Iterum impetiginem suam affricuit sequentibus Scholasticus aliquis; et forte ab initio totus locus his versibus solis constabat: *At levis ille Deus, depromens tela pharetra, Virginis in tenera defixit mente sagittam.* Nam quæ tandem hæc oratio: *ex omni dicto quæri injuriam verborum!* Ceterum pro his, quæ assuta sunt, excidisse videntur alia, quibus Minoëm puellæ conspectum narraret poëta.—161. 162. Manifeste corrupti versus nec sine libro sanandi. Vs. 161 *Heu nimium... visu* omnino insititius est. In Ms. Helmst. *Heu n. terret.* In edd. vett. pro *tereti, terei*, et pro *visu, nisu* vel *jussu* (hoc et in Basil. Ms.) legitur; unde Scaliger refingebat: *Heu nimium Terei, nimium Tirynthia visa:* tela non puerilia, sed Herculea et qualia Tereus in Procne expertus erat. Mox eo damnato tentabat: *Heu nimium celeri, nimium torrentia nisu.* Barthius *Tirynthia in Gortynia* mutabat. *nimium certo nimium ferientia nisu* vel *missu* vir doctus ap. Jo. Schrader., qui tentabat: *nimium celeri, nimium torrentia nisu.* Heins. *nimium penetrantia nisu*, vel, *certis nimium penetrantia jussis.* Jo. Schrader. *parentia* substituit.—162. *interea* vett. edd. ante Aldinam. *interna* Loëns. l. c. emendabat: apud eundem *Virgineo* scribitur. *omnia* sc. tela. *defixit acumina* conj. Heins.—165. *Ciconum Bistonis in oris.* Est Aldina lectio. Cum alii Βιστονίδα scribant scriptores, solus est Apollonius I, 34 Πιερίῃ Βιστωνίδι, cujus auctoritate producta h. l. media in Bistonis syllaba defendi possit. Accedit Stephani Byz. in Βιστωνία auctoritas, qua Bentleius quoque ad Horat. I Carm. 25, 11 vulgatam h. l. tuitus est. Si tamen vett. edd. conferas, et vitium ex iis et medela in promtu est. Nam ut Ms. Helmst. taceam: *gelidi Sidonum Bistonis honoris*, Ms. Basil. *Sidonum Biston honores;* in Ven. 1484 *gelidi Cidonum Bistonis honoris;* in Norimb. *Sindonum;* in Junt. et aliis *gelidi Sithonum Bistonis ore.* Quis non *in* male irrepsisse, eoque sublato, *gelidis Edonum Bistonis oris*, Ἠδόνων νιφόεντα κατ' οὔρεα Βιστονίς, facile agnoscat? et sic Scaliger quoque emendavit, sicque Heins. in schedis. Bistones et Edones vel Edoni Thraciæ circa os Hebri et Ismarum montem sæpe occurrunt apud poëtas. conf. Æn. XII, 365. Bentl. ad Horat. III, 25, 9.

NOTÆ

159 *ex omni verborum dicto:* est ex Scaligeri sententia *dictum* h. l., ut *ἔπος*, res; sed potius ad jusjurandum voluit referre inscitus homo, qui hos versus seu struxit seu interpolavit: *injuria verborum*, offensio.

161. 162 Vid. Var. Lect.

163 Comparat Scaliger Catull. LXIII (Epithal. P.), 91 sq. add. Apollon. III, 280 sq., et ad v. 165 Nicand. Alexipharm. 217 sqq. Ἡ ὅτε κερφοφόρος etc.

Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe;
Non styrace Idæo fragrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens baccata monilia collo.
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu.
Sæpe redit patrios ascendere prodita muros;
Aëriasque facit causam se visere turres.
Sæpe etiam tristes volvens in nocte querelas,

Broukhus. ad Propert. I, 3, 5 et alios. Ceterum simili modo Sithones se habent: in poëta est *Sithoniasque nives*, et Ædonides *αἱ τ' ἐπὶ βήσσῃ Σιθονίῳ κοίρῳ ἐπὶ μόριον αἰόζουσιν* apud Parthen. c. 11. Et sunt tamen Steph. Byz. Σιθόνιοι. vid. ad Ecl. X, 66.—166. *Jactave* ed. Scot. Fabric. F. *tactave* Heins.—168. *Et*, *aut*, perperam alii; et vulgo *storace*, ut seriore ævo scribebant. *picta capillos* non intelligo; f. *uncta*; et *fragrantes capillos* haud dubie, non *flagrantes*; ut in vett. edd. Video quoque laudari e vett. *vinctos perfusa capillos*. Heins. *tinctis*, vel *tacta*, vel *lauta* tentabat; *tincta* Jo. Schrader. et Jacobs.—169. *Sicyonia* primum apparere video in Aldina: restituerat jam Leopardus in Emendatt. I, 11, cum in vett. edd. esset *sic omnia*. Sicyonii calcei noti sunt. conf. Taubm. *τὰ Σικυώνια*, scil. *ὑποδήματα*. Male *Cognita* ad superiora retrahunt vulgg. edd.; nam sunt *Sicyonia cognita*, ut alias *nota*, quibus illa utitur; epitheton ornans. Scaliger post Ascensium, ut video, refingebat *Condita*, quibus conduntur pedes, et Leopard. l. c. *Commoda*. Lenzius, doctus juvenis, ad Catulli Epith. Pel. e Catullo (63, 129) conj. *Mollia* vel *Tegmina*. Si semel a scripto recedere ausis, multa alia scribere liceret.—170. Perperam *bacchata* retinent edd. recentiores. *Baccatum monile* ipse Maro dedit Æn. I, 655.—172. *prodita*, scil. amore. Sed vix hoc omitti poterat. Leg. *perdita*, ut sæpe amantes dicuntur. Sic inf. 428. Ita quoque emendasse post Dousam jam alios nunc video Jortinum Misc. Obss. Vol. IV, p. 319 et Heins. in schedis. At Jacobs non male conj. *percita*. Græce extulit *redit ascendere* (redit, ut ascendat), et *fucit causam se visere*, prætexit, comminiscitur causam, ut visat. Etsi hoc valde scabrum. Heins. quærit in verbis *per causam*, ut ap. Ovidium sæpe, v. c. *Candida per causam brachia sæpe tenet*. Ita scribi possit: *Aëriasque parat per causam visere turres*, vel *Aërias quærens per c.* Enimvero totus versus est ex variatione antecedentis natus. Greene legit: *Se sæpe aërias causatur reddere turres*, ut sit: *She blames herself, that she visits the citadel.* Estne *causari* objurgare? an voluit *accusat*? et quid est *reddere*? voluitne *scandere*?—174. An olim fuit: *tristes volvens in pectore curas*.—175. *amorem*

NOTÆ

166 *Ictave*, h. tibia Phrygia audita stimulata et in furorem acta. Alias Gallos nominare solent poëtæ. Forte h. l. una ex Mænadibus intelligenda, cf. Catull. LXII (de Aty), 22 sq.

167 Cf. Æn. IV, 300 sqq. de Didone, et VII, 376 sq. de Amata. Sed sqq. adumbrata sunt ex Catullo XXIII, 63 sqq.

168 *Styrax*, frutex et succus seu gummi officinis adhuc nostris pharmaceuticis frequens, *storax* vulgo dictus, ex Syria plerumque petebatur. Plin. XII, 17, 40. Styracem Idæum, h. Creticum, Plin. XII, 17, 40. Plinio parum probari lib. XII, 25, 55, jam a Scaligero notatum est.

Sedibus ex altis cœli speculatur amorem;
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit: carum nec respicit aurum.
Non arguta sonant tenui psalteria chorda;
Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.
Nullus in ore rubor. Ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis,
Tabidulamque videt labi per viscera mortem:
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur; et horribili præceps impellitur œstro:
Ut patris, ah demens, crinem de vertice ferret
Furtim, atque arguto detonsum mitteret hosti.

de amato Minoë accipere licet sane; ita vero illud durum, ut *ex altis cœli sedibus* sit, desuper ex turri. Scaliger refinxit: *cœli speculatur ad orum*, unde dies solet existere, cum diei ortum illam optare necesse esset. Vir doctus in Misc. Obss. IV, p. 320 *secum speculatur* arripuit inf. ex v. 469. Broukhusius *cœli amores* legebat et stellas intelligebat, in quas virgines olim essent mutatæ. Tandem ibid. alius vir doctus *cælo* corrigit, nihil tamen expedit. Equidem, si vestigiis scripturæ *cœli (celi)* inhærendum est, lego: *Sedibus ex altis tecti*, h. ex edita domus parte. Jacobs noster in *cœli* (Specim. Emendatt. p. 79) quærebat *oculis*.—177. *movit* ed. Junt. *nubit* conj. Scalig.; esse enim *colum nubere στέφειν* (scil. lana inducere ac vestire, mox nendo deducenda, quomodo Catullus LXIII, 311 *amictam*, Plinius *comtam colum* dixit). *novit* Heins. Sed *novit* et *respicit* sibi respondent. *nulla* pro non, ut alibi, antiquum esse aiunt. Est Græcis, et inde poëtis, frequentatum. *aurum* sive ad texturam, seu, cum de ea vs. 179 demum agatur, ad ornatum et mundum muliebrem spectat, etsi eum hic non expectabam; nec omnino satis cohærent membra. Illa, inquit, non curat colum, non aurum, non psalterium, non texturam. Forte vs. 179 saltem præmittendus versui antecedenti.—179. *Lycio* vel *Lydo* em. Heins. At vid. Not. *clauduntur* male edd. Plant.—180. *obstat amanti* ap. Jul. Sab. legitur. Heins. conj. *superat* vel *suberat*, ut ap. Ovid. in Ep. Acont. *Quique subest niveo lætus in ore rubor*. Jo. Schrader. *nisi cum pudor obstat amori*. Totus versus ex interpolatione conflatus est.—185. *ferret* primo editum in Ald. 1534. Legebatur olim etiam in Ald. *servet*. Tum *ah serum*, h. diu servatum, legisse videtur Jul. Sabinus. *Ut patrio demtum cr.* Jo. Schrader., præclare; modo esset quod cogeret nos refingere. conf. v. 281.—186. *Furtimque a.* Aldd. *arguto hosti*. Dictum esse necesse est pro vafro et callido. *astuto*

NOTÆ

179 *Libyco pectine*: citrino vel lotino, ait Scaliger. Malim cum Taubmanno de eburneo accipere. Æn. VI, 647 *pectine pulsat eburno*. Nam et *ebur* ex Libya. Julius Sabinus Palladios interpretatur, quia Minerva Tritonia a Libyæ palude Tritonide dicta: quod nimis subtile. *plauduntur*, pulsantur adducto pectine, quo densantur licia, *κροτοῦνται*. Latus *plaudi* dictum simili modo a Tibullo II, 1, 66, ubi vid. Obss.

180 Laudatum jam ab aliis tanquam ex Ovidio: *Non bene conveniunt pudor atque amor*. In nostro vereor ne nimium acumen illatum sit.

Namque hæc conditio miseræ proponitur una.
Sive illa ignorans: quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanto scelere damnare puellam?
Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodest?)
Nise pater: cui, direpta crudeliter urbe,
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido.
Tu quoque, avis, moriere: dabit tibi filia pœnas.
Gaudete, o celeres, subnixæ nubibus altis,
Quæ mare, quæ virides sylvas, lucosque sonantes
Incolitis; gaudete, vagæ blandæque volucres;
Vosque adeo, humani mutatæ corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellæ

quoque Heins. conj. Scaliger videtur pro pulchro, formoso, accipere. Expectabam epitheton Minois gentile vel patronymicum: *Gnosiaco, Dictæo. ademtum mitteret* Ms. Basil. Ita melius: *crinem de vertice ademtum Furtim.*—187. *conditio miseræ proponitur.* Lectio hæc ex Aldina fluxit. Vett. edd. *nisi rapto opponitur.* Alii *c. raptori opponitur;* unde Scaliger, etsi vulgatam non damnabat, conjiciebat: *Namque hæc condicti ratio proponitur una:* quod elegantius esse nemo non videt; nam iis, quibus arcem aut urbem prodituri sunt, proditores *condicere* et *constituere* recte dicuntur. Barthius *miserandæ opponitur* tuetur; parum scite. Heins. *conditio miseræ proponitur una* vel *ultro Criminis ignaræ;* et ex Basil. Ms. vestigiis *nisi apto opponitur una* refingit: *Niseidi ponitur.*—188. In sqq. iterum lacinias ab ineptis poëtastris assutas agnoscere mihi videor. *quis enim non omnia malit Credere* conj. Heins.—189. *tanto scelere* etiam Aldina. Alii *scelere tanto.* Barth. conj. *sceleri*, non male, ut parti, capiti, et alia sexto casu occurrunt. Multo tamen magis obvium est refingere: *tanti sceleris.* Sic quoque ed. Junt. et Ascens. Eadem Heins. tentat; et, *scelere infamare.*—190. *Tu tamen* malit vir doctus Misc. Obss. IV, p. 321. *prudentia* Ald. ed., quod Grævius probabat; tum ante illam *potest*, et mox *N. pater cum quo d.*, et 192 *Vixerat una semper* vitiose scriptum.—193. *conscendere* vett. ante Aldinam cum Basil. Ms., in quo et *exstincto.*—194. Ineptus versus. *Tu quoque avis moriere:* tu, o Nise, in avem mutaberis ante diem supremum. *filia* tamen *tibi pœnas dabit*, quippe et ipsa in avem mutata, quam haliæetus pertinaci odio persequitur. Sed totus locus a mala manu interpolatus est, ut otium in eo castigando perdere pigeat.—196. *Aëra quæ* conj. Heins.—197. *vagæ laudate v.* Ms. Helmst.—198. *Usque adeo* vett. edd. cum Ms. Basil., et mox *Vix o crudelis;* hoc *crudelis* etiam Ms. Helmst. Loënsis corrigebat *Atque adeo.*—199. *crudelis* Ms. Basil., saltem *crudeles.* Hoc

NOTÆ

188 *Sive illa ignorans*, scil. hoc fecit, ut crinem Niso patri auferret, cum nesciret fata regni in eo esse posita.

195 Non male inventa, quæ sequuntur. Nam si Nisus Pandionis II. Athenarum regis fuit filius, Philomelam et Procnen, Pandionis I. filias, quarum altera Tereo, Daulidis regi, nupta fuit, ei cognatione conjunctas fuisse necesse est. *Vos, o puellæ Dauliades, crudeli fatorum lege mutatæ* (κατὰ) *artus corporis humani.*

Dauliades, (crudele) venit carissima vobis
Cognatos augens reges numerumque suorum
Ciris, et ipse pater; vos, o pulcherrima quondam
Corpora, cœruleas prævertite in æthera nubes,
Qua novus ad Superum sedes Calcheius, et qua
Candida concessos ascendat Ciris honores.
  Jamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat; vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio jactabat inani:
Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia tentat;
Et pressis tenuem singultibus aëra captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur; ferroque manus armata bidenti
Evolat: at demtæ subita in formidine vires.
Cœruleas sua furta prius testatur ad umbras.

versu melius carebit carmen.—200. *crudele.* Præclare Scaliger emendat: *gaudete;* quod et Heins. probat, nisi quod tentat: *Dauliades querulæ, venit en c.* Mox *numerumque sororum* conj. Barthius.—203. *præverrite* em. Heins. *in æthere* Jo. Schrader., probe.—204. *novus ad Superum sedes Haliæetus* vere utique a Scaligero restitutum arbitror, ut ab eo iterum discessisse editores mirer. In idem acumen jam ante Nic. Loënsis VIII Miscell. Epiphyll. 26 inciderat. Heins. tamen: *ad sedes Superum Alcathœius heros.*—205. *accedat* idem Loënsis, probat Heins. Forte lenius foret: *et qua Candida concesso succedat Ciris honore,* scil. ad Superum sedes.—206. *devictus* vett. ante Aldinam. Utrumque ferri potest: melius tamen *devinctus.* Nimis nota hæc sunt quam ut verbum addere necesse sit. Jam Homer. Od. Ψ. 17 *ἐπέδησε φίλα βλέφαρα... ὕπνος.*—207. *primas Excubias* conjiciebat Lindenbruchius, ut temporis esset, non loci, notatio.—208. *ductabat* Heins. ad Ovid. Fast. III, 245. *Jactare* tamen præstat, quia studio *inani.* v. Not. Ecl. II, 5 *hæc montibus et sylvis studio jactabat inani.*—211. *Et primum t.* Ms. Basil.—214. 215. *ac d.* male Heinsiana et aliæ edd. *testantur* nescio quis primus intulerit; video jam in Pithœana. Ita *vires demtæ testantur* jungenda sunt. Subita, ut in ardua re, præ metu, virium defectio prodit consilium ejus occultum. Vetus lectio est, etiam Aldinarum, *testatur;* ita oratio sic procedit: *At* (Scaliger sic malebat *Ut,* simulac) *demtæ* (sunt) *subita* (nam *in* sublatum malo) *formidine vires. Cæruleas* (scil. illa) *sua fata prius testatur ad umbras,* vota facit ad Deos, quod vss. 218. 219 disertius exponitur. Sic alias precantur homines *ad auras. Umbras cæruleas*

NOTÆ

206 sqq. Qui sequitur locus magno poëta dignus videri potest.

208 *studio jactabat inani,* excubias agebat: sed respectu Scyllæ, quæ eos fefellit.

212 Ovid. Fast. I, 425 *Surgit amans, animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu.* Mox *ferrum bidens* int. forficem.

Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paulum remoratur; et altum
Suspicit ad culti nutantia sidera mundi,
Non accepta piis promittens munera Divis.
Quam simul Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo)
Corripit extemplo fessam languore puellam:
Et simul, O nobis sacrum caput, inquit, alumna!
Non tibi nequicquam viridis per viscera pallor
Ægrotas tenui suffudit sanguine venas;
Nec levis, hoc faceres (neque enim pote), cura subegit:
Haud fallor, quod te potius Rhamnusia fallit.

dixit ut νύκτα κυανέην, κυανέαν ὄφρναν.—218. *ad culti* primum ab Asculano excusum video, pro vitioso *ad cœli*. Cultum mundum de cœlo dici posse non inficior: tamen id orationem male affectatam sapere videtur. Malim *ad celsi...mundi*; hoc et Heins. conj. Tum *nictantia sidera* cum Scaligero et Ms. Basil. præferam, scintillantia. Alius est *mundus pondere nutans* in Ecl. IV, 50. Heins. *rutilantia*.—219. *piis Diis*. Greene: *a whimsical expression; it should be: pie*. Dubitare non debebat: si meminisset vel illud Æn. IV, 382 *si quid pia numina possunt*, h. benigna, bona.—220. *Carme* scribendum, non *Charme*. Est Κάρμη, non Χάρμη.—223. *obsessam languore* conj. Jacobs; ut sæpe poëtæ *malis obsessum* dicunt aliquem.—224. *Et famulo nobis* Ms. Helmstad. *carum caput* malit Jo. Schrader. pag. 58 Emendatt. *caput alumnæ* Aldina et hinc edd. Fabric. et al., male.—226. *Ægroto tenui* et *tenuis* edd. vett. cum Ms. Basil., sed emendatius dedit Aldina.—227. *hanc faciem* e Pithœana in edd. Plantin. et alias venit: ab emendatione viri docti utique profectum. Vetus lectio etiam Aldinæ cum Ms. Basil. erat *hoc faceret*: quod facile cum Scaligero refingi poterat: *Nec levis hoc facere (neque enim pote) cura subegit*; nec levis amor te ad hoc faciendum adegit, ut noctu surgeres. Greene: *Non levis, ut faceres quod non pote, cura subegit*.—228. *quod te potius Rhamnusia fallit*. Qui sensus inde elici possit, non video. *fallat* Loënsis l. c. emendat. Basil. Ms. *fallor*. In Junt. et aliis *fallar*, et hoc Scaliger retraxit, ut sit: *Haud fallor: quod te potius, Rhamnusia, fallar!* omisso: *precor*; hoc est: quod potius te precor, Rh. Nemesis, ut fallar. Alii poëtæ simili

NOTÆ

223 *Corripit* Carme eam, ut sustineat lapsuram. Ceterum comparari cum seqq. potest Ovidii locus de Myrrha ejusque nutrice Met. X, 382 sqq. 225. *viridis pallor* ex χλωρὸς pro ἀχρὸς, nota res est. 228. quanquam utinam fallar, o Nemesis! De verbis v. V. L. 230. *gravidos Cereris fœtus*. Scaliger γονίμους, fœcundos vel fœtificos, interpretatur. Ge. II, 143 *gravidæ fruges* et Ge. I, 319 *gravida seges*, ubi ad succum nutritium retuli. 233. *requiescunt*, transitive, ut obvium est videre, pro retardare: uti jam Ecl. VIII, 4 vidimus.

Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi,
Nec gravidos Cereris dicam contingere fœtus?
Qua causa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
Dic age nunc miseræ saltem, quod sæpe petenti
Jurabas nihil esse mihi, cum mœsta parentis
Formosos circum virgo morerere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabis Myrrhæ quondam qui cepit ocellos,
Ut scelere infando, quod nec sinit Adrastia,
Lædere utrumque uno studeas errore parentem.
Quod si alio quovis animo jactaris amore;

more dicerent: *Haud fallor: quanquam o potius Rh. fallar!* Heins. *atque o potius, Rh., fallar!* Jo. Schrader. Emendatt. pag. 60 *quod ut o potius, Rhamnusia, fallar!* Porro *Amathusia* conj. Markland. ad Stat. v Sylv. 3, 258.—231. *Qua causa* Aldd. *quæ* in al.—232. Ergo *pectora requiescunt*, faciunt quiescere, *curas fessas:* cum ipsa sint *fessa.* Alioqui *fessæ mortalia pectora curæ* conjicerem: *ipsæ curæ fessæ pectus* quieti se dare concedunt.—234. *nunc tandem* malebat Jacobs.—236. *morerere.* Ita etiam Ald. *mori* de vehementis amoris æstu ac tabe non ignoramus, sed ab h. l. alienum est. Edd. Junt. de Tortis et aliæ *remorere.* Loënsis l. c. emendat *remorare*, sed tota sententia laborat. Pro *cum* leg. *cur* et sic totus locus constituendus: *Dic age nunc saltem miseræ, quod sæpe petenti Jurabas nihil esse mihi: cur mœsta parentis Formosos circum virgo remorare capillos?* h. e. Nunc saltem mihi dic, cur circa parentis comam hæreas? id quod quoties adhuc ex te audire volui, tu mihi jurabas, *nihil esse.* Sumtum hoc ex vulgari sermone. *Formosos capillos* dixit pro uno aureo crine. Sed multa in hoc carmine vix cum delectu posita. Ita mox *furor cepit ocellos.*—239. *sinit*, siverit, ait Scaliger, ut *edit* apud Horat. pro edat. *sirit* antiquum, ut apud Plautum et Catonem occurrit, detortum fere in *sinit*, h. l. metro repugnat, omninoque malim *sinat!* hoc etiam Loënsis protulit Epiphyll. VIII, 26. Et Grævius emendaverat cum Jo. Schradero.—240. *Ludere* malit Scaliger: non ego. Incesto huic amori et adulterio gravius verbum quæritur.—241. *animum* melius legi unusquisque facile intelligat. *animos* conj. Jo. Schrader. Scaliger malebat *nimio jactaris amore.* Barthius: *Quodsi animo quovis alio jactaris amore.*

NOTÆ

238 De Myrrha nota fabula ex Ovid. Met. X. *Arabs* ea dicta, etsi Cinyræ Paphiorum in Cypro regis filia fuerit, sitque omnino narratio ex Cypriis fabulis ducta. Sed fuga delata est Myrrha in Arabiam ibique in arborem mutata, ut ipse Ovid. X, 477 *latosque vagata per agros, Palmiferos Arabas Panchæaque rura relinquit ... tandem terra requievit fessa Sabæa.* 240. *utrumque parentem*, scil. Myrrhæ. Argutatur Scaliger, qui Nisum et nutricem Carmen intelligere jubet. Videtur autem Carme suspicari, Cirim patris amore incesto exarsisse.

241 Procedit sententia ad vss. 249.

Nam te jactari, non est Amathusia nostri
Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo;
Si concessus amor noto te macerat igne,
Per tibi Dictynnæ præsentia numina juro,
Prima Deum quæ te mihi dulcem donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia visuram, quam te tam tristibus istis
Sordibus et scoria patiar tabescere tali.

Heinsius (Misc. Obss. Vol. IV, pag. 323) *animos* vel *amens*. In Ms. Helmst. erat *animis jactaris amorem*.—242. *Amathuntia* Junt. et aliæ: quod præfert Scaliger, etsi utrumque usitatum poëtis. *nostri* vett. edd. cum Aldina agnoscunt: quod accipiendum: Venus non tam ignara mei, a me non tam aliena est: h. ego amoris non tam rudis sum. Consueverat enim illa cum Jove ex eoque Britomartin pepererat; sed Junt. *nostra* dedit, idque Scaliger probat: non ita aversa mea Venere de amore judico: *οὐχ οὕτως εἰμὶ ἀπειραφρόδιτος*. Capio. Durius tamen hoc: mea Venus non est tam rudis, h. e. ego in amore non tam rudis sum.—244. *concessus* vett. edd. cum Aldina tuentur; *confessus* ed. Junt. et aliæ: quod arripit Scaliger, ut sit amor, qui in confesso est, et quidem, ut recte Taubmann. explicat, abjecto omni pudore. Id per se bene dici nemo dubitet: Petron. 127 *Idæo quales fudit de vertice flores Terra parens, cum se confesso junxit amori Jupiter*. Enimvero non inhonesto amori operam et studium suum pollicetur nutrix; sed honesto et licito. Induxit viros doctos in fraudem *τὸ sin*: quod h. l. vulgo legebatur. At requiritur, quod in Aldd. habetur, *Si concessus*, quod interpretatur illud superius: *alio quovis amore*: scil. excepto illo incesto patris. Etiam Barthius Scaligerum refellit Advers. IV, 23.—246. Vett. edd., etiam Aldd., cum Ms. Basil. *P. D. quæ dulce mihi te donat al.*, hinc Junt. *P. D. dulcem mihi quæ te d.*, de Tortis: *P. D. quæ dulce mihi te d.* In promtu est: *Prima decus quæ dulce mihi te d. a.* Videtur et Heins. sic conjecisse; sicque Jo. Schrader. Quod nunc vulgo legitur, videtur a Pithœo profectum. *quæ, prima Deum*, h. quæ Dea magna, potens inter ceteras Deas, *donat* pro donavit. Æn. IX, 266 *Cratera antiquum quem dat Sidonia Dido*.—247. *digna atque indigna laturam* vett. edd. cum Ms. Basil., corrupte. Emendatum dedit jam Aldina, ut dicat, se potius omnia *millia laborum esse visuram*, experturam (Propert. *At tibi curarum millia quanta dabit!*) cf. inf. 521, *digna atque indigna* (cf. Æn. IX, 595), quam ut eam misere amore contabescere sinat.—249. *scoria patiar tabescere tali*. Recte Scaliger negat Virgilium sordida verba ex plebis fece huc infersisse. Heins. ingeniose: *te tam tristibus ægram Sordibus et cura*. Idem tentabat: *Filia, laturam*, vel *passuram*: nam in Basil. Ms. *milio laturam*. Certe *scoria*, de metalli sordibus proprie dicta, an de morbi vel luctus squalore ab aliis dicta sit, ignoramus. Tum *scoria* ex *σκωρία* vel *σκωρεία* primam haberet longam. Possit quidem huic vitio ita occurri, ut dissyllaba vox *scorja* fiat; sed ipsa vox serioris grammatici et forte monachi, qui de scoria scabiei, qua vexabatur, cogitabat, manum redolet. Multo fœdius vocabulum substituebat Reinesius Epist. ad Daumium Append. p.

NOTÆ

Quod si alio quovis animo jactaris amore; nam te amore aliquo jactari bene intelligo; *Si*, inquam, *concessus amor noto te macerat igne:* sequitur apodosis: *Per tibi D.*

245 Dictynnam nunc de ipsa Diana poëta videtur accipere.

Hæc loquitur: mollique ut se velavit amictu,
Frigidulam injecta circumdat veste puellam,
Quæ prius in tenui steterat succincta corona.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
Persequitur miseræ causas exquirere tabis;
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quam retulit intra.
Illa autem, Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore,
Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,

---

232 *forica*, h. latrina. Barthius *carie*, Scaliger legebat: *scabre tabescere tali*: a scabres, antiquata voce. Sed, si antiquata inferenda sunt, possit alius *squale* conjicere, a squales, h. e. squalor. De veritate tamen scripturæ ita non magis constat. Vetus edit. apud Loënsem l. c. habebat *cilia*, Ms. Helmst. *et sconia*, quod ad *scoriam* alludit. Nec tamen eo deveniendum erat poëtæ, ut casca tali voce uteretur; poterat enim scribere: *tali tabescere peste, tali liquescere tabe*. Vir doctus Misc. Obss. IV, p. 323 tentabat *cura* vel *senio; cura* quoque Heins. et Jo. Schrader. Ex his vero corruptela ista enasci vix potuit. Verum omnino totus locus inde a 241 a seriore manu venit.—250. Vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, p. 323 tentabat: *ut se evelavit*, vel *molli ut se develavit*: nam nutricem detractum suis humeris tegmen puellæ injecisse. Recte. Annon vero sic nutrix ipsa erat velata? Ergo: ut illa erat veste amicta, puellam circumdat ea. Si quid mutandum, legam saltem *velarat*. Sed *velavit* defendi potest, quod præsenti tempore utitur, *circumdat*. Si *circumdabat* fuisset, necessario *velaverat* requirebatur.—251. *intacta veste* Ascens. legerat.—252. *Quæ prius in tenui steterat succincta corona*. Equidem totum versum sublatum velim tanquam assutum inepti hominis interpretamentum. *Coronam* ex στεφάνη pro strophio dictam esse posse putabat Scaliger; mox *cincta in strophio*, non satis latinum esse videns, *crocotam* ex ingenio substituit. Est sane ea muliebris vestis, sed palla pretiosa et opipara, qua in publico, quoties prodirent, usæ sunt puellæ, vix in thalamo, cum e lecto surgerent. Manet deinde vel sic illa scabrities: *in tenui succincta crocota*; etsi jungi posse video: stabat in tenui crocota, succincta. Defendit tamen Scaligeri acumen Ruhnken. ad Vellei. p. 347. Conturen. Var. Lect. 8 distinguit: *Quæ prius in tenui steterat, succincta corona*, h. strophio, *in tenui veste*. Sed parum hoc rem expedit. *prius ut* edd. vett. ante Aldinam.—254. *Prosequitur* Aldina. Alterum hemistichium, *causas exquirere tabis*, iterum inquinatum: sive enim *causas tales*, seu cum Barthio *miseræ talis* jungas, utrumque inficetum est. Haud dubie fuit *tabis*: et sic video virum doctum in Misc. Obss. Vol. IV, p. 325 dudum conjecisse; sicque Heins. Repetitur tamen *tabis* nimis ex propinquo vs. 249. Mox *Marmoreum pedem* cf. Ge. IV, 523.—257. *Quid me inquit* Aldd. Heins.

NOTÆ

250 Utque ipsa, scil. Carme, amicta erat molli veste. Nota forma dicendi, pro quoniam, quandoquidem.

256 Interrogat eam simulque intra cubiculum reducit: conf. 222...224.

260 *Notorum vultus*, non noti, amici, *deflectunt lumina*. Ait se non amicorum amore tangi, sed, quod vix credibile,

Nec genitor cordi est: ultro namque odimus omnes.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falsa tamen lateat pietatis imago:
Sed media ex acie, mediis ex hostibus. Heu heu,
Quid dicam? quove ipsa malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem: quoniam quid tu tibi dicere, nutrix,
Non sinis; extremum hoc munus morientis habeto.
Ille, vides, nostris qui mœnibus assidet hostis,
Quem pater ipse Deum sceptri donavit honore,
Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi:
Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis,
Ille mea, ille idem oppugnat præcordia Minos.
Quod te per Divum crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnæ,

em. *Quid io! me, inquit.* Ovid. *Quid, io, freta longa pererrat.*—263. *In quo.* Melius *Nil* repeteretur: *Nil, quo falsa tamen.*—266. *quoniam quid tu tibi dicere, nutrix, Non sinis.* Non intelligo quid sibi velit. Nescio an alii intellexerint. Ed. Junt. *quid me.* Edd. vett. cum Ms. Basil. *quid non.* An fuit: *Dicam equidem: quanquam, o, quid me non dicere, nutrix, non sinis;* ut *non dicere* sit, silere, silentio tegere; eaque adeo iterum, quæ orsa est dicere, interrumpat.—267. *extremum hoc munus morientis habeto* petitum ex Ecl. VIII, 60 et fidem facit utrumque versum 266 et 267 Scholastici commentum esse habendum.—270. *Cui P. et tribuunt nullo quo vuln.* vet. edd. ante Aldinam, et Ms. Basil., nisi quod pro *quo* est *quod.* Mox in eadem deest *est.* De sensu vid. Not. Sed versus vix a primo carminis auctore profectus. —273. *Quod per te Divum* elegantius. Monuit quoque vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 325.—274. *memori mihi alumnæ* cum hiatu legendum esse, jam Scaliger monuit. Licebat tamen scribere: *Haustum perque tuum memori mihi.* Quod Heinsius comparat ex Ovid. Ep. v, 45 *Et flesti et nostros vidisti flentis*

NOTÆ

hostium, ut Scaliger bene explicat. *Deflectunt lumina,* oculos nostros, ea, quæ admiramur aut quorum amore et cupiditate incendimur, ut ab intuitu male nobis temperemus atque eadem discedentes respiciamus. Mox *ultro* significatione illâ, qua pro ultra, insuper, positum habetur; immo vero, multo magis; ut Æn. XII, 8 et toties.

263 *In quo f.* puta, si patrem amaret.

269 *Quem pater ipse Deum sceptri donavit honore;* vel, quatenus omnes reges διογενεῖς sunt, a Jove regnum habent; vel quod Minos a Jove genus ducit. Sed alterum 270 *Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi,* obscurum est; fabulam reconditam continere videri potest. Minoëm tamen vulnerari nequiisse, non aliunde constat. Sed expeditur locus, si cogites te in auctore versari, qui a proprietate verborum sæpe recedit. Haud dubie immortalem fore Minoëm, inter Deos aliquando recipiendum heroëm, declarare vult. Aliis hujus loci partibus non deest elegantia sua.

Ut me, si servare potes, ne perdere malis.
Sin autem optatæ spes est incisa salutis;
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve Deusve tulisset;
Aut ferro hoc (aperit ferrum quod veste latebat)
Purpureum patris demsissem vertice crinem,
Aut mihi præsenti peperissem vulnere letum.
Vix hæc ediderat, cum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crines,
Et graviter questu Carme complorat anili:
O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,

---

ocellos, diversum est. Possum enim bene dicere: *mei flentis oculos.* Idem in schedis conj. *in teneris h.* Mox *nec perdere* Ms. Basil., et *Nec* 277.—278. *Nam nisi* bene; at vett., etiam Aldinæ, *Nam si.*—279. *Ante expectatum* legi malit Scaliger, ut Ge. III, 348, aut *Ante hunc conspectum* eo sensu accipi: quod non necesse est; nam: *Ante hunc conspectum*, obtutum, ante oculos meos, h. mihi obtulisset, meis oculis objecisset. Drakenborch. ad Silium II, 31 non magis Scaligeri acumen probat, idem tamen malit: *Ante in conspectum;* idque præstat haud dubie. *casusve Deusve* vid. ad Cul. 192.—281. Heins. *patrio;* cf. sup. 185.—283. *tristis* Ms. Basil. ed. Ven. 1484. Eadem vs. sequ. *multo deturpat vulnere. multo turpavit pulvere* Ms. Basil.—284. *Intonsos crines.* Vix recte de vetula. *Incomtos* melius Heins.—286. Scaliger jungebat: *crudelis reddite*, o mihi nunc iterum effecte crudelis. Mox non verum putabat hoc, et emendabat: *mihi nunc iterum crudeliter addite Minos:* ut sit dictum ad illud exemplum: *Teucris addita Juno* Æn. VI, 90, ubi vid. Not. Verum in ea notione vocis adverbium apponi vix solet. Turbavit viros doctos male instituta verborum structura. Debebant jungere: *O crudelis Minos, nunc iterum mihi reddite.* Interpunctionem etiam in sqq. 288. 289 emendavi. Nam: *Et propter eundem te semper aut olim nata, aut nunc amor insanæ alumnæ, luctum portavit mihi*, h. apportavit, attulit. Miro modo interpolat hæc Scaliger: *Semper et ante olim natæ te propter eundem, Ah amor insanæ luctum portabat alumnæ.* Idem *portare luctum* comparat cum Græco κῆδος προξενεῖν. In vett. edd. ante Juntinam *natæ o te* vel, ut Aldina, *natæ te p.*, quod non deterius sed multo comtius dixerim; ut sensus sit: *Et semper amor portavit luctum propter te eundem aut olim natæ aut nunc alumnæ,* τῇ παιδί. Lenius quoque esset: *Semper enim.* Jo

NOTÆ

275 Laudarunt viri docti ad h. l. illud ex Medea Ovidii: *Servare potui: perdere an possim, rogas?* ex hocque adeo versu Ciris auctorem profecisse crediderunt. Antiquiorem auctoritatem Aristophanis Nub. 1179 Νῦν οὖν ὅπως σώσῃς μ', ἐπεὶ κἀπώλεσας commemorat Burmann. Sec. ad Anthol. T. I, p. 149; verum nec ex hoc nec ex illo versum hunc fluxisse arbitror. Est sententia, quæ se sponte ingenio poëtæ in tali rerum articulo offerre debebat.

280 *Aperit ferrum quod veste latebat.* Æn. VI, 406 *aperit ramum qui veste latebat.*

286 sqq. Conf. Var. Lect. Respicit fata filiæ Britomartis, cujus amore

O iterum nostræ Minos inimice senectæ,
Semper et, aut olim nata, o te propter eundem,
Aut amor insanæ luctum portavit alumnæ.
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
Jam jam nec nobis ea, quæ senioribus, ullum
Copia vivendi vitæ genus. Ut quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, meæ spes una salutis,
Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ

Schrader. conj. *Semper ut aut olim natæ—portaret alumnæ.* Nec hoc male.—287. *O nimium nostræ* Ms. Basil., recte.—292. *ut sistam:* ut finis tandem sit calamitatum, quas ex te experiuntur meæ et filia et nutritia. Emendatio hæc est, a Pithœo profecta, sed bona. Scaliger ex vett. edd. lectione, quæ erat *obsistam* (ut et Ms. Basil.): alicubi etiam, *absistam*, exsculpsit *qui obses tam;* magis ingeniose Heins. inde elicit: *o siste exitium.*—293. 294. Versus mali commatis, quibus liberandum carmen est. *Jam jam nec nobis ea, quæ senioribus, ullum Copia vivendi genus.* Lectio hæc nobis primum in Juntina visa: probata eadem Scaligero, etsi satis impedita: ut tamen sententia saltem aliqua erui possit: *Jam nobis ne ea quidem, quæ tamen senibus* esse, contingere, solet, *Copia est vivendi genus vitæ*, si non quod volumus, tamen *ullum.* Scaliger bene: *τὰς βίος ἀβίωτος ἡμῖν.* Edd. vett. cum Ms. Basil. *Vivendi copiam vivit genus;* inde Aldinæ *Vivendi cupiam vivit genus.* Heins. tentat: *Jamjam nec nobis ævi* (vel *ævo*) *senioribus ullum Vivendi optatur, Divi! genus.* Mox *Ut quid ego;* leg. *At* vel *Ah*, vel *Ecquid;* nam *Ut quid* pro quare, barbarum puto. In marg. ed. Scot. *Aut.*—295. In edd. ant. et Ms. Basil. *Te erepto britomarte est spes vana sepulcri.* Sed, ut nunc legitur, est emendatum in Aldina; *st* in Juntina: *Te erepta, Britomartis, spes est vana sepulcri.* Scaliger idem in aliis repertum probabat: *mei spes una sepulcri.* Loënsis l. c. *spes est ulla sepulcri.* Ms. Helmst. *mei spes una sepulcri.* Ita saltem legam: *Te erepta, o Britomarti, mihi spes una sepulcri est:* te erepta nihil amplius est, quod in votis habeam aut sperare possim, quam sepulcrum. *meæ spes una senectæ* non male conj. Heinrichs.—296. *Te Britomarte* vett. edd.—297. Legebatur *Cereri;* cur *Cereri?* quodnam ejus studium vel contubernium esse poterat, cui puella se addiceret? Ferrem, si Palladem memoraret. In promtu est, *celeri* legere; sicque in Aldina et inde in ed. de Tortis expressum et ex Ms. Helmst. notatum video, ut fuisse arbitrer: *Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ* etc., utinam ne esses sectata venatus, Dianæ celeri tantum grata. Ita et Jo. Schrader. Emendatt. pag. 61. nisi quod *non tantum.* Parrhasium in Quæsitis per Epistol.

NOTÆ

Minos exarserat, quem illa fugiens a Dictynnæo promontorio in mare se præcipitare maluerat. vid. Exc. ad v. 220.

290 *Capta atque tam longe avecta.* Ex Creta igitur Carme captiva abducta Megara pervenisse putanda. Nec tamen hic Minoëm se effugisse videt. 293. 294. Jam nec in senio quidem mihi vita tolerabilis relinquitur! Sed verba sunt scabra.

297 Britomartis venatrix a Minoë

Venatus esses virgo sectata virorum,
Cnossia neu Partho contendens spicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam, tam obnixe fugiens Minois amores,
Præceps aëreis specula de montibus isses:
Unde alii fugisse ferunt, et numina Aphææ
Virginis assignant: alii, quo notior esses,

30 (p. 50 Steph.) *Veneri* legisse video: ita *Venatus virorum* nimis lepide subjiciuntur. Video tamen et Heinsium hoc amplecti.—298. *Venatus—virorum:* esse ergo debent, quibus viri studere solent. Immo leg. *Venatus virgo sectata ferarum.* Hoc et Jo. Schrader. l. c. Porro ed. Ven. 1484 *sacrata.*—299. *Gnosia neupharto* eadem vetus editio: *neufarto* Ms. Helmst. *neupactio* vet. ed. apud Loënsem l. c., et Junt. *naupacto:* idque Domitius interpretatur cum Ascensio. *nauphræo cornu* Jul. Sabinus legerat. *neu Partho* emendatum jam in Aldina.—300. *puellas* in fine habet Aldina perperam, etsi de puellarum choreis velis accipere. Etenim laborat totus locus luxatione, unde nec membra sibi respondent; estque is adeo, nisi versus 299 omnino a mala manu illatus est, sic restituendus:

Atque utinam celeri ne tantum grata Diana,
Cnossia neu Partho contendens spicula cornu,
Venatus esses virgo sectata ferarum!
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam etc.

Si pascendis gregibus illa vacasset, non in conspectum Minois venantis ventura fuisset.—301. *fugeres* cum Basil. Ms. vett. edd. ante Aldinam; eædem *Minoïs.*—302. Vett. omnes: *aëriis specula de montibus.* nisi quod in ed. de Tortis *specula* non comparet, et in vet. ed. apud Loënsem *Nec specula aëriis præceps de.* Forte *specula* substitutum, cum olim montis nomen fuisset: *aëriis Dictæ de montibus,* Callimachi exemplo, in Dian. 198 sq., ubi vid. Spanhem., etsi is a Strabone propterea reprehensus fuit lib. x, p. 733. 734. Scaliger, prohante Heinsio, corrigebat: *aërii specula de montis abisses:* ut Ecl. VIII, 59 *Præceps aërii specula de montis in altum Deferar;* alia emendatio suppeteret ex carmine, quod noster poëta perpetuo ante oculos habere solet, Catull. LXIII, 244 *Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit.*—303. 304. Si sequentia ab ipso poëta profecta sunt: alieno utique loco sunt interposita. In lamentis matris quis talia expectet! Legebatur: *et numina Phocæ Virginis assignant.* Sic Aldina dederat. Vett. edd. *Phoræ, Photæ.* Mirum *Phocæ* nomen relictum, cum manifesta sit corruptela et a viris doctis Paullo Leopardo Emendatt. x, 24 et jam ante eum, ut video, a Jano Parrhasio, Quæsit. per Epist. 30 dudum deprehensa et emendata. Delatam in mare Britomartin, Æginetæ narrabant, piscatorum retia casu excepisse, sicque eam servatam in insulam Æginam deportatam, ubi sub Deæ *Aphææ* nomine culta est. Nomen et ipsum cum fabula consentit, ἀπὸ τοῦ ἀφιέναι. conf. Pausan. II, 30 et Excurs. ad v. 220, et est *numina Aphææ* in Ms. Basil. Sed cetera verba incertæ sunt lectionis. Leopardus l. c. legit: *et numen Aphææ Virginis Æginæ est.* Scaliger *et nomen Aphææ Virginis assignant.* Non video cur non retineamus, quod proximum est: *et numina Aphææ Virginis assignant.* Nam facta illa Dea. vid.

NOTÆ

conspecta, et, ut ejus insidias fugeret, præceps in mare delata. cf. Var. Lect. et Exc. ad v. 220, ubi et de vss. 303 sqq. in quibus illa nomina *Aphææ* nymphæ et *Dictynnæ* accepisse narratur.

Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint hæc vera velim: mihi certe, nata, peristi.
Nunquam ego te summo volitantem in vertice montis
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum hæc tum nobis gravia atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret;
Et vox ista meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o sola meæ vivendi causa senectæ?
Sæpe tuo dulci nequicquam capta sopore,
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me (infelix) aut quæ me numina servant?

Pausan. l. c.—304. *quo notior esset* vett. edd. nonnullæ.—305. F. *Dictynnam dixere, tuo de nomine, Luna.*—306. *perisset* vett. edd. ante Aldinam cum Ms. Basil.—307. *in* abest Ald. *volitantem:* illustrat Mitscherl. noster in Lection. p. 111.—308. *Hyrcanos inter comites.* Canes esse volunt, satis notos ex auctoribus venaticæ rei, sed quis canes *comites* dixerit? Lego: *Hyrcanos interque canes agmenque ferarum.* Heins. *Hyrcanas* cum Basil. Ms. amplectitur, scil. Nymphas. At illas quis tandem in Creta quærat!—310. 311. 312. Non bene sententia procedit. Videtur ea esse debere: Verum hæc tum, cum meæ filiæ infaustus casus evenisset, intolerabilia visa sunt: postea vero, cum te alumnam haberem, resedit dolor. Forte fuit: *Nunc, mea alumna,...Haud vox ista tuas unquam violaverat aures,* nunquam a te hæ querelæ de filia erepta auditæ fuere.—311. *mea luna* ed. Junt., corrupte. *manebat* malit Heins.—312. Versus aliunde interpositus.—315. *sopore* sane friget. Nisi accipias ut in Nota factum. Heins. conj. *lepore.*—316. *Cum premeret mors dura* vel *Cum premerent jam fata* conj. Jo. Schrader.—317. *flamina* conj. Heins.—318. *fata reservant* Ms. Helmst. *ad quæ me n. s.* conj. vir doctus Jortin. Misc. Obss. Vol. IV, p. 326, perperam; quis Deus et quo, h. ad quæ fata, servat me? Heins. hos

NOTÆ

305 Alii Lunam tuo de nomine Dictynnam appellavere: id quod ponit tacite, Dictynnæ nomen Britomarti fuisse inditum. At illa fuit Dictynna dicta a Dianæ nomine; quæ h. l. eadem cum Luna esse videtur. Diversitas utique narrationis in hoc fuit, quod alii Dictynnam interpretabantur Dianam, alii Dianæ nympham. conf. sup. ad v. 223.

310 *Indigna*, intolerabilia, ut sæpe alias. Evenerunt hæc acerba filiæ fata tum, cum te alumnam haberem. *fuere*, evenerunt. Sed oratio scabra, et vix sana v. V. L. Mox 312 *vox ista* de amore Nisi, et 314 *vivendi causa meæ senectæ*, mihi seni.

315—317 Sæpe Scylla infante in sinu dormiente, cum ipsa dolore animi victa vita se privare vellet, mortem distulisse se ait, ut antea viro nuptam eam videret. *capta*, delectata: an, et ipsa ad somnum invitata, sed nequicquam? *cum premeret natura*, senectus molestе gravaret. De *flammeo*, veste seu velo ac tegmine, quo novæ nuptæ nubebantur, eoque flavi coloris, nota sunt omnia. *lutum*,

An nescis, qua lege patris de vertice summo
Edita candentes prætexat purpura canos?
Quæ tenui patriæ spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem:
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum.
Sin est, quod metuo; per me, mea alumna, tuumque
Expertum multis miseræ mihi rebus amorem,
Per me, et sacra precor per flumina Ilithyiæ,
Ne tantum in facinus tam molli mente sequaris.
Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor

quæ me. At Jo. Schrader. *Quo nunc te i. aut quæ te n.*—320. *Indita* Ms. Basil., et *prætexit*. *Addita* Heins. et h. l.—321. *Quæ t. p. spes.* Aldina est lectio. Scaliger malit: *Quam tenui p. s.* Heins. *Quam tenuis* cum cod. Basil., sed is sensus alienus foret ab h. l. In vett. edd. *Quæ tenues*, vel *tenui, patrio pressit s. c.* Heins. quoque tentat: *Quanta tui patrio.*—324. *per me, mea.* Scaliger mavult: *te per mea a.* Saltem debebat scribere: *per te, mea a.*, ex more obtestationum. Alius vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, 327 corrigit: *Per, te, meum, alumna, tuumque.*—326. *Per me et sacra precor per flumina Ilithyiæ.* Deficit nos in hoc versu antiqua manus. Vett. edd. *Perdere sæva precor per flumina sacra Ilithyiæ*, vel *Elythiæ*, ut et cod. Basil. Mutatum primum in Aldina sec. *Per te sacra precor per flumina Ilithyiæ.* Etiam Julius Sabinus similem depravationem interpretatur: " timeo, ne causa mea velis perdere tuum amorem expertum in multis rebus. Elathia (Elatia) civitas est cum flumine ejusdem nominis in Phocide celeberrima." Scaliger legit: *Per te sacra precor;* ut sit: *te per s.* Hoc jam in Aldina expressum modo monui. Pergit corrigere Scaliger: *per lumina I. νὰ τὰν φωσφόρον*, ut Ilithyia, Lucina, Diana, Luna, sit eadem Dea, per cujus lumen mulier obtestatur. Altera ejus conjectura deterior: *Per te sacra precor per luminis Ilithyiæ*, nova voce procusa. *Flumina I.* Taubmannus fœdo acumine exponit. Ferrem saltem, si lavationem infantis recens natæ commemorasset. Heins. varie tentat: *per flumina Iliasea:* quia ad Ilissum sacra Cereris celebrata: vid. Periegetes, Avienus, et Priscianus; vel *per numina Itonea* aut aliud Palladis epitheton; vel *per te sæva precor per fl. sancta Cytheræ.* Salmas. ad Solin. p. 121 C. *per flum. Lethæea* emendat, a fluvio Cretæ Lethæo: quod præferam ceteris hariolationibus. Sed totum omnino versum augmentum esse scholastici, sententiam variantis, suspicor. Saltem *numina Ilithyiæ* legendum.—327. *Nec* vett. edd. ante Ald., et: *tam molli mente;* hoc præfert Scaliger, et recte puto; etiam Heins. e Ms. Basil., etsi *tam nulla mente* et ipsum habet, quo defendas: ut sit stulta, amens. Pro *sequaris* præstaret *feraris;* quod et Heinsio in mentem venit.—328. 329. *Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor Flectere, amor:* scabrities et his verbis inest. Non amorem, sed puellam, alloquitur anus;

NOTÆ

herba, cujus succo inficiuntur vestes. v. ad Tibull. I, 8, 52. *Corycium*, a Coryco Ciliciæ monte, croco, cui similis color est, celebrato. Sed *glomerare* mire dictum est pro texere: adeoque proprie colligere fila, quæ pro stamine texturæ sint.

318 *Infelix!* διὰ μέσου, ut Scaliger monuit, sine regimine; δαιμονίη. Quæ numina, et quo, nunc me servant? Mox 320 *Edita*, nata, et 325 *Expertum* passive.

Flectere, amore, neque est cum Dis contendere nostrum:
Sed patris incolumi potius te nubere regno,
Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, Penates.
Hoc unum, exitio docta atque experta, monebo.
Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere; (sed poteris; quid enim non unica possis?)
Tunc potius tamen ipsa, pio cum jure licebit,
Cum facti causam tempusque doloris habebis,
Tunc potius conata tua atque incepta referto.
Meque, Deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil est, quod texas ordine, longum.
His ubi solicitos animi relevaverat æstus
Vocibus, et blanda pectus spe vicerat ægrum:
Paulatim tremebunda genis obducere vestem

hanc non conatur flectere, deflectere, avertere, revocare ab incepto. An fuit: *incepto flectere amore; nec est cum Dis c. n.* Saltem distinguam—*conor Flectere (Amor! neque sit cum Dis contendere nostrum).* Sensit eandem mecum verborum molestiam vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, p. 327, qui, *amor*, accipiebat, pro mi amor amata puella! quod alius vir doctus latine fieri non posse monuit. Sed video nunc illud, quod conjeceram, legi in Ms. Basil. et jam extare in Ald. 1534, adeoque recepi.—331. *Utque* emendabat Loënsis Epiphyll. VIII, 27. Tum alius vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 327 *velim* malebat; nec aliter sententia rite procedit: *Sed velim te nubere incolumi patris regno, Atque aliquos tamen esse tibi Penates*, h. aliquos saltem; non nullos.—332. *exitio* conj. viri docti Misc. Obss. ibidem; quod unice verum. Nam Carme ipsa exulabat a patria.—333. *non aliqua* vel *ulla* Jo. Schrader. Emendatt. pag. 62.—335. *ista* vir doctus Misc. Obss. l. c. bene corrigebat. *tuo cum jure* legebat Loënsis l. c. Heins. quoque: *Nunc potius* hic et 337, et *dum jure licebit, Dum f.*—336. *facti causam*, scil. negatis tibi precibus. *fracti ... doloris* bene Heins. vel *tanti.*—337. *incerta* Ms. Basil. et vett. edd., etiam Aldd., at 1534 *incepta.*—339. *quod extat in o.* ed. Ven. 1484, aliæ: *quod texat in ordine:* sic et Ms. Basil. Quod nunc legitur dedit Aldina. vid. Not.—340. *Hic ubi*, et, *relevaverit* vett. edd. *Hoc tibi ... velaverat* Ms. Basil.—341. *viscerat* ed. Ven. 1484. *vinxerat* Aldinæ pr. et sec. *vicerat* Junt. *luserat* Aldina tert. *spem clauserat* Ms. Basil., quod eo alludit. *foverat*

NOTÆ

334 *Quid enim non unica possis?* cum unica sis filia. 335. *pio cum jure licebit*, si parens negaverit nuptias cum Minoë ineundas. *tempus doloris*, cum tempus dolendi habebis justum, adeoque erit, quod doleas, negatis a patre nuptiis. *referto:* iterum consilium hoc extremum resecandi capilli patrii revoca, repete. 338. *Meque, D.* Comparat Scaliger Græca: ὡς ἐμοῦ σὺν θεοῖς συλληφομένης σοι, οὕτω ποιοῦ. 339. *nihil est;* non res est, quæ non nisi longo tempore et multo apparatu perfici possit: sed res est brevi tempore expedienda. Verum recte Jul. Sabinus in sententiam mutavit: nihil est longum, quod ipsa natura ordine texuit; et sic nunc interpunxi.

Virginis, et placidam tenebris captare quietem,
Inverso bibulum restinguens lumen olivo,
Incipit, ad crebros insani pectoris ictus
Ferre manum, assiduis mulcens præcordia palmis.
Noctem illam sic mœsta super morientis alumnæ
Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi læta diem mortalibus almum,
Et gelido veniens mani quatiebat ab Œta;
Quem pavidæ alternis fugitant optantque puellæ:
Hesperium vitant, optant ardescere Solem:
Præceptis paret virgo nutricis, et omnes
Undique conquirit nubendi sedula causas.
Tentantur patriæ submissis vocibus aures,

conj. Dorvill. et Jo. Schrader.—343. *et placidam tenebris captare quietem.* Hoc facit puella, ut captet quietem, capiat somnum; at nunc anus puellam ori obducta veste ad somnum componit. An *aptare* hic latet? Sed *captare* esto: arcessere, parare, per tenebras, quas obducit, extincta lucerna, *olivo inverso*, ut obrnatur oleo affuso ellychnium: proprie vas invertitur. Ad superstitionem trahit rem Scaliger, nimis subtiliter. *placitam* conj. Heins.—344. *restringens* vett. edd. ante Aldinam et Ascens., ex more. *Inverso* esse ab invergendo patet.—345. Vinculum in his versibus orationi deesse unusquisque videat. Scaliger vett. edd. *Incipit et* habere ait et hinc refingit: *Incipit: et crebros insani pectoris ictus Ferre manu:* ut *ferre manu* sit sustinere, ἀνέχειν χειρί. Non placet acumen. Malo distinguere: *Paulatim tremebunda ... Incipit: ad crebros insani pectoris ictus Fertque manum, assiduis mulcens præcordia palmis.* Manu mammæ imposita subsultus pectoris observat.—346. *mulcans* Pricæus ad Apulei. pag. 221, perperam.—347. *morientis*, defendi forte potest. Heins. tamen tentat varie: *rorantis, marentis, marcentis.* Mox *cubitis* Ms. Basil.—349. Heins. conj. *lux elata, oblata;* saltem deb. *evecta...Ut g.*—350. *veniente mane* male vett. edd. cum Ms. Basil. *Et gelida veniente mihi* Ald. *Egelido* esse legendum Scaliger monuit: ut sit verborum junctura hæc: *ubi postera lux læta, veniens mane egelido ab Œta quatiebat diem almum.* Tenue tamen et vix poëta dignum *Egelido mane* vel *mani.* Gronov. ad Sen. Herc. fur. 132 *E pelago veniens summa q.* At Heins. *Egelida veniens jamjam q.*, aut *Occiduo v.* Jo. Schrader. *Et gelido Eous veniens q.* Bene se habet sol veniens ab Œta; de qua Œta, et ortu ex ea vid. ad Ecl. VIII, 30, in Culic. 202. Heins. laudat Turneb. Adv. XXVIII, 21. Sen. Herc. fur. (132. 133) et Silii *Virdum clara dies summa lustrabat ab Œta Herculei monumenta rogi* (lib. VI, 452). At *quatere diem* quomodo dictum sit, non satis capio. Si de Solis equis ageretur, ii possent *cursu quati*, ut Ge. III, 132, et Cul. 209 *Jam quatit ... equos Nox;* et Auson. Ep. IV *Jam succedentes quatiebat Luna juvencos.* Videtur dictum pro simplici, movere, proferre. Qui argutari vult, etiam tremulum lumen significari dicat. Occurrit quoque Cul. 42 *quatiebat lumina Sol.* Malim tamen vel sic *diem ... spargebat ab Œta.* Wakef. ad Lucret. IV,

NOTÆ

349—351 An descriptio hæc orientis diei cum judicio ornata sit, v. Var. Lect. Solem *quatere lumina* dixerat auctor Culicis v. 42. Paulo ante *frigidulos oculos* ex Catullo mutatus est LXIII, 131.

Laudanturque bonæ pacis bona; multus ineptæ
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit,
Communemque timere Deum; nunc regis amicos;
(Namque ipso verita est orbari mœsta parente) 360
Cum Jove communes qui quondam habuere nepotes;
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, et Divum terret formidine cives;

406. "me hic magnas turbas movere ait de nihilo." Clementer vero! Vellm tamen docuisset vir doctus, quam bene dicatur *dies quatere lucem*. Aurora, Phœbus, *spargit lucem*, non *quatit*. Quatitur fax; at *dies* non habet *facem*. Quæ sequuntur v. 351. 352 ornamenta sunt, in quibus poëtæ judicium desidero: nisi laciniæ sunt e margine assutæ. De Hespero acute dici poterat, et, si bene memini, dictum est a vetere poëta (est is Callimachus fragm. LII *αὐτὸν μὲν φιλέουσ', αὐτὸν δέ τε πεφρίκασι*, ut h. l. *Quem p.*): *Quem pavidæ alternis fugiunt optantque puellæ*: respectu sponsarum ad sponsum deducendarum: quo Catulli illud spectat: *Hespere, qui cælo lucet crudelior ignis?* Hunc versum forte ascripserat aliquis, cum Œta injecisset recordationem hemistichii: *procedit Vesper ab Œta*. Accessit alter versus: *Hesperium vitant, optant ardescere solem*. *Hesperium* (sidus) pro Hespero, *vitant* pro metuunt: *ardescere*, f. *tardescere*. Nam novæ nuptæ metuunt vesperam ingruentem: non auroram. Heins. *Hesperon evitant, optant ardescere Eoum*. Alterum hoc idem jam conjecerat Bentlei. ad Callimachi fragm. laudatum: in quo Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον. Enimvero in Callimacho bene se hoc habet de juvenibus seu sponsis. At h. l. puellas, si in amplexibus sponsorum habentur, quomodo putabimus optare diem illucescentem? Est igitur alienum a loco totum hoc e Callimacho.—356. 357. *Laudantur pacisque bonæ bona* Ms. Basil. *inepto Virginis insolitæ* vett. edd., etiam Aldd.; primus emendavit Pithœus. Aliæ edd. *inepte*.—359. *Communem Deum*. v. Not. Laudat Heins. Eleg. ad Messalam *Communem belli nec meminisse Deum*. Ita tamen *belli* noster omittere non debuit. Greene: *Affinem ... Deum* legit, Jovem scil. Cujus tamen respectu ita dici possit, non video.—Porro, *regis amicis* vett. edd. et Aldd. cum Ms. Basil. *amicos* a Pithœo profectum: puto ut sit, eos illa timere dicit. Sed totus locus 359. 360. i. est pannus assutus.—360. *Namque ipso verita est orbari mœsta parente*. Μίμησις εἰρωνική est Scaligero; mihi videbatur esse monachi ineptus lusus ex margine; una cum sequente versu: *Cum Jove communes qui quondam habuere nepotes*. Sugillabat, suspicor, lepidum caput Jovem, tanquam qui cum eorum filiabus consuevisset: ita enim communes cum Jove nepotes ex filiabus suscipere poterant. Nisi v. 361 *Cum Jove*, est insititius quidem, vix tamen a monacho procusus; sed alieno loco e margine insertus. Ita ascriptus esse potuit ex alio poëta ad v. 134 *pater atque avus idem Jupiter*. In Ald. 1517 *Namque ipsi verita est: orbum flet mœsta parentem*: nec aliter Ms. Helmstad., nisi quod *orbum sit* magis corrupte legitur. Heins. inde refingebat: *Namque ipso verita est coram fari ista parente*; ingeniose. Putabat idem post hunc desiderari versum. Tum parum venerat in mentem, hæc carmina esse interpolata sexcentis locis.—362. *con-*

NOTÆ

359 *Communem Deum*: belli fortunam. Alias dicimus Martem communem. Laudat Taubm. illud Annibalis Liv. XXX, 30 *Cum tua vires, tum vim fortunæ Martemque belli communem propone animo*. Sed et inf. in Catalect. XI, 50 *Communem belli nec timuisse Deum*, Conf. Burm. Antholog. Lat. Tom. I, pag. 299. De toto loco corrupto v. V. L.

Nunc alia ex aliis, nec desunt, omina quærit.
Quinetiam castos ausa est corrumpere vates:
Ut, cum cæsa pio cecidisset victima ferro,
Essent, qui generum Minoa auctoribus extis
Jungere, et ancipites suaderent tollere pugnas.
At nutrix patula componens sulfura testa,
Narcissum, casiamque, herbas incendit olentes;
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila; Ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo: numero Deus impare gaudet.
Inde Jovi geminat magno Stygialia sacra,

ficta Aldina eadem dedit. *confecta* edd. vett., suo more. *conferta* Ascens. *conserta* Loënsis l. c.—364. *Nunc alia ex aliis, nec desunt omnia, quærit* aliarum edd. est lectio, quæ suas argutias habet. Sed ea, quæ subjiciuntur, *omina* postulant, quæ Aldina habet, et Scaliger reduxit. In fine versus *quærunt* vett. edd., male, cum Ms. Basil.—366. 367. Aldina lectio est, quam habemus. *Et cum cæsa...Ut sint, qui g. M.* vett. edd. cum Ms. Basil. Mox *auctoribus extis*, ut Æn. x, 67 *fatis auctoribus*.—370. *herbas contundit olentis* Ms. Basil., ex Ecl. ii puto.—372. *circum inquit* vett. edd. ante Aldinam alt. cum Ms. Basil.—374. In ant. edd. mire interpolatus erat versus: *Hinc magno generata*

NOTÆ

369 sqq. Locus, qui sequitur de magicis sacris, ab anu factis, antiquis acceptior et suavior, quam nobis esse debuit; nec male tamen a poëta est tractatus, etsi aliorum poëtarum exemplo, nec forte satis accommodate ad h. l., cum ea non ad amorem instillandum, sed ad Nisi parentis animum flectendum et, ut filiæ cum hoste Minoë nuptias probaret, impellendum valere debeant. Vs. 370. *Narcissum, casiamque, herbas incendit olentes*; compositus ad illum Ecl. ii, 11 *Allia serpillumque herbas contundit olentes*. Vs. 371 *Terque novena ligat triplici diversa colore Fila*. Novem fila triplicis coloris nectit ter, seu nodo facto, seu inter se implicita. Sumtum ex Ecl. viii, 73 *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo*. Inde etiam vs. sq. repetit: *numero Deus impare gaudet*. Tum 376. 377 *Amyclæus thallus*, θαλλὸς, ramus, termes olivæ esse videri potest, quo aram aqua aspergit: nam Æn. vi, 230 in lustratione: *Spargens rore levi et ramo felicis olivæ*. Itaque olivarum proventum in Laconica fuisse ex h. l. patet, quod Scaliger partim ex studio palæstræ, partim ex Statio, qui *Eurotam oliviferum* appellavit, firmari posse putabat. Verum palæstræ studium non statim olivæ culturam infert; et in Statio lectio est ambigua: Theb. iv, 227; nam alii *oloriferum Eurotam* habent, quod verius esse arbitror; nam idem Eurotas arundinosus, δονακότροφος, Theogn. 783, quales amnes amant olores; tum *olivifer* ad idem palæstræ studium inter Laconas referendum erat. Nec vero ad hæc confugere necesse erat. De myrto accipiendum esse thallum Amyclæum, ex carmine Catulli patet, quod toties expressum in Ciri. Nam v. 89 *Quales Eurotæ progignunt littora myrtus*. Alioqui lauros ad Eurotam memoravit ipse Maro Ecl. vi, 83. *Iolciaca vota*, sunt devotiones Thessalicæ.

Sacra nec Idæis senibus, nec cognita Graiis;
Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum, ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines, nec possunt flectere Divi:
Tanta est in parvo fiducia crine cavendi:
Rursus ad inceptum sociam se adjungit alumnæ,
Purpureumque parat rursus tondere capillum,
Cum longo quod jam captat succurrere amori:

Jovi frigidula sacra. In Ald. alt. et hinc in aliis: *Inde Jovi geminat magno frigidula sacra.* Hæc in *Stygialia sacra* mutavit Scaliger, feliciter utique: ut sint magica: Æn. IV, 638 *Sacra Jovi Stygio quæ rite incepta paravi*, atque hæc emendatio in vulgarem lectionem transiit, servata editionis Aldinæ lectione in ceteris. Hoc ipsum tamen hemistichium aliter refinxerat Scaliger: *Hinc magico venerata Jovi St. sacra:* dura verborum junctura, ut venerari sacra dicatur anus. Alterum tamen tollere et servare malim *magico Jovi:* nam *magnus Jupiter* vix locum habet in his sacris. De sagarum nominibus reconditis, ut ipsiplices, auriplices, simulatrices, fictrices, veratrices vel potius veteratrices dicantur, docte ad hunc locum Scaliger agit. *geminat sacra*, instaurat, iterat. Editio vet. Leopardi apud Loënsem l. c. legebat (ex correctione utique viri docti) *Junoni Stygiæ facit inde Hecateia sacra.* Barth. Advers. XXIII, 21 monstrum emendationis affert: *Hinc magico venerata Jovi Phrygia indole sacra.* Heins. tentabat *fert stridula sacra:* mox tamen ipse abjicit. Jo. Schrader. conj. *Inde Jovi ingeminat magico Stygia edere sacra.* —375. Scaliger, omnes, inquit, antiquitus excusi: *Idæis avibus*, quod vetus editio apud Loënsem, ex nostris antiquis edd. nulla præterquam Norimberg. agnoscit: ceteræ, etiam Aldina sec., *Idæis senibus.* Multa inde molitur Scaliger, ut interpretetur aves has Idæas; mox favente Ald. tert. emendat: *Idæis anibus;* ut Ms. Helmst. quoque legit; Ms. Basil. *avibus.* Nos a senibus non recedemus: erroris librarii causa manifesta est. Quos autem *Idæos* hos *senes* dicemus esse? Jul. Sabinus Idam Troadis vel Phrygiæ, et hinc sacra Cybeles, infert; Tanbmannus Cretenses interpretatur. Ita quomodo *Græci* opponi possunt? Artes magicas modo inter Thessalos modo inter Colchos celebratas exhibent poëtæ: legamus itaque: *Sacra nec Æeis senibus nec cognita Graiis.* Æa et hinc Ææa de Colchide frequens poëtis; senes Graii de Thessalis. Nunc justa comparatio. Heins. conj. *Æeis anibus* vel *Edonis*, tum *nec c. Threis.* (Thressis!) At non de furore Bacchico, sed de sacris magicis hic agitur.—378. *stabulis fallacia* vett. edd. constanter habere affirmat idque præfert Scaliger: quod iterum de nostris verum non est. Una Juntina eam lectionem exhibet; et Domitius et Ascensius eam interpretantur; vix tamen eam probandam arbitror. *Nisum stabilem* bene dixit a sententia animi firma, in qua ille perstabat.—380. *in patrio* Heins., quod alienum. Niso enim est fiducia in suo crine. *fiducia cavendi* est forte paulo insolentius dictum, potest tamen ferri: ut putet facile se sibi cavere posse a malis, quæ metuebant aut ominabantur alii. Vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, pag. 329 varie sed frustra tentat. Præstat forte *caventi* Niso: si modo caveat, ne crinis fatalis sibi eripiatur. Nisi fuerit: *crine; paventi Rursus ... puellæ.* Sed totus versus suspectus mihi est.—381. *sociam se jungit* Aldina. *sociæ* conj. Heins., vix bene.—382. *rursus* otiose repetitur: saltem *ferro.*—383. 384. 385. Turbata et luxata sunt omnia. Nec mirum: adhæserant, puto, versus in margine alicujus codicis a sciolo scholastico male alliti. Scaliger in antiquata verba

Non minus illa tamen revehi, quod mœnia crescant,
Gaudeat: et cineri patria est jucunda sepulto. 385
Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens succiditur ostro.
Tum capitur Megara, et Divum responsa probantur.
Tum suspensa novo ritu de navibus altis,

proclivis sic comprehendebat sententiam: *Tum longo quod jam captet succurrere amori, Non minus illa tamen.* Ut *quod* sit pro, quamvis. Lenior forte medicina: *Tam longo quod jam captat succurrere amori.* Versus tamen vel sic enervis, etsi facile erat meliorem substituere. In Juntina editur: *Quum longo quoniam.* Ferrem, si daret codex: *Quum, longo quanquam captat* (f. *cupit eh*) *succurrere amori, Non minus illa tamen ... Gaudeat;* ut jungatur: *Quum gaudeat.*—384. *Non minus illa tamen revehi, quod mœnia crescant, Gaudeat;* fede corrupta. Pro *revehi* in vett. edd., etiam Ald., *rauci*, et *crescat* Ms. Basil. et Helmstad., ascripto *cernat.* In *crescant* nomen Cretæ latere facile assequare: Carme ad Cretam, in qua nata, saltem educata, erat, sibi reditum dari non sine gaudio agnoscebat. Scaliger refinxit: *Non minus illa tamen revehi quoque mœnia Cretes Gaudet.* Sed dura sunt *mœnia Cretes.* Malim: *Non minus illa tamen revehi se ad mœnia Gnossi Gaudeat.* Heins. *revehique ad mœnia Cretæ.* Jo. Schrader. *mœnia cressa.*—385. *et cineri patriæ est jucunda sepulto.* Vett. edd. *patriæ et*, vel *cineris patriæ est.* Vetus edit. apud Loënsem l. c. *Gaudere et cineris patriæ lœta esse sepulcro*, quæ interpolationem manifeate produnt. Scaligeri correctione ne ipsi quidem monachi veteres scabriorem proferre potuissent. *Gaudet: at ei cinis est patriæ jucunda sepultæ:* ut esset: huic placet ruina patriæ suæ. Utrique causa est, quod gaudeant: illi, quod iterum in Cretam reverti sperat: huic vero, quod de casu patriæ certa sit. Hoc vero Scylla non gaudebat. Itaque nec Heins. bene: *et cinis est patriæ jucunda sepultæ.* Barthium sensum verum tenuisse video, qui tamen legere maluit: *Gaudeat: et cineri patriæ est jucunda sepulcro*, h. anni illi jucundum est in patria sua cineri suo invenire sepulcrum. Sed veram lectionem invenire in promtu est, eamque mox in Aldina dudum vulgatam vidi: *et cineri patria est jucunda sepulto.* Ita et Ms. Helmst. legebat. Etiam cineri sepulto patria humus grata est. Si non vivere licet in patria, saltem, in ea humari ut contingat, in votis habemus.—386. *Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno.* Iterum inepti monachi acumen ex margine illatum, sed valde obtusum. *Metus* saltem disertius erat exponendus. Barthius non male emendat: *Ergo tum capiti.* Puto tamen interpolatorem scripsisse: *Ergo iterum c.* Hoc idem Heins. conjicit.—387. Per tres versus diversa narrationis capita jejune satis per *Tum* junguntur. Saltem tertio: *At suspensa.* Omnino hic erat carminis locus, qui disertissime tractari debebat. cf. Ovid. Met. VIII, 81 sq. Pro *succiditur* vett. edd. ante Aldinam male *succin-*

NOTÆ

383. 384. 385 Sententia esse debet: partim ut alumnæ amori succurrat, partim quod in patriam sic se rediturum et saltem tumulum in solo patrio habiturum esse videt.

387 sqq. Potiora narrationis capita tantum verbo attingit: vid. ad pr. carm.

389 Mira Minois crudelitas, quod puellam navi alligat; cf. v. 416. 417; non adjicitur, an in prora, ubi parasemum erat: in quo forte fabulæ potest origo ac causa latere: cum puella efficta esset, quæ suspensa per mare trahi videri posset; Tzetza ad Lycophr. 649. κρεμασθεῖσα τῆς πρῷ-

Per marc cœrulcum trahitur Niseia virgo.
Complures illam Nymphæ mirantur in undis;
Miratur pater Oceanus, et candida Tethys,
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores;
Illa etiam, junctis magnum quæ piscibus æquor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothee, parvusque Dea cum matre Palæmon.
Illi etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Jovis soboles, magnum Jovis incrementum,
Tyndaridæ niveos mirantur virginis actus.
Has adeo voces, atque hæc lamenta per auras
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad cœlum infelix ardentia lumina tollens,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

---

gitur; in qua et *Tunc.*—390. *Niseia virgo.* Sic scribendum: Νισηΐς, Νισηΐδα, non *Neseia:* conf. Heins. ad Ep. Sabini I, 33.—391. *illam.* Heins. conj. *Scyllam.* Mox male vulgatum *Thetis.*—394. F. *Illam etiam,* scil. miratur. Sicque Ms. Basil. *junctis quæ piscibus. pristibus* haud dubie Heinsius et hic emendaret. Et ecce in schedis emendat.—396. *Leucothoë* male scriptum perpetuo librariorum lapsu in antiquioribus. Aldina et sequiores edd. *Leucothea* recte. cf. Munker. et Staver. ad Hygin. f. 2, quosque illi laudant. Vitium itaque in ed. Heins. et Burm. relictum correxi.—397. F. *Illam etiam.* Et sic jam Heins., moxque *et niveos. alternas* male vett. edd. ante Aldinam. Nota fabula de Dioscuris, summa arte tractata a Pindaro Nem. x. cf. supra Æn. VI, 121 *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.* Per prolepsin Dioscuros in hac ætate memorari et, quia navigantibus adsunt, nunc memorari, facile intelligis.—398. Versus ex Eclog. IV, 49 ab alia manu illatus.—402. 403. Ex

NOTÆ

ρας τῆς ἐκείνου πηδὸς etc. In diversa abit Apollodor. III, 14, 8 Minos *τὴν κόρην τῆς πρώμνης τῶν πολεμίων ἐκβήσας, ὑποβρύχιον ἐκόλυσε.* Etiam alios fabulam sic exponere, notavit Scaliger. Propert. III, 17, 26 *Pendet Cretæa tracta puella rate:* ubi cf. Intpp. Potuit et hoc subesse poëtæ, qui primus finxit, animo, quod Scylla ob tantum facinus digna erat, cui tellus pontusque negetur, ut verbis Nasonis utar. Alii poëtæ fabulam aliter tractavere. Navi ejectum in mare a Minoë, ad Scyllæum Argolidis promontorium delatam mortuam acceperat Pausan. II, 34, p. 192. At dolore furentem, cum se a Minoë relinqui videret, in mare se præcipitasse, et puppi abeuntis navis insiluisse narrat Ovid. Met. VIII, 142 sq., ubi similes querelas Scyllæ comparent studiosi cum loco, qui sequitur, non male elaborato a poëta: et in quo ille cum Catullo LXIII, 180 sqq. certasse videtur.

391 *Complures illam Nymphæ mirantur.* Frequentatum poëtis phantasma: ut in Argonautarum historia. Proxime tamen Catullum respexisse videtur LXIII, 14. 15. In vss. 394. 395. 396. disertus locus de Ino et Melicerta.

Supprimite o paulum turbati flumina venti,
Dum queror; et Divos, quanquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et auræ,
Vos, matutina si qui de gente venitis,
Cernitis: illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla; quod, ah, salva liceat te dicere Procne;
Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam:
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno,
Qua curvus terras amplectitur Hellespontus;
Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere conjux
Dicta tibi: tamen hæc, et si non accipis, audis.

Æn. II, 405. 406. *lumina tollens.* Aldina *tendens.*—404. *turbato* ed. Ven. 1484. *turbata o* Ald. pr. Junt. et Norimb. Omninoque hæc erat vetus et vera lectio: *turbati f.* Aldina. *turbati o f.* alia vetus editio Barthio laudata. *turbata flumina* Ms. Helmst. *Venti turbati* sunt simpl. turbidi, concitati.—405. 406. Ex Ecl. VIII, 19. 20.—406. *Vos matutina si qui de gente venitis,* ut aves sint, in quas cognatione junctæ Procne et Philomela fuerant mutatæ: conf. sup. 199 sqq. Ita legitur ex Scaligeri emendatione. Vulgata lectio erat: *Vos Numantina:* sic jam vett. edd., etiam Ald., at Ven. de Tortis cum aliis: *Vos o Mantina:* promtum est in *Mantinea* hoc mutare, quod et Scaliger arripuit, sed mox iterum dimisit. Sane Arcadum ea urbs ut totam Peloponnesum designaret, satis esset insolens. Nec tamen altera Scaligeri lectio habet, in quo acquiescere possis. Doctius nomen latere, et quidem stirpis vel gentis Philomelæ et Procnes, non dubito. Itaque refingo: *Vos, Pandionia si qui de gente venitis,* per aërem volantes occurritis.—409. *Spernitis?* conj. Greene. —410. *quod o salva* vett. edd., etiam Aldina. *salva liceat te dicere* jam eadem Aldina dedit: aliæ edd. *liceat tibi.* Scaliger frustra refinxit: *liceat mihi.* Versus insititius.—414. *Scylla ego sum* Ms. Basil. *Minus* Loënsis l. c.—415. *tamen hæc, etsi non accipis, audis.* Igitur *accipere* esse debet admittere, probare. Sed usu probatum, ut sit auribus accipere, audire. Scaliger ex antiquis edd. reponit *audi:* tamen hæc audi, quanquam tibi non placent. Verum et hoc non minus jejunum. Heins. *etsi non aspicis, audis.* Totum versum a male-mane insertum arbitror, vitio priori versui semel illato, ut *Illa ego sum Minos* legeretur. Scriptum scilicet fuerat: *Illa ego Minois sacrato fœdere con-*

NOTÆ

406—458 Lamenta hæc Scyllæ non sunt a poëta tenuioris ingenii profecta; desideres modo severius judicium in dilectu rerum et sententiarum.

414. 415 *Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere conjux Dicta tibi.* Aut exciderunt multa, aut non satis præstruxit narrationem poëta. Intelligendum scilicet est, dato capillo Scyllam eadem a Minoë matrimonii jungendi accepisse. Ad pactionem eandem sunt *fœdera* referenda vs. 422. Ceterum cum his Scyllæ querelis cf. eas, quas Ovid. Met. VIII, 108 sqq. ejus ore profert, ut intelligas, in hoc ingenii lusum, in nostro poëta doloris acerbitatem ex naturæ veritate.

Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio: quod sic patriam carosque Penates
Hostibus immitique addixi ignara tyranno.
Verum esto. Hæc, Minos, illos scelerata putavi,
Si nostra ante aliquis nudasset fœdera casus,
Facturos, quorum direptis mœnibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi:
Te vero victore, prius vel sidera cursus
Mutatura suos, quam te mihi talia captæ
Facturum metui. Jam jam scelus omnia vincit.
Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno?
Ten' ego? nec mirum, vultu decepta puella
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
Non equidem ex isto speravi corpore posse
Tale malum nasci: forma, vel sidere fallor.

jux Vinctane jam magni tranabo gurgitis undas?—417. *Victa* vett. edd. ante Aldinam, ex more. *assidua* etiam Ven. Norimb.—418. Noli refingere: *Non equidem me non possum contendere dignam Supplicio*: Non possum contendere, me non dignam esse supplicio; merui vero. Sententia enim sic instructa: Non equidem possum contendere, dignam me alio supplicio, scil. quam hoc; immo veto, fateor, me dignam supplicio hoc: sed hoc ab iis, quos læseram, non a te, inferri mihi debebat.—419. *quod sic* Aldina primum dedit. Aliæ *quamquam*, male. Basil. *quam quod*. Heins. *quia nam*.—420. *ingrata* vel *ignava* conj. Heins. *gnara* emendat Scaliger. Sed et alterum habet locum: *ignara* enim futuri, cum longe aliter acceptum iri a Minoë beneficium putaret.—421. *Verum esto: Hæc, Minos* jam emendatum in eadem Aldina. Aliæ vett. *Verum est hoc* vel *Verum est hæc* cum Ms. Basil. Jo. Schrader. Emendatt. p. 63 *Verum isthæc, Minos, illos scelerata putavi...Facturos*. non male!—423. *direptæ m. urbis* em. Heins.—426. *Maturata* ed. Fabric.—427. *Jamjam scelus omnia vincit*. Languet τὸ *jamjam*. Sceleri epitheton addi poterat: sive puellæ sive Minois sceleris intelligas. Barthius interpretatione sic juvat sententiam: *omnia*, etiam fidem datam. Heins. refingit: *Jamjam scelera omnia vincis*, vel *quanquam scelera omnia vicit*.—429. *nec mirum*. Heins. f. *nimirum*.—430. Ex Ecl. VIII, 41 temere, ut puto, huc illatus.—432. *forma, vel sidere fallor*: vel specie vel fato. Putida oratio: *forte forma, proh sidera! fallor*. In

NOTÆ

418 Non equidem aliud quid merui quam tale supplicium. 421. *illos s. ..Facturos, quorum*. Deos intelligit Scaliger; quidni Megarenses? si revelassent proditionis consilia! Mox 431 *speravi* pro mĕtui, putavi, ut sæpe: conf. Æn. I, 543. IV, 419.

Non me deliciis commovit regia dives,
Coralio fragili, ac electro lacrymoso;
Me non florentes æquali corpore Nymphæ; 435
Non metus incensam potuit retinere Deorum.
Omnia vicit amor: quid enim non vinceret ille?
Non mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos accendet pinus odores,
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro. 440
Magna queror; nec et illa quidem communis alumna

Misc. Obss. Vol. IV, p. 330 virum doctum tentasse video: *formæ vel sidere falli:* ut *formæ sidus* forma siderea sit. Ms. Helmst. *forma vel sidera falle.*—434. *Coralio fragili ac electro lacrimoso:* ita refinxit versum Scaliger (nec indocte, modo *atque* maluisset), cum in Aldina esset *et*. Nec aliter Ms. Helmst. Versus procusus eo modo, quo Æn. VIII, 402. *quod fieri ferro liquidove potest electro.* Etsi nunc *electrum* succinum est, olim in summo pretio habitum. Vulgg. *et lacrymoso movit electro*, ex interpolatione, et tamen cum vitio versus. Nec aliter Ms. Basil. In Plantin. et aliis versus sic constitutus est: *Non me... dives, Dives coralio fragili et lacrimoso electro.* Loënsis sic refingebat: C. *et fragili aut monuit lacrimoso electro.* conf. Voss. de Analogia III, 36.—435. *Non me fl.* melius vet. edit. apud Loënsem.—437. *Omnia vincit amor.* Sic sup. Eclog. X, 69. Hic vero dandum erat: *Omnia vicit amor;* et hoc ipsum e Ms. Helmst. notatum video. Procedit enim sententia sic: Nihil abduxit ac deterruit me a scelere: non paterna domus deliciis et puellis comitibus affluens, non Deorum metus.—438. *Non mihi jam* Ms. Basil. vett. edd. et ipsa Aldina, melius quam *Nec. sudabunt.* Sane Ge. II, 118 *Quid tibi odorato referam sudantia ligna Balsamaque et b.* et alibi: sed alio sensu. In simili loco cum Tibullo nostro (lib. III, 4, 28) præferam *stillare: nec mihi jam pingui stillabunt tempora myrrha.*—439. *spinus* Leopardus malebat apud Loënsem Epiphyll. VIII, 27, f. inani acumine. *odores* jam Ven. 1484. Norimb. et aliæ; at Aldina protulit *honores*, quod et Heins. præfert. Nihil vulgatius hac varietate in libb. conf. Burmann. Anthol. pag. 37. Elegans autem versus de tædis, quæ novæ nuptæ præferuntur.—440. *Non Libys* Aldd. cum Ms. Basil.—441. *Vana queror* conj. Heins. *nec et illa quidem* inde ab Aldina legitur. Antiquiores: *nec ut illa quidem.* Excidit puto *me: magna queror: me ne illa quidem communis...tumulabit*, h. e. quod vero maximum est, de quo queri possim: me ne tellus quidem tumulabit, *illa communis alumnis omnibus;* aut ita legendum cum Scaligero, aut *nec me illa quidem communis alumnam tellus tumulabit;* quod malim, quodque Heins. quoque amplectitur, et ad Gronov. ad Tacit. ablegat; nondum

NOTÆ

433 *Non me commovit:* ut absterrerer a prodenda patria. Loquitur enim de Nisi patris regia, et de bonis, quibus illa adhuc usa erat. 435. *æquali corpore*, ætate, æquales, *ὁμήλικες κόραι*, ut Scaliger illustrat.

438—440 Ad nuptiarum solennia referendum, quibus se nunc privatam conqueritur; sponsa perungitur: tædæ lucent: purpureus torus sternitur: h. e. vestis purpurea in citrino lecto. Nam *Libys*, Libycus, *lectus*, ut *Libycum pecten* sup. 179, eburneum vel latinum vel citreum. Ante oculos autem habuit poëta Catull. LXIII, 43. 46. 49.

Omnibus injecta tellus tumulabit arena.
Mene inter comites, ancillarumque catervas
Mene alias inter, famularum munere fungi,
Conjugis atque tuæ, quæcumque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses.
Jam fessæ tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit;
Marmorea adductisque labascunt brachia nodis.
Æquoreæ pestes, immania corpora Ponti,

enim idonea auctoritas ulla allata est, qua *alumnum* active pro altore et nutritore dictum esse constet. Longa est ea de re disputatio in Thes. Gesner. Quod omnium codicum auctoritas in h. l. *alumna* tueri dicitur, perperam pronuntiant viri docti. Quot enim habemus codices Ciris? Male etiam Barth. provocat ad sup. 274 *haustum mihi pectus alumnæ*. Est enim: *mihi alumnæ*. In Basil. Ms. erat *ne ut illa quidem*. Unde Heins. tentat: *mene* (voluit *me ne*) *illa quidem...alumnam*.—443. *inter comites*. Sic vett. quoque edd. At Ald. et inde Veneta de Tortis: *inter matres*, minus tamen accommodate. *inter matres ancillarique marinas* Ms. Helmst.—444. *Mœnalius* vett. edd. et codd., etiam Basil. constanter, ut etiam Scaliger eo devenerit, ut ita legendum putaret: nam et Arcadiam, inquit, et reliquam Peloponnesum bello vicerat. Hoc unde habeat, nescio: illud tamen video, fraudem fecisse obscuriorem doctum librarii *Nenalias* pro *Men' alias:* quod recte inde ab Ald. sec. legitur, modo interpungatur, ut fecimus. Poëta tamen bono digniora suggerit Heinsius: *Men' viles inter;* vel *Mene colos inter*. Porro: *famulari* vel *famulatus munere*.—445. *quæcunque erit illa beata* edd. vett. ante Aldinam. Sicque Julius Sabinus legerat, idque præferam, cum Heinsio.—448. *fesso de corpore* haud dubie: e Catullo l. c. 189 *Nec prius a fesso secedent corpore vires*. Et sic quoque Jo. Schrader. Emendatt. p. 64.—449. 450. Potest et interpungi: *Et caput...cervice recumbit Marmorea:* ut Scaliger mavult. Quod autem sequitur: *adductis labascunt brachia nodis*, in versus legem peccabat: itaque inserui *que*, quod jam Scaliger facere monuerat, et jam factum video in ed. Junt. At Ald. et aliæ vett. edd. *labescunt:* hoc metro caveret, a *labor:* sed auctoritate destituitur. In Misc. Obss. Vol. IV, pag. 330 vir doctus (J. Jortin) cum Heinsio emendabat *livescunt*, eleganter: nescio tamen an vere, et ex poëtæ mente. Nam de deficiente puella sermo est. Præstat *tabescunt* cum Jo. Schradero legere.—451. *Æquoreæ pestes*. Ita statim priscæ edd. exhibuere: et ex iis reponi jussit Scaliger. *Æquorei pisces* Aldina intulit interpretamentum.

NOTÆ

442 Comparat Scaliger Catull. Epithal. Thetid. 153 *neque injecta tumulabor mortua terra:* et cum seqq. verss. ibidem versus 158 sqq. Scilicet cum se etiam tumulo privari dixisset, addit Scylla, debuisse saltem tanquam captivam in Cretam abduci et in servitio conjugis Minois haberi. Mene non licuit famularum munere fungi? et fusos penso gravidos conjugis tuæ devolvere? Imago servitutis poëtis frequentata: et Catullo eodem loco in Ariadnes querelis 160 sqq. cf. Mitscherl. Lectiones in Catull. pag. 107.

Undique conveniunt, et glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Jam tandem casus hominum, jam respice, Minos.
Sit satis hoc, tantum solam vidisse malorum:
Vel fato fuerit nobis hæc debita pestis,
Vel casu incepto, merita vel denique culpa.
Omnia nam potius, quam te læsisse, putabo.
  Labitur interea revoluta ab littore classis,
Magna repentino sinuantur lintea Coro,
Flectitur in viridi remus sale, languida fessæ
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidæ magni florentia regna Corinthi;

In promtu est videre neutrum verum esse, sed esse legendum: *Æquorei pristes*, belluæ marinæ, ut toties alibi. Sicque Heins., et, *immania corpora Phocæ*.—458. *Verbera caudarum* vett. edd., etiam Aldini, cum Ms. Basil.; ita et *hiatum* vel *hiatus* pariter debebant exhibere.—455. *Sit satis, o* Heins., bene. Idem *subisse malorum*. Ego vero hæreo in *solam*. Est enim sententia ad meum sensum jejuna: si optat sibi soli hoc contingere. An non magis consentaneum, ut illa liberari vinculis optet, et satis esse putet, si experta sit aspectum ac minas miserabilis interitus? An f. *Sit satis o tantum miseram vidisse malorum*; Heinrichs ex *solam* eliciebat *solem*.—457. Non dubito *casu incerto* esse cum Scaligero legendum. Sic sæpe *fatum* et *casus* junguntur. Astipulatur Heins.—459. *resoluta* leg. cum Heinsio et Jo. Schradero Emendatt. p. 64.—460. *lintea. littora* Ascens. Junt., male.—462. *incursu* Heins. legit; quod non capio. Vox dicitur hærere, questus mori in cursu verborum.—464. *Cypselidæ magni florentia regna Corinthi*. Neminem in versu hoc hæsisse video: habet tamen quod offendat. Cypselum Bacchidis dejectis Corinthi tyrannidem occupasse, Ol. XXX, 2, nota res est. Successit ei Periander,

NOTÆ

455 Sit satis me unam omnium puellarum tantam miseriam experiri, h. nunquam aliam esse expertam majora mala. 458. Non vulgarem magni ac generosi amoris sensum redhibet hic versus: injuriæ culpam, etsi tam indigne ab amante habita, tamen deprecatur et ab eo in quodvis aliud transfert: putabo omnia potius læsisse me, causam, cur infelix sim, fuisse, quam te læsisse me, h. tua fraude et scelere hoc factum. Aliter Ariadne Catulli LXIII, 188 sqq., quæ diras Theseo imprecatur. Mox v. 462 elegans descriptio vocis deficientis cum viribus.

463 Navigationis narratio laude sua non caret. Ex sinu Megarico inter *Scyras*, Minoam et Nisæam, in altum evectus a dextra Isthmum et Corinthum et propiore loco Scironides petras habet. Ulterius provectus Athenas præterit, tum, sinu Saronico relicto cursum tenet in medio Cycladum versus Cretam. Similes navigationes locorumque enumerationes sunt imprimis in Ovidii Metamorph. et Statii Achill. II pr. 469, *secum respectat*, h.

Præterit abruptas Scironis protinus arcos, 465
Infestumque suis diræ testudinis exit

cujus filio Psammeticho mortuo libertatem recepere Corinthii. Quæri jam potest, quis ex his sit *magnus Cypselides?* Periander, arbitror, qui et inter septem Græciæ sapientes habitus est. Vixit ille quidem multo post Minoëm tempore; sed poëta hæc narrat, non Minos. De Corintho, quem nonnulli urbis auctorem ediderunt, seu Jovis seu Marathonis filio (vid. Pausan. II, 1), agi hic nequit. Non enim urbem appellare potuit *Cypselidæ et magni florentia regna Corinthi.* Inter hæc impedita est oratio, nisi legas: *Cypselidæ et magni florentia regna, Corinthum.*—465. *abruptas rupibus arces* conj. Jo. Schrader.—466. *Infestumque suis diræ Testudinis exit Speleum.* Locus a Scaligero et Barthio tentatus, sed perperam. Fuit enim fabula de testudine annatante, quoties a Scirone præcipitarentur hospites, eorumque corpora devorante: vid. Pausan. I extr. Diodor. IV, 59. cf. Schol. Eurip. ad Hippol. 979, qui Callimachum Scironis, forte cum ipsa testudine, meminisse ait. Scironis immanitas, et *Petræ Scironides* in Megarensium finibus, res sunt pervulgatæ: vide vel Plutarch. Thes. p. 4, aut Ovid. in Metam. VII, 447. Eæ petræ sunt h. l. *abruptæ Scironis arces,* quibus subjacet *specus* χελώνης, et eædem *multo cruentæ hospite cautes* vs. sequ. Specus hoc Testudinis, ut Diodor. l. c. indicare videtur, ipsum quoque Chelones nomine tandem venisse debet, nam præcipitati hospites *κατὰ τὴν ὀνομαζομένην Χελώνην. Infestum suis,* ex persona

NOTÆ

respiciendo apud animum suum cogitat. Barthius jam comparavit ex Ge. I, 389 de cornice: *et sola in sicca secum spatiatur arena,* et ex Claudiano Epith. Pall. 47 *quid medio tecum modularis in æstu?* Scaliger *notas secum* per archaismum dictum volebat pro *sibi.* Elegans autem *τὸ respectat,* ut et alibi *respicere, aspectare,* ut Ge. III, 228. De reliquis vid. Var. Lect. 471. *Florentes Cycladas,* propter sylvas longe conspicuas navigantibus. Sic Ovidius inter Cycladas *florentem Cythnon* Met. VII, 464, et noster poëta paulo post *viridem Donusam* dixit; quod etiam Æn. III, 125 memoraverat, etsi ibi Serv. ad marmor *viride* respici ait. 476. *Marmorosam Paron,* a marmorum fodinis, etiam Ovidius dixit Met. VII, 465, loco, quo eum ante oculos habuisse h. l. suspicor. *viridem Donusam,* jam Æn. III, 125 vidimus. Interea laboris hujus tædium levare liceat alia observatione. In loco Æn. III, 125 Æneas a Delo evectus iter faciens per Cycladas relinquit Naxum, Donusam, Olearon etc. Hoc loco prospicit Scylla Cythnum, Paron, Donusam. Situs adeo hujus insulæ ex his ipsis aliqua ratione æstimari potest; quandoquidem accuratior ratio non suppetit. Corruptelam itaque in Stephano Byz. in Δονοῦσα (quam antiquam satis esse Eustathii alter ille locus ad Perieg. 530 declarat) etiam hæc arguunt: Δονοῦσα, *νῆσος μικρὰ Ῥόδου.* Enimvero nimis longe ab ea abesse debuit, si Maro non turpiter errasse dicendus est. Sin Rhodiis eam parvisse dicere volebat, *νῆσος πλὴν Ῥοδίων* dicturus fuisset; et quorsum hoc potissimum notandum veniebat in hac insula? Immo *νῆσος μικρὰ Κυκλάδων,* vel, ut alias amat Stephanus (v. c. in Πάρος), *νῆσος, μία τῶν Κυκλάδων.* Quod ibid. subjicitur, in eam insulam a Baccho ex Naxo Ariadnen traductam, viciniam non minus arguit. Plinius IV, c. 23 Donusam inter Telos et Pathmon memorat, etsi ibi *errorem ponere* se Sporades ait. A Cellario alieno loco, infra Icariam, collocata est Donusa.

Spelæum, multoque cruentas hospite cautes.
Jamque adeo tutum longe Piræea cernit,
Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
Jam procul e fluctu Minoia respicit arva,
Florentesque videt jam Cycladas, hinc Strophadasque;

Scyllæ accipiendum; h. Megarensibus, civibus suis. Noluit itaque poëta dicere quod commodius videri poterat: *Infestum et miseris diræ*. Porro Ven. de Tortis *die testudinis*, operarum puto vitio. Scaliger de Crommyonia sue cogitabat, et refingebat: *Infestumque suis diræ Thesidis exit Spelæum*. Barthius autem: *Infestumque Sinis diræ*, quod tamen ipse deseruit in Comment. ad Claudian. p. 1160, ubi aliter refingit: *Infestumque suis, diræ et testudinis*. At Heinsius iterum Sinin retraxit, sed alium in habitum refingens: *Inssumque Sini d. t. Spelæum*. Nam Sinis antrum in Isthmo. "Statius Theb. VII, 743 *Mors trepidis ignava venit, dubiumque turnti Presserit insessos onus impuleritque jugales*. Ita vetustus codex, non *insertos*, ut vulgati: lib. XII, 235 *Per fluvios secura vadi somnosque ferarum Fertur et horrendis insessa cubilia monstris*. Sic totus ille locus castigandus. *secura vadi* rescripsimus, quod in scriptis plerisque *vadit* legatur. Vulgo *secura ruit*. Pro *præter*, sive, ut in scriptis compluribus, *Præterit* vel *Fertur et*. *Insessa* denique *cubilia*, non *inserta*, codex non unus a me inspectus. Eod. lib. XII, 540 *Paulum et ab insessis mœstæ Pelopeides aris* etc. Festus: *Insessores, latrones qui circa vias insidientur sedentes*." Recte hæc: sed quid fiet nunc verbis *diræ testudinis*? eruntne de ipsa antri testudine et camera accipienda?—468 Male excusum in Heins. et Burm. *Pireeia*. Quis nescit esse Πειραιέα. Et *Pirææa* jam Aldina et aliæ vett. edd. At Junt. cum aliis male *Pyrreum*. *tutum* bene Scaliger ὀχυρὸν, ἐρυμνὸν, interpretatur. Heins. tamen tentat: *tuta heu longe Pireia*, provocans ad Stat. XII Theb. 626. Respexit puto v. 616 *et trepidis stabilem Pirææa nautis*; quæ ipsa emendationem infringunt.—469. *secum*: etsi exponi potest, v. Notam; parum tamen commode positum: nam *respectat* Athenas *oculis*, non animo *reputat secum*. F. *sæpe*, ut et Heins., qui etiam *ecce* conj.—470. *Jam procul e fluctu Minoia respicit arva*. Vide, quam faciles et liberales interdum sint Intpp. Cretam interpretantur *Minoia arva*. At eam quomodo *respicere* nunc potuit Scylla? Ferrem, si *Niseia* essent *arva*. Sed *respicit* esto prospicit; aut corrigamus potius *prospicit*: Athenis relictis qui ultra pergit, aliquot, puto, dierum cursum emetiri debet, antequam Cretam prospiciat. Potuisset tamen poëta haud dubie hæc subjicere, modo non additum esset: *Florentesque videt jam Cycladas hinc Strophadasque, Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea*. Ergo agitur adhuc de navigatione, quæ in Sinu Saronico fit: inde vero Cretam vix aliquis prospiciat. Itaque aut versum ex seqq. forte post 477 retractum et perperam h. l. insertum, aut a mala manu, ut variaret superiorem versum, in margine appictum, aut *Minoia arva* corrupta esse necesse est; etsi varietas nulla occurrit, nisi quod Ms. Helmst. *Jam procul et fluctus alia minos aspicit arva*: et, *effluxus* Ms. Basil. Prospici in eo sinu poterat navi inde a Megaris ultra Athenas provectæ ante omnes alias terras Ægina et Salamis insulæ, hæc quidem retro, illa ex adverso posita. Dicas adeo potuisse scribi: *Jam procul e fluctu Salaminia prospicit arva*, aut: *e fluctu Æacideia prospicit arva*. Prius ad literarum ductum propius accedit, sed ad navigationis progressum minus est accommodatum; malimque adeo Argolidis littus respici putare: quod pluribus modis declarari potuisset; v. c. *Pittheia prospicit arva*, h. Trœzenem. Unum adhuc est, quo *Minoia arva* tueri aliquis possit, ut ad Minoam insulam, ante portum Megarorum Nisæam positam, referat. conf. Strab. IX, 600 B.—471. *Florentesque videt jam Cycladas, hinc Strophadasque*. Scaliger; *hinc Cycladas hinc Stro-*

Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Ægæo.
Prospicit incinctam spumanti littore Cythnon,
Marmoreamque Paron, viridemque allapsa Donusam,
Æginamque simul, sementiferamque Seriphum.

phadasque. Syllabam mora et cæsura productam sexcenties interpolarunt grammatici. Sed in Aldina sec. et tert. et hinc in Veneta de Tortis mira est lectio: *Cycladas: hinc Venus illi. Hinc sinus;* eandem Ms. Helmst. habebat, nec aliter legerat Jul. Sabinus, qui de Cytheris insula interpretatur: nimis remota ab his plagis. An et hic insulæ nomen latet? Inter hæc mirum est præteriisse cum alios tum me ipsum: *Strophades,* quæ in Ionio mari sitæ inter Cycladas nec poni nec nunc prospici poterant. Cogitavit de hoc acutissimus Jo. Schrader. Emendatt. pag. 66, idemque emendat *hinc Sporadasque:* uti Æn. III, 125 *Sparsasque per æquor Cycladas.* Legitur quoque illud jam in edd. Basil. Interea pro sensu meo contendam quovis pignore, duo hos versus 470. 471 *Jam procul—Florentesque,* a mala manu venisse.—472. *Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.* Sustuli fœdum Heins. et Burm. editionum vitium, *Hermiona.* Vett. edd. *Hermiones.* At Ald. 1518 *Hermionia.* Heins. tentat *sinus statio ... Hermionæi:* non bene. Sinum Saronicum evectis et Cycladas petentibus ab altera parte ille ipse sinus, a dextra littus Argolicum, in eoque Hermione prospicitur: Ἑρμιόνη et poëtis Ἑρμιόνεια, scil. χώρα, πόλις. vid. Pausan. II, 34, p. 191. Strabo VIII, p. 573 A. Inter fragm. Callimachi: Εἰς Ἀσίνην Ἀλιπόν τε καὶ ἔμπολιν Ἑρμιονῆα. Est quidem et in hoc ipso littore sinus Hermionius, quem tamen non puto a poëta significari, cum *contra* addat: *Hinc sinus, hinc contra.* Vicissim equidem de *sinu* dubito: et suspicor fuisse scriptum: *Sunion hinc, statio contra patet Hermionea.*—473. 474. Versus adumbrati ex Æn. III, 73. 74, ubi vide.—475. *Cinthum* vett. edd. *Citrum* Jul. Sabinus. *spumanti gurgite* Jo. Schrader. conj., et *Prospicit hinc cinctam.*—476. *viridemque allapsa Donysam.* Scriptum simili more erat Æn. III, 126, nec extat auctor satis gravis, unde tuto scriptura constitui posset. Nunc tamen non multum absumi, quin librorum in Æneide et apud Plin. Tacitumque lectionem: *Donusa* pro vero nomine habeam. Nam, si a Dionyso ductum esset, Διονυσία esse debebat: quo etiam inflexum illud videas apud Steph. Byz. in Δονουσία (apud Eustath. ad Dionys. Perieg. 530 Νουσία corrupte legitur: exscripsit autem ille Stephanum) ut sit pro Διονυσία, quod ineptum est; sed et ipsum argumento esse potest, verum nomen Δονοῦσα fuisse ἀπὸ τοῦ δονεῖν, propter terræ forte motus, ut Vossius conjicit ad Melam II, 7, 104. Apud Melam tamen constantem librorum lectionem, *Dionysia,* retinendam arbitror; potuit enim inter tot alias obscuriores Sporadas etiam Dionysia esse, ut adeo facile alterius nomen in alterum transiret.—477. *Æginamque simul sementiferamque Seriphum.* Cum Seriphus a Strabone lib. X, p. 747 A. petrosa fuisse prodatur; Scaliger *serpentiferam* emendat, ὀφιόεσσαν. Simpliciter ita poëta insulam asperam et saxosam bene appellare potuit. Sed Scaliger hoc respectu fabulæ factum vult. Sane Persei cum Medusæ capite ad hanc insulam accessus, conversis in saxa incolis, celebratissima est fabula (vid. vel Pindar. Pyth. XII); enimvero de anguibus Medusæ in hac insula enatis nihil narratum accepimus. Potest vero insula esse saxosa, et tamen habere agrum fertilem, adeoque *sementifera* dici. Accedit, quod Ovidius Met. VII, 464 *planam Seriphon* dicit, quæ lectio nullo modo est solicitanda. Quidni enim diversa ratione et respectu ejusdem rei diversa esse possint epitheta? Jul. Sabinus in suo libro *amomiferamque* Seriphum legisse videtur, explicat enim amomum h. l., nisi ad v. 512 deturbanda est nota. Ms. Helmst. *salutiferam-*

Fertur, et incertis jactatur ad omnia ventis:
Cymba velut, magnas sequitur cum parvula classes,
Afer et hyberno bacchatur in æquore turbo.
Donec tale decus formæ vexavit, et ægros
Non tulit, et miseros mutavit virginis artus,
Cœruleo pollens conjux Neptunia regno.

---

quo Seriphum legit: quod quo ducat, non assequor. Sed in priore parte versus interpretes non hæsisse miror. Ab Ægina longissime aberat Minois navis, cum Seriphum jam in oculis haberet. Haud dubie verius insulæ nomen sub corruptela latet; sed et vox, *sicuti*, quæ sequitur, otiosa et inutilis. Puto poëtam scripsisse: *Et Diam et Siphnon*, s. Dia, Naxos, in proximo esse debuit. Gyaros nimis remota est, quam ut ea in Ægina latere possit: etsi eo alluderet Ovid. Met. v, 259, ubi Minerva Thebas petitura *Seriphum deserit, a dextra Cythno Gyaroque relictis*. Alia est insula, obscurior illa quidem, propiore tamen lectionem vestigio: *Ægila* vel *Ægilia* inter Cretam et Peloponnesum anotese Stephano in Αἴγιλα: quod enim ibi legitur Αἰγιλεια, jam emendatum est a viris doctis Αἰγίλεια, seu, quod malim, Αἰγιλία, nam dicitur sic Αἴγιλος, seu potius Αἴγιλα. Et sic quoque Dionys. Perieg. 499 Αἴγιλά τ' ἠδὲ Κύθηρα. Male enim Αἴγυλα ibi scribitur. Etiam Mela II, 7, 90 *At interius* (in alto Ægæi maris) *Melos, Glearos, Ægilia*, ubi cf. Vossius, qui nunc *Serigottum* seu Cytheram minorem vocari docet. Plin. IV, s. 19 *Ægila* (hanc scripturam e libb. tuetur Harduin.) *autem* XV *m. p. a Cythera, eademque a Cretæ Phalasarna oppido* XXV *M. P.* Succurrebat ab initio hæc *Ægilia* substituenda Æginæ; mox etiam vidi *Ægylam* (invito metro, ut e Dionysio intelligitur) pro vera lectione h. l. venditari a Luca Holstenio ad Steph. Byz. pag. 102. Sed, hanc a locorum situ penitus esse alienam, facile sui quemque oculi possunt docere: nec facile ea cum Paro ac Seripho jungi potuit. Recitatur tandem alia a Plinio post Euboeam lib. IV, s. 22 *Extra eam in Myrtoo multæ* (insulæ), *sed maxime illustres Glauconnesos et Ægilia; et a promontorio Gereesto—Cycladas*. Atque de hac Herodotus accipiendus erat, non de illa, lib. VI, 107, ubi insulam Styreorum Αἰγίλειαν memorat, in quam Eretrienses mancipia deduxerant. Styra Euboeæ fuisse satis vel ex Iliad. B. 539 constat. Hujus Ægiliæ situm etsi pro certo definire non ausim (inter Atticam et Euboeam collocatam eam video a Dorvillio), tamen ille minimum recedit ab his Cycladibus, inter quas nunc navigatio apud poëtam nostrum fit.—478. *ad omnia:* otiosum versus fulcrum: cui similia vidimus in Culice et Ciri alia. Poterat succurri per epitheton: *pendula*.—480. *Afer ut* em. Heins.—481. *Donec tale decus formæ vexavit, et ægros Non tulit, et*. Sensu hæc carent. Latere in *vexavit et* antiquum *vexarier* in promtu est animadvertere, multo magis si audias *vexaverit* vett. edd. ante Ald. exhibere: porro eosdem *ægram* et *ac misero*. Scaliger reposuit: *Donec tale decus formæ vexavit, et ægram Non tulit:* nulle ad sensum fructu. Melius Barthius: *Donec, tale decus formæ, vexarier ægram Non tulit et:* ut sint apposita: *ægram, tale decus formæ*. Sane nec sic scabritie versus

NOTÆ

479. 480 *Comparatur* alligata navi Scylla cum minore navigio navi alligato. Ut sit: velut cymba parvula, cum sequitur magnas classes, et cum turbo Afer bacchatur in æquore; h. e. dum interea Africus procellas movet. Eandem comparationem Statius Sylv. 4, 120 sqq. adhibuit: ut jam alii notarunt. Paulo ante v. 474 *ad omnia* debet esse ad omnem motum, impulsum, venti.

Sed tamen externam squamis vestire puellam,
Infidosque inter teneram committere pisces
Non statuit: nimium est avidum pecus Amphitrites.
Aëreis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclæo formosior ansere Ledæ.
Ac velut in niveo teneræ cum primitus ovo

caret: ferri tamen potest, multo forte magis, si *tale decus formæ*, per exclamationem et in medio posita accipias. Nam et supra mirati sunt Dii marini puellæ formam vss. 391 sqq., ut sit scribendum: *Donec (tale decus formæ!) vexarier ægram Non tulit et.* Nisi ipsa Amphitrite *ægra Nam tulit.* Cum hæc satis probabiliter videri possint dicta: ecce visum objicitur novum et dignum conjectore apud Jul. Sabinum, ubi Scriphon et Dionysam memoravit, porro legitur "Ægos pro Ægæo mari ponitur, quod etiam Valer. Flaccus usurpavit: *Et quanto fremitu se sustulit Ægos!*" Nota hæc vix alio, quam ad hunc versum spectare potest, legitque adeo in suo libro Sabinus pro *ægros*, *ægos*, quod pro Ægæo mari dictum vult. Hoc quidem perperam. Nam Ægæum mare mythice non per Ægon, sed per gigantem Ægæonem repræsentatur: sed idem *Ægæon* etiam *Ægan* effertur, Αἰγάων, Αἰγάν, Αἰγάν, ut Titan ex Titæon, a Titæa, matre. Ita etiam meliores libri ap. Valer. Flacc. loco laudato, qui est lib. I, 629, exhibent *Ægan*, ubi v. Voss. Nec tamen quicquam prodest ad sensum, si legere velis et in nostro: *Ægan.* Heins. *vexarier æque*, vel *ægræ*, vel *ægrum*, vel *ultra.* Ultimum hoc esset simplicissimum ex ipsa re natum; modo scriptura addiceret.—484. *et rigidis squamis vestire puellam* Basil. Ms., haud dubie melius.—485. *pisces.* Requiruntur *pristes* forte et h. l.; hoc est belluæ.—486. *Nimiumque avidæ regno Amphitrites* Ms. Basil., quod refingere videtur Heins. *Nimiumque infidæ regno Amphitrites.* Non satis vim perspicio. Vulgata eo spectat, quod mutata in piscem Scylla bellnarum voracitate peritura fuisset.—489. *Amyclæo...Ledæ* requiritur. Sic et Heins. Anser pro olore; ut et alibi apud poëtas.—490. *Hic velut* edd. vett., etiam Aldina cum Basil. Ms. *teneræ est cum primitus* Aldina. *teneræ cum protinus* Ven. 1484, Junt. Norimb. (cum

NOTÆ

484. 485. 486 *Externam puellam*, in externa corporis superficie. *teneram committere inter pisces:* pro, piscibus, seu relinquere inter belluas marinas; insolenter dictum; scil. metuens, ne ab iis devoraretur. *pecus Amphitrites:* antiqua poëtarum formula. Notum est Nævii, quod et Taubmann. laudat, *Lascivum Nerei simum pecus.* adde Lucret. II, 342. 343, et inprimis notum illud Horatii: *Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes.* Mox 488 *in terris*, inter homines appellatur Ciris ἀπὸ τοῦ κείρειν, detonsa patris coma.

490 sqq. Totus locus de metamorphosi hac, et inprimis comparatio hæc inchoatæ mutationis Scyllæ in alitem cum vitello ovi in pullum abeunte, ex elegantissimis est, et miror, eam Nasoni, ingeniosissimo homini, non in mentem venisse. 491, 492. *internodia fluitant membris* pro vulgari: internodia membrorum fluitant. 493. *liquido circumfusum æquore corpus;* nescio an arguter: sed malim non tam exemtum vinculis et mari natans, quam potius, ut pullus in ovo liquore ambitur, sic humore seu nebula inclusum corpus, dum mutabatur, significari.

Effigies animantis et internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore;
Sic liquido Scyllæ circumfusum æquore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur
Oris honos primum, et multis optata labella,
Et patulæ frontis species, concrescere in unum
Cœpere, et gracili mentum producere rostro.
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente, velut patrios imitatus honores,
Purpuream concussit apex in vertice cristam.
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partes, minioque infecta rubenti
Crura, nova macies obduxit squalida pelli,

Ald. tert. et Basil. Ms.) et al., et puto *protenus* poëtam magis decere.—491. *Effigies animantur* vett. edd. præter Aldinam, in qua est *Effigies animantis*, melius, puto, etsi alteram præferat Scaliger cum Heinsio. Certe non placet: *teneras effigies in ovo animari*. Contra præclare: *teneræ effigies animantis fluitant in ovo*: h. adumbrata pulli forma in liquore natat.—492. *colore* Ven. 1484. Etiam color vitelli mutatur; sicque *novo* accommodatius est. At *calor* ex incubatione est. *novus* erit continuatus, succedens de novo.—493. *liquidum* Ms. Basil.—495. 496. *atque undique mutabatur Oris honos: primum multis* legunt et interpungunt vett. edd., minus bene. Quod habemus, Aldinæ debetur. Heins. tentat *motabant* vel *nutabant*. In Ms. Basil. abest *et*. —497. *patulæ frontis species:* ergo *species frontis* pro fronte, et h. l. pro ore omnino. *Speciem* per decorem spectabilem Ascensius interpretatur. *Spatia frontis* tamen proprietas sermonis hic requirebat, vel *spatium*, quod et Heinsio in mentem venit.—500. *imitatur* Ascens. Junt. Ms. Basil.; hic et *parvos*.—501. *Puniceam* Aldina; præfert Heins., quia 511 sequitur *Purpureas*.—502. *mollis* Ald. eadem: reliquæ *membris*, cum Basil. Ms., puto melius; ut sit: *pluma intexens membris varios colores*.—503. *Mansurum* vett. edd.; et sic Ms. Basil., unde Heins. f. *insutum* vel *indutum*. *Marmoreum* Aldina restituit.—505. *In varias partes* Heins. apud Jo. Schrader., f. ut jungantur cum anteced. —506. Expressum erat in Ald. tert. Heins. et Burm. edd. *nova macies obduxit squalida pellis*, nullo cum sensu, et manifesto sphalmate. Vett. edd., etiam Aldina pr. et sec. cum Pithœana, legebant vitiose: *novamque aciem obduxit squalida pellis*. Loënsis refingebat: *Crura novamque aciem illico duxit squalida pelli*. Quod nunc legitur, verissima est emendatio jam in Pithœi margine apposita, mox a Scaligero probata. Ita *macies obduxit* crura nova pelle, *et*

NOTÆ

500 Est adeo Ciris avis cum crista purpurea, ad imitationem cincinni seu capilli purpurei patrii, quem Scylla resciderat. *volucre tegmen* est plumeum, et *perpetuæ pennæ*, quæ totas alas, olim brachia, obducunt.

Et pedibus teneris ungues confixit acutos.
Et tamen hoc demum miseræ succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni conjuge dignum.
Nunquam illam posthac oculi videre suorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas;
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
Nullæ illam sedes. Quid jam cum sedibus illi?
Quæ simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad cœlum stridentibus extulit alis,
Et multum late dispersit in æquore rorem;
Infelix virgo nequicquam a morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit ævum,
Rupibus, et scopulis, et littoribus desertis.
Nec tamen hoc iterum pœna sine: namque Deum rex,

confixit ungues pedibus, h. fixit junctim cute agglutinata; non ut digitis disjunctis olim pedes erant. Ut *tabulas configi* inter se Cato dixit. Alias malim *infixit*, vel *affixit*, quod Ms. Helmst. habebat cum Ms. Basil. Porro *Crura nova mucie subduxit* citat Salmas. ad Solin. p. 287. At *obductus cortex* et similia ap. Ovid. et al.—508. *Attamen* legit Loënsis. Qui hic sequuntur ad vs. 513 sex versus iterum ex meo judicio mali versificatoris sunt in margine alicujus libri ascripti et perperam recepti. Tulerat quidem Amphitrite opem puellæ: sed vix dignum Dea, ut ei succurreret hoc pacto; non enim puellam posthac propinqui nuptam viro viderunt. Sententia insititia et puerilis, verba partim ex trivio et parum propria. Suus cujusque sensus rem, puto, declarat.—511. *salvo* Ven. 1484, Junt. Ascens. *retinentem* facile erat cum meliore permutare. Sed adumbravit is, qui ascripsit, versum Catulli LXIII, 63 Ariadne Theseum fugientem prospicit, *Non flavo retinens subtilem vertice mitram*. At ibi aliter res se habet.—512. Hæc jam persecutus erat sup. vs. 438. Pro *Tyrio*, *Syrio* arbitror, ex poëtarum more fuisse.—513. *Nulla illam sedes* ed. Scalig. Mox *Quid enim jam sedibus illis* communis edd., etiam Aldinarum, est lectio: ut substituatur: *opus est*. Quis primus mutarit, ut in Heins. et Burm. legitur, ignoro. Heins. in schedis malit: *Quid enim cum sedibus illi?* Totus tamen versus non minus inficetus est quam ante erat.—516. *in æquora* melius Ms. Helmstad. *lato* em. Heins., perperam. Ge. IV, 430 *Ibat; eum* (Proteum) *vasti circum gens humida ponti Exultans rorem late dispersit aquarum*.—517. *a morte recepta* conj. vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 332, atqui hoc idem jam in Ald. tert., unde *a* recepi.—519. *Rupibus*. In hoc vero versu manifesta est inepti versificatoris manus.—520. *Nec tamen*

NOTÆ

514 sqq. Elegans locus et sensibus rem subjiciens graphice, *Et multum late dispersit in æquore rorem*, ut solent aves madefactas alas concutere. *nequicquam recepta*, servata, a *morte*. Præstat, puto, hoc, quam ut mortem receperit, subierit; id quod factum non est; mutatur enim in avem. *ævum incultum*; vitam asperam et horridam.

520 Nunc Jupiter, indignatus, filia scelerata in avem mutata, parentem

Omnia qui imperio terrarum millia versat,
Commotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater extinctus cæca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam sæpe tepenti
Sanguine taurorum supplex resperserat aras:
Sæpe Deum largo decorarat munere sedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit et in terris Haliæetus ales ut esset.
Quippe aquilis semper gaudet Deus ille coruscus.
Huic vero miseræ, quoniam damnata Deorum
Judicio natique et conjugis ante fuisset,
Infesti apposuitque odium crudele parentis.
Namque, ut in ætherio signorum munere præstans,

hoc ipsum vet. edit. ap. Loënsem.—521. *Omnia qui imperio terrarum millia versat.* Etiam hic versus a monacho excusus putandus. Pie quidem, sed non latine, dictum: *Deum versare imperio omnia millia terrarum*, h. e. animantium per terras; nam de infinitis terrarum orbibus nemo illa ætate cogitavit; et tamen in promtu erat versum refingere: *Qui maria imperio et terras ac sidera versat.* Heins. conj. *Omnia qui imperio rerum mortalia versat.* In schedis Wolfii pro *millia* substituebatur *munia*: nescio quo sensu.—524. 525. Variant edd. vett. primum in *tepenti*: quod omnes Aldinæ exhibent. At Ven. 1484 *videmus*: quod et Ms. Heinst. cum Ms. Basil. habebat; ceteræ vett. *nitentia*: latere in utroque *libentem* sagaciter odoratur Scaliger; sed docere debebat *libentem taurum* usquam veteribus dictum. Præferam *nitentum*: ut sæpe victima, v. c. Æn. III; 20. Heins. legit *litantium*: Ovid. *victima nulla litat.* Martial. I, 73 *Victima cæca litat.* Et remittit ad Salmas. ad Solin. Enimvero de vi vocis nemo dubitet.—525. Vett. edd. *respexerat*, et *aurat.*—528. *Helicone satus ut esset* Ms. Heinst.—529. Hic versus iterum ab interpolatore insitus videtur. Jovem *Deum coruscum* vix bonus poëta dicat. Alii, ut Ascens. et Junt., *coruscis.* Sed *aquilis coruscus* nemo noverit, nisi esse dicas, quæ fulmen coruscans unguibus portant. Ita et Heins. accipit.—530. 531. 532. Vix hæc satis sana: certe, causa adjecta qualis sit, non satis licet assequi: infestum facit Scyllæ patrem Haliæetum Jupiter, *quoniam damnata Deorum judicio natique et conjugis ante fuisset.* An Minos idem Jovis natus et Scyllæ conjux? Scaliger quidem natum Apollinem vel Minoëm, conjugem Junonem interpretatur. Putabam scribendum esse: *Judicio, patrisque et conjugis*, scil. Nisi et Minois; et versu antec. *cum jam* vel *quamvis.* In edd. nullum auxilium. *Indicio* vett., ut Ald. pr. *jam nata* pro *damnata* vet. edd. et Ald. pr. cum Ms. Helmst. Tum 532 *apposuit* sine copula haud dubie legendum: *Huic vero miseræ...Infesti apposuit odium crudele parentis. Apponere*, ut *addere*, in Virgilio vidimus. conf. ad Æn. VI, 90. Scaliger malebat *opposuit*: quod non probandum.—533. *Jamque utinam ætherio* Ven. 1484 cum Ms. Basil.

NOTÆ

interea miserum apud Inferos degere, revocavit eum in vitam et pariter avem fecit; sed Ciri infestam, tanquam ad pœnam a filia exigendam.

533 sqq. Arguta etiam hæc est comparatio. Mutuo se persequuntur fugiuntque ciris et haliæetus aves, quemadmodum duo sidera Scorpius

Unum quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona;
Sic inter sese tristis Haliæetus iras,
Et Ciris, memori servant ad secula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.

Jam veluti ætherio Junt. et al. *Namque ut in ætherio* Aldinæ debemus. *signorum munus* obscure dictum: accipio pro spectaculo. Jo. Schrader. emend. *lumine:* ut in Catull. 66, 59 *in vario lumine cœli. præstant* vitium edd. nonnullarum e vulgo. Scorpius dicitur *præstans* inter cetera sidera, non male, si Antarem in eo cogites.—534. *quam duplici* Ven. antiqua, et in fine *viri:* vitiose. Est sane scabra hujus versus oratio, etsi sententia expedita: nam, ut ad Ge. I, 33 vidimus, in sphæra veterum Libræ locum unus Scorpius occupabat. Hygin. Astron. II, 26 *Scorpius propter magnitudinem membrorum in duo signa dividitur, quorum unius effigiem nostri Libram dixerunt.* Est igitur *Scorpius, quem unum vidi duplici sidere stellarum:* habentem, occupantem situm binorum signorum: *sidus stellarum* pro sidere simpliciter. Suspicabar *stellatum duplici sidere*, h. ornatum stellis duorum siderum. Sicque vidi mox expressum in ed. Junt.—535. Legebatur in Heinsianis *fugit*, prave. vid. Not. ad h. v. Legendum est, quod jam Aldina habet, *fugat:* nam Orione occidente oritur Scorpius. Edd. vett. *clarum* (Norimb. *clarium*) *fugiant Orionem.* Junt. *clarum fugit Orionem;* eadem vitiose *alterius;* unde *Artemius* inscite Loënsis comminiscebatur. Sed emendate jam editum ab Asulano in Aldina nostra *alternis clarum fugat Oriona. fugat Orionem* Ms. Basil.—536. Male edd. vett. *Haliætus in iras.* Est ἁλιαίετος. Forte etiam *Haliæetos* maluit poëta scribere, ut docti poëtæ solent. Mox *memori fato*, fere ut Æn. I *memorem Junonis iram* dixit, passive. *servans* Ms. Basil.—538. *fugiens in æthera* Ms. Basil. Forte *init æthera* ait Heins., vel *fugiens nat in æthere.* Perperam et sine causa in vitio pessimi libri hærens.—539. Versus seqq. extant Ge. I, 406 sqq.—541. *rapidis secat æthera pennis* malebat Drakenb. ad Silium II, 513. Ita quoque in nonnullis libris scriptum in Ge. I, 409; nec tamen poëtæ semper ad eandem formulam retrahendi sunt.

NOTÆ

et Orion ortu et occasu se fugere sequique videntur. Quoties enim Orion occidit, altera ex parte Scorpius exoritur, ut ex sphæræ tractatione discere quisque potest. Idque etiam Aratus docet vss. 304. 306. 309. Versa res a priscis hominibus in fabulam, ut Orioni Scorpium immissum narrarent. cf. Hygin. Astron. II, 26 *Itaque constitutum, ut, cum Scorpius oriatur, Orion occidat*, et lib. III, 33 *hunc* (Orionem) *spectantem ad occasum et occidentem exorta Scorpionis posteriori parte.* Paulo diversa ratione ductum vidimus poëticum phantasma ab situ et ea specie, quam in sphæra cœlesti duo sidera oculis objiciunt: quo modo Pleias Piscem fugere dicta Ge. IV, 237, quod mihi illo loco molestiam facere non debebat: est enim res satis frequens. Iterum alio modo de Ursa Aratus effinxit illud: Ἡ τ' αὐτοῦ στρέφεται καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει: nam eadem tantum linea ex adverso moventur et Ursa et Orion.

PROŒMIUM

IN

CATALECTA.

MARONEM *Catalecta*, h. e. in numerum relata, conscripta, collecta carmina, κατάλεκτα ἔπη, vel *Catalecton*, scil. libellum, scripsisse, pervulgata res est; eaque credita non modo librariorum fide, qui Virgilii nomini plura ascripsere temere, quoniam ad calcem codicum Virgilii poëmatia modo hæc modo illa, prout spatium, quod vacabat, caperet, appicta videbant; verum et Grammaticorum auctoritate, Pseudodonati in Vita Virgilii §. 28, et Pseudoservii ad Æn. I pr. Nam, neutrum locum ab antiquo aliquo Grammatico profectum esse, multa manifeste produnt; et, quam levis hominum fides sit, etiam hoc arguit, quod alia poëmatia Virgilio tribuunt, quæ ejus non esse liquido constat. Nam priore loco: *Poëticum puer auspicatus, in Balistam — Deinde Catalecton et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata et Diras et Culicem, cum esset annorum quindecim.* Altero autem: *Scripsit autem septem sive octo libros hos: Cirinam, Ætnam, Culicem, Priapeia, Catalecton, Epigrammata, Copam, Diras.* Est tamen antiquior, eaque gravior, auctoritas Ausonii in Technopægnio: *Die quid significent Catalecta Maronis?* Ergo jam sæculo IV tales Catalecton libelli

extitere; (v. sup. Procem. in Culicem) et *Epigramma Virgilii* (quod inf. Epigr. II est) memoratum jam est Quintiliano Instit. Or. VIII, 3, 27. 28. Etsi ergo nomen serius accessit, antiqua tamen fama nonnulla saltem carmina brevia habita fuisse Virgiliana credere licet.

In libris scriptis et prelo expressis antiquioribus subjiciuntur ea plerumque Priapeis, ideoque in aliis, in quibus post Cirim aut alio loco collocantur, adhæsere in fronte nonnulla ex Priapeis. Porro omnia hæc poëmatia in iisdem vetustioribus continua scriptura, tanquam unicum carmen, exarantur, et quidem fœdis vitiis contaminatissima.

Cum Carmina hæc suis jam locis Anthologiæ Latinæ Burmanni Secundi inserta essent, nolui actum agere et variam lectionem, seu potius corruptelas ascribere. Itaque ea tantum commemoravi, quæ a viro doctissimo plerumque relicta videbam, ut sententiam versuum accuratiore interpretatione constituerem. Atque hæc una res tolerabilem mihi operam reddere potuit, quam in hac operis parte posui; nam in his probris virulentis, criminibus, maledictis, quidnam sit, quod bonam mentem ingenui hominis delectare possit, equidem haud video; videant illi, quibus natura hoc dedit, ut ex aliorum probris ipsi crescere sibi videantur.

P. VIRGILII MARONIS

CATALECTA.

I.

AD TUCCAM.

DELIA, Tucca, tibi venit; sed sæpe videre
Non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia sæpe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.

NOTÆ

I.

Delia, Tucca, tibi venit. Extat Anthol. Lat. lib. III, 250, editum jam ante in vet. Poët. Catalect. p. 153 (ad calc. Petron. ed. Patisson.) et a Scaligero. Nec alia fides vel auctoritas est, qua Virgilio tribuitur. *Delia* ex Scaligeri emendatione receptum est, cum legatur *de qua, T.* Idem Scaliger Epigramma hoc salsissimum et argutissimum appellat, et interpretationem subjicit, in qua tamen argutias illas vix expisceris. Fugit nos causa et occasio; quam equidem suspicor fuisse hanc: Est servus aliquis vel libertus aut alius puellæ perductor, qui eam venire nuntiat. Illa tamen, surgit quidem et exire domo tentat, sed clausæ a marito fores exire vetant. Apud Tibull. I, 9, 43 *Sæpe insperanti venit tibi munere nostro* (puella tua) *Et latuit clausas post adoperta fores;* ubi tamen latet puella pone fores per lusum. Nil igitur juvat amatorem, quod sibi dictum accipit, illam venire. Suspicatur tamen illum ipsum hominem, forte ex collibertis puellæ, interea illius amore potitum: I, ergo, subjicit, et nuntia marito, eam redisse. Ita excidisse videtur acumen in extremo versu: *cui rediit.* "*Delia, Tucca, tibi venit.*" (sunt perductoris verba: cui respondet Tucca): *sed*

Venerit aut tibi; sed jam jam mihi nuntius iste
Quid prodest? illi dicito, quæ rediit.

II.

IN C. ANNIUM CIMBRUM RHETOREM.

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor! Namque quatenus totus

NOTÆ

sæpe videre Non licet; occultur limine clausa viri. Delia sæpe tibi, (nuntias sæpe eam venisse; a te nuntiatur venisse) *non venit adhuc mihi;* (nondum eam teneo amplexu) *namque Si occultur: longe est, tangere quod nequeas. Venerit illa tibi.* (Fac nuntiari a te, eam venisse.) *Sed jam mihi nuntius iste Quid prodest? illi dicito, cui rediit:* h. ei, cui ejus reditus jucunditatem attulit; ei, qui eam tenuit —In *sæpe* corruptela latet, forte nominis, v. c. *Sexte, Scie,* aut saltem compellatio, ut: stulte; ponamus fuisse, *soave,* vel *sæve.* Nisi contendas, sæpe Tucoæ idem hoc nuntiatum esse. Mox *Venerit at* pro *aut,* emendabat Burmannus Sec., at latebat vitium in *jam jam.* In fine *illi, cui rediit, ad quem rediit,* dicito eam venisse ei, in cujus amplexus illa venit. In Cephalæ Anthologia Misc. Lips. Vol. IX, pag. 476 epigramma est similis coloris: Αὔριον ἀθρήσω σε· τὸ δ' οὔποτε γίνεται ἡμῖν. —Ὄψομαι ἀντερίην σε (ut pro ἀντερίην emendatum est a Toupio Cur. noviss. in Suid. p. 12). Legitur illud nunc in Analectis To. III, p. 111. Jacobs To. III, p. 81. Similis color passim est in aliis poëmatibus, ut Anal. III, p. 158 Incert. XXXV. cf. To. II Stratonis XLIII, p. 369.

II.

Celebre inter eruditos viros epigramma, a Quintiliano servatum Inst. Or. VIII, 3, 28, qui expresse Virgilii esse ait; et inter *Maronis catalecta* illud refert Ausonius in Monosyllab. (Idyll. XII Technopægnion: Grammaticomastix v. 5—7). Lepor, qui ei inest, magna ex parte ad nostros sensus periit; nec sine longa disputatione accurata crisis aut interpretatio institui potest. Fecit etiam otium nobis hac in re Burmannus Sec., qui hoc carmen Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, 242 exhibuit commentariis et suis et aliorum instructum: super aliis ad Interpretes Quintiliani et Ausonii, tum ad Sam. Petit. Miscell. III, 9 remittit. Ut paucis igitur defungamur: scriptum est epigramma in C. Annium Cimbrum Rhetorem, qui fratrem veneno sustulerat: idem malus rhetor, qui aut, quod in Gallia natus et in Britannia forte artem professus erat, verba barbaro more et solœco pronuntiabat, aut insolentia et barbara verba tanquam glossas affectabat (Quintilianus tamen de vetustorum verborum affectatione agit eo loco, quo versus hos commemorat: ut adeo omnis adhuc hujus carminis interpretatio parum tuta mihi esse videatur). Dicit igitur poëta, his ipsis vel barbare pronuntiatis vel exoticis et barbaris verbis eum, tanquam veneno, fratrem necasse. De lectione, admodum in multis incerta, videndi sunt iidem viri docti. Ut tamen aliquid apponam, quod lectorem in sententia assequen-

Thucydides tyrannus Atticæ febris,
Tau Gallicum spinæ ipsemet male illisit,
Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

III.

IN NOCTUINUM.

Socer, beate nec tibi nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo

NOTÆ

da juvare possit, hæc addam. *Corinthia verba* (nam hæc tenenda cum Burmanno statuo, donec verum repertum fuerit: natæ sunt forte corruptelæ ex vitiosa scriptura *Chorynthiorum*), sunt mollia, fracta, calamistrata: a luxu Corinthiorum. Inest autem simul ironiæ genus verbis. *Thucydides tyrannus Atticæ febris* esset, qui dominatur in frigore illo Atticismi affectati. Sed melior lectio: *Thucydides Britannus*. Tum pro *febris Atticæ*, τοῦ Ἀττικισμοῦ, præstat conjectura virorum doctorum: *Attice febris*, h. Ἀττική Attica. Versus quartus debet nomina exhibere vel barbara vel affectate aut barbare enuntiata. Amplectenda itaque hactenus aut Scaligeri lectio: *Tau Gallicum, min ipsum et al, ei illisit:* in eodem mortario venena illa satis nota: taurinum sanguinem, minium et allium, trivit, ut fratri misceret; ridicule igitur decurtabat ille, quoties declamabat, verba, *taur*, pro *tauro*, *min* pro *minio*, *al* pro *allio*; aut Petiti emendatio, qui Græca substituit: *Tau Gallicum* (h. Gallorum ille pessimus), *μιν, ἰψὸν et ἅλ' ei intrivit:* ut hæc e glossis obscuris petita sint vocabula, quæ ille pro stellulis suis declamationibus græce habitis inserere solebat. Est autem *ἰψὸς* ex Thuriorum glossa, *κισσὸς*, hedera, ἅλ pro ἅλς, Cyprils pro vino dicta: *μιν* pro *οἶνον* (hoc omnium minime probabiliter), ut adeo vino hedera nigra misto inebriatum sustulerit fratrem Cimber. Sed, ut paulo ante diximus, antiquata verba latere arbitramur, ejusmodi forte, quæ propius ad sonum medicaminum accedebant.

III.

Vid. Anthol. Lat. T. I, lib. II, Ep. 244. Quo jure hi et sequentes Iambi Virgilio tribuantur, non dicam; nisi forte pro firmamento hoc est, quod Marius Victorinus Virgilium in quodam epigrammate iambico ter *Thalassio* repetisse narrat: id autem factum extr. hujus carm. versu. Tribuuntur ei in antiquis catalectorum editionibus. Catullo tamen Fruterius, Calvo, idque magis sagaciter, Vossius tribuit. vid. Burmann. l. c. Ceterum fugit nos etiam hujus epigrammatis causa et occasio, adeoque etiam ejus lepos et acumen. Nisi forte hoc fuit: Noctuinus ducit Atilii filiam, hominis vinolenti, qui bona sua omnia consumserat, quemque gener secum habiturus erat: cum exitio adeo et suo et novæ nuptæ. Certe in Noctuinum et ipsum, putidum caput, odiosum hominem, videtur aliquid inclementius dicere velle.

Stupore pressa, rus abibit? Hei mihi!
Ut ille versus usquequaque pertinet;
Gener socerque, perdidistis omnia.

IV.

IN EUNDEM.

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur;
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,
Duas, et hanc, et alteram, tibi dari.
Adeste nunc, adeste, ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus herneam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

V.

IN LUCIUM.

Jacere me, quod alta non possim, putas,

NOTÆ

4 *Stupore pressa;* tua stultitia oppressa. *rus abibit*, in rus abducetur, forte quod maritus soceri vinolentia ære alieno obrutus in urbe durare nequit.

5 *Ille versus;* ex noto epigr. Catulli XXVII in Cæsarem, sed alio sensu: nunc uterque bona sua abliguriisse dicuntur.

IV.

Conjungit hoc cum antecedente Fruterius; vix bene. Collocandum quoque existimo ante superius carmen.

5 Lusus videtur in hoc latere: quod *hernea*, vel *hirnea*, quæ vasis potorii genus est, pro ipso patre vinolento ponitur, et genero pro altera conjuge et filia Atilii assignatur. Nam, ne ipsam conjugem bibacem fuisse credamus, vetat superius epigramma. *Herniam* autem legere ac herniosum socerum intelligere si velis, acumen frustra quæras.

V.

Catullo potius quam Virgilio dignum carmen, Archilochi metro et felle exaratum, et genuinum licentiæ Iambicæ exemplum, in Lucium quendam cinædum, qui eum opprobrio lacessiverat, quod attenuato per Venerem et libidinem corpore fractisque viribus militare amplius non posset (hoc enim est, *jacere*) poëta. Hoc amolitur a se poëta, recriminando pueritiæ impudicitiam, moxque abligurito patrimonio egestatem ac sordes. Extat in Anthol. Lat. [illegible] II

Ut ante, vectari freta;
Nec ferre durum frigus, aut æstum pati,
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor,
Et lingua, qua adsim tibi.
Et prostitutæ turpe contubernium
Sororis. O quid me incitas?
Quid, impudice, et improbande Cæsari?
Sed furta dicantur tua,
Et heluato sera patrimonio
In fratre parsimonia;
Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per somnum nates;
Et inscio repente clamatum super,
Thalassio, Thalassio.
Quid palluisti, fœmina? an joci dolent?
An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos fascinos:
Nec dein movere lumbos in crocotulam
Prensis videbo altaribus;
Flavum prope Tybrim et olentes nauticum

NOTÆ

Epigr. 246, ad quam lectores remittimus, qui lautiores dapes desiderant: nos apponemus tantum, quod satis sit, ne *fame genuini crepent*.

2 *Vectari freta;* ut ire, currere mare, pro per mare.

6 *Qua adsim tibi.* Versui fulcrum deest. Optime Oudendorpius: *qua jam adsim tibi. Adesse*, cum notione infesti et hostilis animi; ut alias *addi*, *apponi*. conf. ad Cirim 532.

7 Novam versus orditur sententiam: experitur scilicet nunc poëta, quid furor et lingua maledica valeat. Itaque *Ei* cum Scriverio, vel *Hei*, legendum.

10 *Si* legendum cum eodem. *Quid? si furta dicentur tua?*

15 Impurus homo muliebria passus tanquam pro nupta habitus, cui solenne illud acclamaretur. Hinc idem mox appellatus *famina*.

19 Melius sequentia interrogando efferuntur. Exprobrat ei fœda adolescentiæ flagitia. In sacris Cotyttiis (erant ea ex initiis a Thracibus acceptis. v. Strab. X, p. 731 B., qui classicus locus) Veneri ab impudicis hominibus habitis pompa fascinos gestatos esse, probabile fit: ergo *feriatus* pro, festus, dictum videtur.

21. 22 Scaliger præclare emendavit: *alaribus*, ut ἀναξυρίδες sint alæ vestis crocotæ, quas ille muliebriter vestitus et muliebriter saltans, adducit, ne saltantem impediant. in cro-

Vocare: ubi appulsæ rates
Stant in vadis cœno retentæ sordido,
Macraque luctantes aqua.
Neque in culinam, et uncta compitalia,
Dapesque duces sordidas:
Quibus repletus ut salivosis aquis,
Obesam ad uxorem redis,
Et æstuantes docte solvis pantices,
Os usque lambis saviis.
Nunc læde, nunc lacesse, si quicquam vales!
Et nomen ascribo tuum.
Cinæde Luci, an te reliquerunt opes?
Fameque genuini crepant?
Videbo habentem præter ignavos nihil

NOTÆ

coltula porro lenior est medicina, quam ea, quam Scaliger adhibet toto versu transposito: *Movere lumbos nec dein, crocotulæ Prensis videbo alaribus?*

24 Legendum cum Oudendorpio, Burmanno quoque suadente, *Flavum prope et Tybrim te olentes nauticum vocare?* (Lenius foret: *Flavum et prope Tybrim*) ut *olentes nauticum* sint nantæ, quos impurissimus homo præstolatur, ubi appulerint, ut eorum libidini serviat (*probe* est vitium edit. Scalig. pro, *prope*).

27 Exprobrat famem et egestatem, qua coactus adit *culinas*, h. loca in suburbiis, in quibus inopum funera et epulæ funebres habebantur: tum *compita*, in quibus Laribus Compitalibus et quidem ipso Compitalium die necesse est apponi solitas fuisse epulas, quas pauperes mox auferre solebant. Rem tamen aliunde declaratam nondum vidi. Factum itaque idem quod in cœna Hecates. v. 28 *duces* dedit Burmann. pro *ducis*. nec duces me in culinas? h. e. non ego videbo te adeuntem.

29 *Salivosum* Scaliger ait esse quicquid gustum reficit: recte, sed quid porro *salivatis aquis* facimus? Nisi corruptela in *aquis* latet, ut forte: *ut salivosis apris*, salivam moventibus, scriptum fuerit: accipio de ipsa saliva. Repletus iis epulis ut (quomodo!) redis saliva etiamnum ex recordatione affluente!

31 *Pantices* de fartis seu farciminibus accipiunt Scaliger et hinc alii; nec male, cum *æstuantes* appellentur: ut farcimina distenta rumpi videantur. Proprie pantices sunt intestina, quibus ad edulia farta uti solent. Toup. ad Suid. in *σιφνιάζειν* To. III, p. 134. Opp. Vol. II, p. 168. ad obscenitatem refert nescio quam; nec intelligo quid tunc sit, *solvis pantices*.

32 Legendum haud dubie, cum Burmanno secundum Colvium ad Apulei. *Oluseque lambis suaviis*, h. labiis.

35 Pro *an* fuisse suspicor *en*, et sine interrogatione lego.

37 Videbo te habere nihil præter fratres ignavos — et patruum. 39. *scissum ventrem*, podicem, *ἐν αἰσχρῷ* de cinædo. 40. *γουνοναχὴς* Hesiodi Scut. 265. 266. Conf. Ovid. Met.

Fratres et iratum Jovem,
Scissumque ventrem, et herniosi patrui
Pedes inedia turgidos.

VI.

AD VENEREM.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quæ colis Idalias,
Troius Æneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego thure modo, aut picta tua templa tabella
Ornabo, et puris serta feram manibus:
Corniger hos aries humiles, et maxima taurus
Victima sacratos tinget honore focos:
Marmoreusque tibi, Dea, versicoloribus alis,
In morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis, o Cytherea! tuus te Cæsar Olympo,
Et Surrentini littoris ora, vocat.

NOTÆ

VIII, 807. 808, pedibus ex atrophia tumentibus.

VI.

Dulcissimum poëmation. Est votum pro suscepto Æneidis opere Veneri nuncupatum, seu, ut Scaliger ex conjectura ponit, suspensum pro templo Veneris Surrentinæ. Extat in Anthol. Lat. lib. I ep. 63 cum copiosa virorum doctorum illustratione: quam adeat qui volet.

1 Si mihi contigerit Æneidem absolvere: non modo thure et tabula votiva et sertis pietatem testatam faciam, verum sacro solenni facto et statua Cupidinis posita. 3. 4. Splendida rei species: invecta Venus cum Ænea, tanquam Dea curru, per Italiam tanquam triumpho, ob Æneidem absolutam.

5 *Picta* ediderat Heins. l. c., quoniam *picta* redit v. 10.

7 *Hos humiles focos* jungendum, et cum Heinsio legendum *sacrato*. Nisi cum Burmanno emendare placet: *Corniger haud aries humilis, sed maxima taurus Victima*: quæ præfero.

9. 10 Habemus igitur et hic marmoreum signum coloribus additis, non tam in *alis versicoloribus*, quæ poëtice forte eo epitheto ornari poterant, sed in *picta pharetra*. Noli itaque mirari Dianam marmoream cothurnis puniceis Eclog. VII, 30. 31; nec ægre ferre, me de Maronis judicio et gustu sculpturæ ac picturæ dubitasse ad lib. VIII Æn.

11. 12 *Tuus te Cæsar Olympo—vocat*: non, puto, Julius Cæsar, Divus: ut is cœlo receptus Veneri supplicet: sanctorum more, qui in cœlo degunt.

VII.

RELICTIS ALIIS STUDIIS PHILOSOPHIAM EPICUREAM AMPLECTITUR.

Ite hinc, inanes rhetorum manipli,
Inflata rore non Achaico turba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui;

NOTÆ

Sed Cæsar Augustus ipse invocat Venerem in Olympo degentem. Quatenus autem *Surrentini littoris ora* pro Æneide vota faciat, illustratum a viris doctis videre vellem. Villam Virgilium non longe a Nola in agro Campano habuisse, alio loco (in Donati Vita Virgilii s. 24) vidimus; littus igitur illud ad Craterem seu Sinum Campanum per promontorium Surrentinum, ad quod ea ora protenditur, declaravit. Potuit quoque in littore Surrentino Veneris fanum esse; et habebat forte in eadem ora prædium is, qui carmen hoc scripsit; facit enim ultimum hoc distichum, cum Cæsar ipse et ora Campaniæ pro felici Æneidis successu vota facere dicantur, ut potius ab amico aliquo Maronis, quam ab ipso poëta, profectum illud judicem.

VII.

Sæpius editi et hi Scasontes extant in Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, ep. 248, ubi vid. Burm. Comparandum est ex parte initium Ciris.

1 Curtior in fine versus est syllaba, et jam suppletus a viris doctis,—*manipli, ite*: vel *ite hinc*.

2 *Ros Achaicus*, ut *Cecropius ros*, de eloquentia; seu rorem, quo cicadæ pascuntur, seu, quod malim, mel Atticum respici dixeris. *Achaicus* omnino pro Græco, et Græcanica eloquentia. *turba* in fine dudum emendatum pro *verba* a viris doctis et recte receptum est a Burmanno; turba rhetorum *inflata rore*, nequiter, ut alias, repleta, satiata, turgens, ubi de cibo vel potu agitur.

3 Versus varie tentatus. vid. Burmann. l. c. Vossiana emendatio: *Et vos, Ælique Tarquitique Varroque*, revocata scriptura ad nota nomina se commendans, metro repugnat in *Æli*, ut bene monuit Jo. Schrader. præf. Emendat. p. XXXIV. Si de priore syllaba in *Stilo* constaret, haberet hoc locum. Nec vero hi quoque versus de rhetoribus accipi possunt: quia enim Varronem inter rhetores relatum audivit? nec Scholastici h. l. declamatores esse possunt: sed Grammaticos memorare nunc videtur, homines in sermonis ratione et antiquitate illustranda occupatos. Ex eo genere Varro fuit, ejusque præceptor L. Ælius Stilo (v. Gell. I, 18. XVI, 8), Varro autem senex Virgilii juventam attigit: mortuus enim est U. C. 726, quo Virgilius a. XLIII agebat. L. Tarquitius libro de disciplina Etrusca et Ostentario claruit. Videtur idem verba ejus disciplinæ explicuisse aut alias Grammaticæ partes attigisse.

4 Si Virgilii esset hoc vere poëmation, antiquissima forte hæc esset vocis, *Scholasticorum*, auctoritas. *madens pingui*. Dictum τὸ *pingue*, pro adipe, omento, adeoque de stupore ingenii. *madere* autem pro obdactum

Ite hinc, inanis cymbalon juventutis ;
Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine ; jam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc, Camœnæ ! vos quoque limite sævæ,*
Dulces Camœnæ ; nam fatebimur verum,
Dulces fuistis. Et tamen meas chartas
Revisitote ; sed pudenter, et raro.

VIII.

DE SABINO PARODIA CATULLIANA.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,

NOTÆ

esse, adeoque, perfusum, imbutum.

5 Notum est nomen Apioni Grammatico a Tiberio Cæsare inditum, cum eum *cymbalum mundi* appellaret, quod ad juvenum aures loquaciter et inaniter streperet. Itaque *inanis juventutis* vix bene legitur ; sed aut *inane cymbalon*, aut cum Burmanno, *Ite hinc, inanes*, corrigendum. Ait igitur omnino, se rhetores et grammaticos valere jubere.

6 Heinsius castigavit feliciter : *Tuque, o mearum cura, Sexte, Musarum.* Quis hic Sext. Sabinus fuerit, nunc ignoratur.

7 *Formosi.* Si verum est, in puerorum amorem proniorem fuisse Maronem, lectio non adeo abhorrens est. Burmann. conj. *famosi, fumosi.*

8 *Nos ad beatos vela mittimus portus.* Non ut Athenas naviget : sed ut ad philosophiam se conferre dicat, quæ sapienti pro portu est et securitatem tranquillitatemque affert. Audivit autem Maro Syronem Romæ. Est autem *vela mittere* h. l. quod solemnius tendere, pandere. Ex πέμπειν dictum *mittere navem*, et nunc *vela*, putabimus ? Sane et Ovid. ex P. IV, 14, 9 *In medias Syrtes, medium mea vela Charybdin Mittite : præsenti dum careamus humo.*

9 *Scironis.* Immo vero *Syronis.*

11 Corruptus versus. Varias tentatas medelas vide ap. Burmann. l. c., quarum nulla satis facit. Antiqua scriptura : *Ite hinc Camenæ vos limite seue* vel *limite seve*, vel *sevæ*, et expletum *nam nos quoque*, vel *vos quoque*. Latet, suspicor, exquisitius Musarum epitheton, et in *seve*, *Divæ*. Ad ductum literarum foret : *Ite hinc Camenæ, voce mellita Divæ ; Dulces Camenæ.*

VIII.

Exhibet et hoc post Scalig. et alios Anthol. Lat. T. I lib. II epigr. 180 *De Sabino.* Immo vero in *P. Ventidium Bassum*, hominem vel ex Cicerone notum, propter infimum locum, quo erat natus, et summum dignitatis et fortunæ fastigium, quo pervenit : nam Picens, genere humili, puer cum matre captiva ante Pompeii Strabonis

Ait fuisse mulio celerrimus;
Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse præterire: sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam.
Neque hoc negat Tryphonis æmuli domus
Negare nobilem, insulamve cœruli:

NOTÆ

triumphantis currum ductus est; cum adolevisset, quæstum sibi ægre paravit, ac sordide invenit *comparandis mulis ac vehiculis, quæ magistratibus, qui sortiti provincias fuerat, prœbenda publice conduxisset; in isto quæstu notus esse cœpit C. Cæsari et cum eo profectus est in Gallias:* huic cum commeatus aliarumque necessitatum bellicarum curam egisset et pro eo, quem nos *bellicæ rei commissarium* (novimus hoc hominum genus) appellare solemus, fuisset, mox in amicitiam Cæsaris, inde in amplissimum ordinem pervenit, Tribunus pl., Prætor, tandem Pontifex, Consul quoque a. u. c. 711 creatus est. Idem Syriam regendam accepit et de Parthis primus omnium triumphavit. Narrat hæc et alia Gell. xv, 4. adde Plin. vii, sect. 44. Bellis civilibus cum ad Antonii partes translisset, multorum sale fuit perfrictus. Celebratum in eum est epigramma: *Concurrite omnes augures, haruspices: Portentum insuitatum conflatum est recens: Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.*

Virulentum hoc alterum in eum hominem epigramma an a Marone profectum sit, graviorem auctorem, quam eum, qui Catalecta collegit, non habemus. Mihi quidem res est prorsus improbabilis, hominem ad generosos sensus et epicam gravitatem assurgentem, ingenio tam liberali, moribus candidis et ingenua indole a natura instructum, tantam infamiam aliis inurere et conspurcando alios probris sui ipsius vitæ integritatem et humanitatem suspectam facere: qua si quis vel leviter imbutam habet mentem, abhorret ab ista truculentia et atrocitate. Improbos odit optimus quisque; non exercet in eos carnificinam. Epigramma Catulli in Phaselum (epigr. iv), quod comparent studiosi necesse est, parodia expressum esse, obvia res est. Interpretes, acumen horum Iamborum in singulis versibus illustrare contenti, de summa carminis nil monuerunt. Scilicet solebant Consules pro æde Castoris sedere: ita *sedens pro æde Castoris* Antonius Phil. iii, 11; nec mirum, cum in eadem æde sæpe Senatus haberetur: Verr. i, 49 extr. At ante eandem ædem multæ erant statuæ: vide v. c. Cic. Phil. vi, 5. Fingit igitur apud animum poëta, Ventidium, et quidem Consulem, ut ex vss. 23. 24. 25 intelligas, in sella curuli pro Castoris æde sedentem, tanquam statuam esse dedicatam titulo hoc apposito. Quod Sabinum appellat, potest cum aliis de causis factum esse, tum quod Picentes Sabinis vicini sunt.

2 *Ait fuisse:* tanquam pro titulo statuæ hæc sunt perscripta.

3 *Neque ullius volantis impetum cisi Nequisse præterire:* nullius, licet celerrimi cisii, cursum potuisse præterire vel superare cisium mulionis hujus. *Cisium* genus vehiculi levioris binis rotis instructi: vid. Burm. ad h. l. *neque nequisse* pro non potuisse, ut interdum fit. Græco more.

6. 7 Legendum cum Is. Vossio: Et

Ubi iste, post Sabinus, ante Quintio
Bidente dicit attondisse forfice
Comata colla, nequa sordidum, jugo
Premente, dura vulnus ederet juba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi hæc fuisse, et esse, cognitissima
Ait Sabinus; ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine,
Tua in palude deposuisse sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia
Jugum tulisse: læva, sive dextera,
Strigare mulas, sive utrimque cœperat,
Neque ulla vota semitalibus Deis

NOTÆ

hoc nec aut Tryphonis æmuli domum Negare (scil. ait) *nobilem, insulamve Cœruli.* Tryphon et Cœrulus muliones: alter hic custos insularius, h. insulæ, *ονους* in aliqua urbe et ædificiorum locandorum curam habens.

8 sqq. Submulionem eum ante fuisse ait Quintii alicujus. Heins. conj. *equitio:* quod alienum ab h. l. est: non de equorum armentis, sed de mulis rhedariis hic agitur. Pro *forcipe*, quod erat, *forfice* est repositum: qua mularum juba in cervice attondetur, ne jugi attritu illa exulceretur; at *forcipe* prehenditur ferrum. In *Attondisse* media metro repugnat: igitur legendum *attodisse*. Mox v. 11 pro *dura*, *adusta* Heins. conj.; nec hoc magis accommodate; non enim juba, sed collum aduritur attritu jubæ.

13. 14 *Tibi hæc fuisse et esse cognitissima, Ait Sabinus, ultima ex origine.* Ita distinguunt alii. Altera ratio firmatur exemplo Catulli, quod secutus est v. 14. 15. ut sit, inde a natalibus, a puero h. l. Sunt autem illa appellandi casu dicta: *Tibi, o Cremona*, etc.

16 *Deposuisse*, aut contrahenda est media, aut leg. *deposisse* ex *deposiisse*. Tum *tua in palude*, paludosis locis.

17 seqq. Vulgo: *Jugum tulisse: læva sive dextera. Stringere mulas, sive utrumque cœperat.* Quomodo alii, etiam qui emendarunt, intellexerint locum, dicere non habeo. Sententia videtur esse hæc: quoties altera vel utraque mula defecerat, demtum iis jugum per multa millia mulionem portasse ex humeris suis. Acerbitas igitur et in hoc, quod mulas male curatas eum egisse narrat. *Strigare* pro *stringere*, quod editur, esse legendum, manifestum est, idque Scaliger docuit, et dudum in vett. edd., ut Ven. 1486, expressum vidimus. Accipiendum tamen hic non tam pro interquiescere, sed omnino præ macie vel inedia deficere viribus, ut rhedæ ducendæ impares bigæ sint. Nunc autem nec minus manifestum est, etiam reliqua sic constituenda esse: *læva, sive dextera Strigare mula, sive utraque cœperat.* Quod media in *utraque* producitur, aliis, etsi seriorum poëtarum, exemplis idem edoctos non male habebit. Si cui tamen intolerabile hoc videatur, leget *utrimque*, vel cum viro docto apud Burm. *sive utræque cœperant.*

20. 21. 22 Tam feliciter omnia mulioni cessisse ait, ut ne vota quidem

Sibi esse facta, propter hoc novissimum,
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed hæc prius fuere; nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et Gemelle Castoris.

IX.

AD VARIUM.

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
Dispeream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem præcepta vetant me dicere: sane,
Non dicam. Sed me perdidit iste puer.

X.

AD VILLAM SYRONIS.

Villula, quæ Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiæ:

NOTÆ

Diis vialibus, *ἐνοδίοις*, unquam suscipere necesse haberet, nec ullum susciperet, præter hoc novissimum, quo, arte mulionica deposita, ejus artis instrumenta, habenas et pectinem, ex more dedicavit. Sole clarius, leg. *præter hoc n.*, tum arridet Heinsii conj. *buxeumque pectinem:* inprimis cum *eburnea* sequantur. Nunc *proximum* int. juxta lora suspensum, eodem pariete.

23 *Eburnea sede;* curuli.

25 Igitur Dioscuris fingitur dedicata statua: Consul Ventidius sedens pro æde Castoris.

IX.

Vid. Anthol. Lat. lib. III, 248. Edidit primus Scaliger.

2 *Putus*, vel *puus*, pro puero, unde *pusio*; prima syllaba longa; qua ex re, quod *putus* in metri rationem peccat, tota carminis in pusionem argutia pendet: sic quoque Burmann. judicabat.

3 *Sin autem.* Miror neminem maluisse: *Sin artis præcepta.*

X.

1 *Scironis.* Immo vero *Syronis*, Epicurei philosophi, de quo modo Epigr. VII vidimus. Inter belli civilis calamitates et metus, consanguineos suos, inque his patrem, in Syronis villa, tanquam in tuto loco, aut perfugio, collocasse videtur. Suspicari utique licet, quod Scaliger facit, scriptum carmen, cum ex agro Mantuano assignato militibus Romam discederet. Extat quoque in Anthol. Burmann. lib. III, epigr. 249. In v. 2 *tum quoque* bene emend. Jo. Schrader.

Me tibi, et hos una mecum, et quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

XI.

AD M. VALERIUM MESSALAM.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phœbo,
Pauca mihi doctæ, dicite, Pegasides.

NOTÆ

XI.

Vid. Anthol. Lat. lib. II, epigr. 122. Messalam victor carmine celebrat, tanquam victorem; 1—6. et poëtam summum—12. recitat carminum ejus argumenta: fuere ea bucolica—20. in amicam—40. Celebrat laudes bellicas Messalarum—54. Sed iis laudibus non parem esse se canendis fatetur. Virgilio attributum est a Pithœo, qui post Aldum edidit, hinc a Scaligero et aliis. Virgilio tamen non temere ascribendum esse, censebat Burmann. Sec. Dubitavi aliquando (ad lib. IV, 1. Tibull. p. 177 ed. tert. p. 192. Obss.), an omnino a vetere aliquo poëta hoc carmen profectum esset. Sed ad seriora tempora vix retrahi potest tantus orationis cultus. Nunc toto carmine diligentius excusso Augustei sæculi fœtum agnoscere mihi videor etiam in toto ejus colore et habitu. Deprehenditur enim in plerisque his poëmasin istius ætatis sermo Romanus ad dignitatem et ornatum verborum numerosque poëticos egregie comparatus: at in tota carminis summa, inque argumento ea, qua par est, copia et lumine orationis explicando et feliciter disponendo, ejusque membris commode jungendis et perpetuo quasi vinculo comprehendendis, porro in dilectu rerum vel sententiarum, quæ carmine feliciter tractari possint, magna cernitur imperitia. Hæc eadem in hac elegia occurrunt, in qua summum orationis cultum et ornatum merito mireris; judicium et subtilitatem in carminis summa ejusque partibus constituendis facile desideres. Licet enim dicas, excidisse videri nonnulla et lacunis carmen hiare: tamen illud, quod vs. 21 de puella cum heroinis comparanda sequitur, jejunum est per se et ad fastidium extremum protractum. Messalæ inscriptum esse carmen ex vs. 40 patet. Verum, an ad M. Valerium Messalam illud scriptum sit, dubitavi aliquando, quod Messalæ istius facta ac bella non attingat ea, quæ ex historia nota sunt. Sed primum non occurrit ex Messalarum stirpe alius, ad quem hæc opportunius referri possint, quæ in carmine memorantur; poëticen autem M. Messalam attigisse et poëtas amasse satis constat; tandem omnis difficultas tollitur, si ad Messalam juvenem hæc scripta statuas, cum ille, postquam stipendia variis in bellis meruerat, in Africa inprimis, Hispania et Lusitania (vss. 41 sqq. 51—54), aut in alterius triumpho inter primos duces laureatos incessisset, aut ipse ex Parthinis triumphasset: quod ei a. u. c. 715 (v. Virgilii Historia h. a.)

Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi.
Victor, qua terræ, quaque patent maria;
Horrida barbaricæ portans insignia pugnæ,
Magnus ut Œnides, utque superbus Eryx;
Nec minus idcirco nostros expromere cantus
Maximus, et sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis jactor magis, optime, curis:
Quid de te possim scribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima causa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum sale Cecropio.

NOTÆ

adeoque non nisi viginti vel quod excurrebat annos nato, contigit. Itaque de Aquitanico triumpho, in quem Tibulli I El. 7 scripta est, nullo modo hic cogitari potest. Ab his omnibus, ut solebat, dissensit et in contraria ivit doctiss. Wernsdorf, qui in Poët. Lat. min. To. III iterum hoc carmen retractavit.

1 Quæ pulcher Apollo cognoscere, quibus adesse non refugiat.

3 *Magni triumphi.* Dalmatici: ut quidem arbitror. v. paulo ante. *decus triumphi*, is, qui in pompa triumphali omnium maxime conspicuus est. Alias de eo dici posset, qui secundum triumphatorem maxima rerum gestarum laude inclaruit. Sed nullus per hos annos triumphus occurrit, cui Messala interesse potuerit. 4. *Victor qua t.* simpl. terra marique victor.

6 *Œnides.* Ita N. Heinsius edidit: cum antea legeretur: *Æneides*, *Ænides*. Voss. cod. *Eonides*. Quomodo Diomedes ad triumphalem pompam declarandam aptus sit, non magis intelligo, quam unde *Eryx* huc veniat: quem hoc unum nobilitavit, quod, cum hospites cestu provocaret, ab Hercule occisus est. Pro Œnide *Alcides* bene substitui posset: quem in simili laude Virgilius nominabat Æn. VI, 802 sqq., sed cum Baccho: *Nec vero Alcides tantum t.*

7. 8 Nec minus idem maximus poëta. Et in hac laude nunc moratur in seqq. Hoc magis itaque insolito more solicitus sum, quid ipse ad te scribam. Fateor enim hoc, quod me dehortari debebat, si cogitarem, me ad tam magnum poëtam scribere, hoc ipsum me multo magis excitare, ut scribam.

13 *Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas:* descripta a me sunt. Is enim illo tempore mos erat, ut studiosi carmina, quæ in publicum exibant, in suos pugillares referrent. cf. Burmann. h. l.

14 *Carmina cum lingua, tum sale Cecropio.* Quæ sint *carmina sale Cecropio*, facile est ad intelligendum; sed quid sunt *carmina lingua*? Scilicet erit repetendum: *lingua Cecropia*. Ita vero Græca carmina exarat noster poëta? Haud dubie Attica elegantia et Attico lepore imbutos versus declarare vult. Forte sic præstat legere: *Carmina cum lingua, tum sale, Cecropia*, h. quæ sint Attica, Atticis similia, cum oratione, tum lepore.

Carmina, quæ Pylium, sæclis acçepta futuris,
  Carmina, quæ Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus
  Mœris pastores et Meliboeus erant;
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
  Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida Divi:
  Certatim Divæ munere quæque suo.'
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
  Altera non fama dixerit esse prior.
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
  Quæ volucrem cursu vicerat Hippomenem;
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
  Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
  Optabant Graiæ quam sibi quæque manus;
Sæpe animam generi pro qua pater impius hausit;
  Sæpe rubro Eleis sanguine fluxit humus;

NOTÆ

15 *Pylium* bis otiose repeti, vidit N. Heinsius et emendavit: *Carmina quæ Pelian*; vel *Carmina quæ Phrygium*; alterum hoc merito præfert Burmann., quem vide; ut sit Tithonus vel Priamus. In Ms. Helmst. hic versus deerat.

17 Quæ sequuntur usque ad v. 40 tractata esse necesse est in aliquo Messalæ carmine, et quidem bucolici generis. Sed vereor, ut vss. 17...20 a poëta nostro, nec potius ab alio viro docto, qui hiatum explere voluerit, profecti sint. Absunt quoque, quod Burmannum non fugit, ab edit. Ald. 1517. *Molliter hic erant* vix latine dictum est. Vs. 20 *Trinacriæ juvenis*, qui non magis dici potest, emendatus est a Broukhusio: *Trinacria juvenis*, Theocritus, *ὁ ἐκ Τριναυπλας*. cf. Burmann.

21 Post ea, quæ intercidisse videntur, ad amasiam Messalæ, carminibus ejus celebratam, progreditur. Sulpicia illa fuit, Servii filia. v. Tibull. nostrum in Vita et ad lib. IV, El. 2. In fine versus—*omnes heroida Divi* legendum esse, manifestum est; non *Divæ*. Monitum quoque a viris doctis. vid. Burmann.

24 Erat: *alter non famam dixerit ipse prior*. Varie tentatus versus. Sententia in aprico est: non aliam puellam fama priorem esse. Proxime ad corruptam lectionem accedit Munkeri emendatio: *Altera non fama dixerit esse prior*: per græcismum. Simplicitate quoque se commendat, quod raro fieri solet, Salmasii conjectura: *Altera nam fama vix erit estque prior*; nisi quod *estve* malim.

25. 26 Atalanta, quæ vicisset et cursu superatura fuisset Hippomenem, nisi pomo aureo in frandem adducta fuisset.

29—32 De Hippodamia, Œnomai filia, qui rex Elidis erat; unde *Eleidem terram* vs. 32 dixit; tandem a Pelope curuli certamine superatus.

Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Immitti expectant fulmine, et imbre, Jovem:
Cujus et ob raptum pulsi liquere Penates
Tarquinii patrios, filius atque pater;
Illo, quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa, neque immeritis, donavit præmia alumnis;
Præmia Messalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?
Horrida quid duræ tempora militiæ?
Castra foro solitos, urbi præponere castra,
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?
Immoderata pati nunc frigora, nuncque calores?
Stertere vel dura posse super silice?
Sæpe trucem adverso perlabi sidere Pontum?
Sæpe mare audendo vincere, sæpe hyemem?
Sæpe etiam densos immittere corpus in hostes;

NOTÆ

defensa quid sibi velit, non dixerunt viri docti; an quatenus certaminis lex intercedebat, ne proci eam conjugem ferrent; an fuit *detenta?* detinebatur enim certamine, quo minus proci ea potirentur. Mox *Graiæ manus*, juvenes proci. 31. *generi*, h. l. pro proco: ut sæpe. vid. Burmann.

34 *Expectant*. Adversatur hoc orationis decursui. Esse debebat *expectantes*. Nec *expectans* satis accommodatum. Itaque præfero Scaligeri emendationem *expertæ;* ut sit: Semele et Danaë, *expertæ*, *Jovem fulmine et imbre immitti ἐνσκήπτεσθαι, descendere, venire.*

35 *Cujus et ob*, h. et illa non prior fama est, cujus etc.

41 *Jam quid ego*, cum Burmanno legendum; qui comparat Tibull. IV, 1, 82 sq. Transit autem non tam ad Messalæ, quam potius ad gentis Valeriæ, inprimisque Messalarum, virtutes bellicas prædicandas.

44 Corruptus versus. Variæ medelæ apud Burmann. memorantur. *Tam procul hoc natos* scil. solo, vel *Tam procul hinc* Scaliger, *Tam procul agnatis* Salmasius, *Tam procul a nato*, Francius conjecit; neuter satis commode. In altero membro uterque: *tam procul a patria*. In priore autem ne illud quidem satis faciat, si *Tam procul a natis* legamus. Forte scriptum fuit: *Tam procul, orbe alio: tam procul a patria*. *Orbem* ita dici vulgatum est: sic *orbis diversus, ultimus, longinquus* et al.

48 Legebatur: *Sæpe audendo mare*. Cum Burmanno Broukhusianam illam, facilem et obviam, emendationem amplexus sum: *Sæpe mare audendo*. Cum ex uno tantum alterove Codice, qui superest, provenerint hæc carmina, mirum non est, vitia vel manifesta editiones constanter obsidere.

Communem belli nec timuisse Deum?
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem?
Vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes;
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa, hæc ipsa ferent rerum monumenta per orbem;
Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina Divi,
Cynthius, et Musæ, Bacchus, et Aglaie.
Si laudes aspirem, humili sed adire Camœna;
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus: optatis plus jam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.

NOTÆ

50 *Communem belli Deum.* conf. Burmann. et sup. Ciris v. 359.

51 *Perituraque millia gentis.* Saltem apposite legendum *p. millia, gentes.* Verum et hoc scabrum est. Sic quidem in Anthol. lib. 1 ep. 107 Memnon *Producit gentis millia tetra suæ.* Oudendorp. conj. *perjuræque ultima gentis.* Amplecterer, quo libri ducunt (etiam Ms. Helmstad. *perjure m.*), *perjuræ;* sed reliqua parum placent. Excidit, suspicor, nomen gentis: v. c. *perituraque millia, Mauros* vel *Iberos.* Nam in bello inter Cæsarem et Pompeium Messala loca illa adisse videtur.

55 *Non nostrum est, unquam* bene emendat Burm. *Non nostrum tantas inquam est,* Ms. Helmst.

57 *Ipsa, hæc ipsa ferent,* scil. laudes illas; alias una ex emendationibus ibidem allatis amplectenda: seu Salmasii: *Ipsa hæc se ipsa ferent,* seu Heinsii: *Ipsa hunc,* vel *Sese hæc ipsa ferent,* seu Oudendorpii: *Sed te hæc ipsa ferent.* seu: *Ipsa hæc te, ipsa ferent.*

59—61 Non una hæc laborant corruptela. Priora transpositione sanare annixus est Burmannus. Equidem v. 60. 61 ejiciam: etsi etiam in 62 insolens est *adire laudes* alterius, assurgere velle ad eas, æmulari. *Græci sales* videntur esse de *Cecropio sale* vs. 14, Attico lepore accipiendi, qui Messalæ versibus latinis inerat. Sed sine libris frustra aliquid certæ et exploratæ opis expectatur. Apponam tantum varietatem lectionis ex Ald. pr. (et aliis vett., ut Ven. 1486) *Si laudem aspirem, humiles sed adire Sirenas.* Varie hoc tentant viri docti apud Burm. Docte, etsi vix vere, refinxit Scaliger: *Si laudem Asera humilis, si Doridas heroinas,* h. Hesiodum et μεγάλας ἠοίας. *adire* pro attingere. In Ms. Helmst. legebatur: *Si laudem aspirarem, humilis sed audire cyrenas.* Wernsdorf in Excurs. ad h. v. multum operæ posuit in aliqua loci constituendi ratione exputanda, et legit: *Si laudem adspirante, humili sed adire Camena Possumus.*

XII.

IN POMPEIUM MAGNUM VEL IN MITHRIDATEM.

Aspice, quem valido subnixum gloria regno
  Altius et cœli sedibus extulerat,
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem;
  Hic reges Asiæ fregerat et populos.
Hic grave servitium tibi, jam tibi, Roma, ferebat;
  Cetera namque viri cuspide conciderant;
Cum subito in medio rerum certamine præceps
  Corruit, e patria pulsus in exilium.

NOTÆ

XII.

Disertum carmen, apertum planumque, sententiis verbisque gravibus. Anthol. Lat. lib. II, 128, p. 301. Sed, in quem scriptum illud sit, liquido non constat: etsi vix assequi licet, quo modo tantæ rerum conversionis, quæ hoc carmine narratur, auctor obscurus esse possit. Si ea colligas, quæ de magno hoc viro, de fortunæ fastigio dejecto, memorantur: nemo in historia Romana, sive ante sive post Virgilium occurrit, cui satis ea conveniant. *Pompeius Magnus* statim lectoris animo occurrit: in quo fortunæ vicissitudo et inconstantia etiam a poëtis notari solet, v. c. Petron. 123, et multis epigrammatibus in Anthol. Lat. lib. II, 25 sqq., sed in eum parum proprie dici potest illud, quod *e patria pulsus in exilium* est. Dicendum igitur, scriptum esse carmen illo temporis intervallo, quo Pharsalia fugatus Ægyptum petierat, necdum de ejus cæde constabat: alioqui multo magis hæc commemoranda veniebat. Quod *valido subnixus regno*, quod *servitium Romæ* parasse dicitur, non minus male me habent. Alter, in quem facile incidas et Scaliger quoque incidit, *Mithridates* est, Ponti rex, in quem omnia egregie conveniunt, præter illud: *e patria;* debebat enim potius *e regno* pulsus in exilium dici. Debuit ergo Romano more dictum esse *e patria* pro ex regno. De Mithridate intelligendum esse, nuper iterum pronuntiavit Ruhnken. ad Vellei. II, 16, 3, sed quomodo *is e patria pulsus in exilium* dici possit, non docuit. Argumentum addit e Cic. pro Murena 15 sumtum esse: unde etiam singulorum petenda sit explicatio. Sane ibi breviter exponuntur res Mithridatis regis: sententiarum poëtæ vestigia ac semina non video. Ad *Alexandrum* M. retulit Oudendorpius, ut e Burmann. disco: quod parum commode fieri videtur.

3 *Terrore hic belli* eleganter emendat Ruhnken. l. c. nec tamen necesse. Pro *magnum Magnus* conj. Burmann., ut sit Pompeius. In v. 2 malim: *Altius heu c.*

4 *Fregerat, hic populos* Cod. Voss. et ed. Ven. apud Burmann.

5 *Hic grave servitium jamjam tibi* Voss. Cod. apud eundem.

Tale Deæ numen; tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

XIII.

AD ANTONIUM MUSAM.

Quocumque ire ferunt variæ nos tempora vitæ,
Tangere quas terras, quosque videre homines:
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest?
Cui Venus ante alios, Divi, Divumque sorores,
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona;
Cuncta, quibus gaudet Phœbus, chorus ipseque Phœbi;
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
O quis te in terris loquitur jucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari;
Non, contra ut sit amor mutuus inde mihi.

XIV.

IN OCTAVII MORTEM.

Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quæ
Dicunt, an, nimio pocula dura mero?

NOTÆ

9. 10 Distichon viros doctos non videtur moratum esse; equidem non satis expedio. Quid enim est: *dare mortalia?* Forte: *Tale Deæ numen: possum mortalia nutu—dedit:* ut sit, possum dare solet hora mortalia. Ruhnken. *Hora premit* legebat l. c.

XIII.

Antonii Musæ, medici Augusti, nomen non obscurum est vel ex Sueton. Aug. 59. v. al. apud Burm., qui hoc poëmatium Anthol. Lat. inseruit lib. II, ep. 124. Nunc ex hoc poëmatio, quod non alio, quam eo auctore, qui catalecta collegit, Virgilii esse fertur, hoc discimus, fuisse eum poëtæ amicissimum, omnibusque ingenii dotibus et artibus politissimum hominem. Hæc etsi admittas, artem tamen medicam in ceteris laudibus vix omittere potuisset auctor carminis. Ad rhetorem Musam, qui a Seneca in Contraversiis aliquot locis memoratur, cum viro docto referre malim.

7 *Phœbi chorus ipseque* Phœbus; refingebat Scalig. cum aliis.

10 *Clio tam certe* emendavit Casaub.

XIV.

Vid. in Anthol. Lat. lib. II, Ep. 65. Claudit hoc epigramma agmen catalectorum, quæ Maroni vulgo tribuun-

Vobis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
Fata; quod immeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
Raptum, et Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, Manes,
Hunc superesse patri quæ fuit invidia?

XV.

P. VIRGILII MARONIS

Fragmenta ex Epistola, quam ad Augustum Cæsarem super Æneide sua scripsit.

Ego vero frequentes a te literas accipio. *Et infra:* De Ænea quidem meo, si, me Hercules, jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est; ut pæne vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cum præsertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, impertiar.

NOTÆ

tur. Quis hic Octavius sit, ignorari, eo magis mirationem facit, quod scriptis multis inclaruisse et historiam Romanam aggressus esse narratur v. 5. 6. Eum juvenem ante patrem inter pocula, cum excanduisset, repente mortuum esse ita, ut de causa mortis dubitatio esset, a poëta discimus, qui causam in iracundiam a mero avertere allaborat.

2 *Pocula dura* vix bene dicuntur; melius *dira* cum Oudendorpio, vel *ducta* cum Heinsio legas.

3 *Vobis si culpa est bilis.* Laborat caput versus. Cod. Voss. *Vobiscum si est culpabilli.* Heins. *Vobis sic culpa est bilis* vel *Haud necis in culpa est bilis.* In promtu est multa commisci: *An magis in culpa est bilis?* vel *Fervida an in c. An tumida in c.* Forte nihil horum; sed: *Non culpa est illis; sua q.* sed quis ullum præstet? Simplicitate ingeniose se commendat Jacobs nostri conj. *Mortis si culpa est bilis;* Animadversa. p. 318.

PROŒMIUM

IN

C O P A M.

SUPERIORA carmina ex Heinsiana et Burmanniana recensione repetivimus. Ex ceteris Virgilio perperam vulgo tributis carminibus, quæ Burmannus Secundus in Anthologia Latina nuper iterum excudenda curavit et multis eruditionis copiis illustravit, duo adhuc subjungere placet, *Copam* et *Moretum:* quorum hoc prorsus ab eo prætermissum, illud interpretationis adhuc luce aliqua egere visum est, dignum certe, quod hic repeteretur, cum ex elegantissimis poëmatiis sit.

In *anum propolam* scriptum esse carmen vulgo aiunt. Ita vero omnis ejus suavitas sublata et ad veram interpretationem via præclusa videri debet. Immo vero *invitatio* est *ad compotationem et hilariter exigendum diem in taberna cauponaria;* cujus generis fuere olim plures, ut etiam nunc sunt, extra urbem, ad Tiberim et ad littus maris. Ad eas tabernas non modo sordida et nautica plebs confluebat: verum erant aliæ, quas lautiores et elegantiores homines adirent.

Quod *Copa* carmen inscriptum est, id a prima ejus voce fluxit. *Copa, caupa, cupa,* mulier est cauponia, ut copiose Scaliger docuit. Nec tamen h. l. eam, quæ cauponam

ipsa exercet, intelligere necesse est, sed simpliciter mulierem, quæ in caupona vel taberna artem exercet. Est enim h. l. crotalistria, h. e. saltatrix cum crotalis, e gente Syrorum; cujus generis fœminæ, tibicinæ, citharistriæ vel fidicinæ, in his tabernis haberi solebant. Notæ illæ *Ambubaiarum* nomine sunt ex Horatio et Suetonio. Nec vero cum Scaligero de vetula cogitandum, quia mitrata esse narratur v. 1, cum etiam puellas et juvenculas mitra, seu fascia ac diademate, comprehensam et involutam comam habuisse satis constet.

Carmen hoc Virgilio vulgo tribuunt codices, qui minora poëmatia continent, etiam Grammaticus is, qui Servio in fronte Æneidis suos attexuit pannos, tum gravior ceteris auctor Sosipater Carisius I Instit. Gramm. pag. 47 Putsch., ubi: *cupo, cuponis*, inquit, *ut fullo, fullonis, quamvis Virgilius librum suum Cupam inscripserit.* Vereor tamen, ne hoc ipsum serioris interpolatoris judicium sit, a re et loco satis alienum. Prisciani ab aliis auctoritatem perperam laudari, Burmannus docuit l. c. Nuper doctiss. vir, Wernsdorf, hoc ipsum carmen repetiit in Poët. minor. T. II ad calcem *Septimii Sereni* fragmentorum, quem hujus ipsius carminis auctorem esse malit. Adeant eum, qui plura ad illustranda verba carminis desiderant.

Ceterum elegi hi non modo orationis Romanæ elegantia, sed etiam toto carminis habitu cultuque, non vulgares sunt nec contemnendi poëtæ lusus. Etsi enim, majore ex parte, earum rerum, quæ ad hilaritatem invitare possunt, enumeratione absolvuntur; res tamen sunt jucundæ et ad animum sensumque gratæ. Autumnali autem die institutam compotationem cogitare necesse est. cf. v. 11.

P. VIRGILII MARONIS

COPA.

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

NOTÆ

1 *Syrisca.* Scaliger comparat *Syriastæ* Martiali et Ausonio dictum, et *Threiscum* Θρηϊκιον apud Julium Capitolinum. Alia memorat Salmas. ad e. l. Sed nullum exemplum ex meliore ævo allatum vidi; nisi quod ex Columella succurrit lib. x, 418, ubi ficum *Scissam Libyscam* constanter libri tenent. Attamen et ibi *Libyssam* unice verum judicabat Gesnerus. Nec h. l. aliter legendum arbitror quam: *Copa Syrissa*, ut Threissa, Cillssa et al. Nulla autem alia hujus et seqq. sententia est, quam hæc: omnia in taberna instructa esse ad diem hilariter et suaviter exigendum. Ecce jam saltat crotalistria, et sic porro. *Caupona Syra* e Lucilio apud Priscian. vi, pag. 684 occurrit. *Graia redimita mitella:* fuit ergo Græcanici alicujus ritus ornamentum hoc: genus fasciæ, quo capilli colligerentur. Talem crotalistriam mitratam in monumentis passim videre memini: unum et alterum exemplum est in picturis Herculanensibus. Nec diversi generis sunt tibicinæ, fidicinæ, psaltriæ. Horat. i Epp. 14, 25 *meretrix tibicina, cujus Ad strepitum saltas terræ gravis:* ad villicum. Quid in Syrorum institutis, religiosis forte, fuerit, quod fœminas crotalistrias fingeret, ita ut in Italia quoque quæstum inde facerent, non reperio. Nomen quidem Syrorum late patuit. Potuere quoque Judææ fœminæ sub eo nomine comprehendi.

3 *Famosa taberna.* In promtu est conjicere *fumosa:* nec parum mihi arridere fateor; sic quoque Ms. Helmstad. exhibuisse video. Præfert tamen Burmann. vulgatum: melius enim convenire illud crotalistriæ lascivæ et infami.

4 Crotalistria describitur. *Calami* sunt ipsa crotala, h. virgulæ, alias æreæ, sed nunc ex arundine scissa, quas illa inter saltandum concutit

Quid juvat æstivo defessum pulvere abesse,
  Quam potius bibulo decubuisse toro?
Sunt cupæ, calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
  Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Est et Mænalio quæ garrit dulce sub antro,
  Rustica pastoris fistula more sonans.
Est et vappa, cado nuper diffusa picato.
  Est strepitans rauco murmure rivus aquæ.

NOTÆ

cum manus gesticulatione: qua, dum virgularum, quas medias digitis tenet, pars inferior versus brachia complo-ditur, *ad cubitum excutere calamos* h. l. dicitur.

5 Meo quidem judicio, a quo si quis dissentiat, æquo animo feram, non Copæ verba, quod vulgo credi video, hæc sunt: nec enim poëta hoc diserte pronuntiat; et ex persona poëtæ hujusmodi hortatus ad vitam exhilarandam multo plus suavitatis et auctoritatis habent, quam ex ore meretriculæ; a cujus persona pleraque aliena sunt; sed verba sunt poëtæ, qui pergit in eo, quod orsus est. *æstivo defessum pulvere abesse* accipiendum erit, dictum pro: *æstivo pulvere*, labore, defatigatum, viribus exhaustum, desidere domi, nec se conferre in viam ad tabernam. Ad exercitationem campestrem revocat unice Scaliger. Malim a peregrinatione, mercaturæ studio, et similibus petere usum τοῦ *abesse*: fere ut Tibull. I, 1 *Nec semper longæ deditus esse viæ*, ubi ex h. l. hariolari possis: *Nec semper longa fessus abesse via*. Tum, ut nunc interpungitur, intelligendum est: *Quid juvat...abesse potius quam*. Nisi placet cum Barthio distinguere: *Quid juvat...abesse? Quam potius,...toro!* scil. juvat. *bibulum torum* vocat, Scaliger ait, in quo plurimum biberetur. Durum vero hoc. Accipio de cespite vel gramine aqua irrigato, ut lætum virescat. Poterat alio epitheto ornare: ut *fragilem*, *tenerum*, *siccum* cespitem dicunt alii poëtæ: nunc hoc maluit, nec inscite.

7 *Cupæ* vel *Cuppæ* sunt in cella vinaria vasa majora. At lectionis varietas viris doctis emendandi facultatem attulit. Scaliger legit: *Sunt topia et calybæ:* quæ calicum genera sunt. Heinsius autem: *Sunt obba et calices*. Cui accuratius hæc cognoscere libet, ei adeundi sunt Intpp. ad h. l.

8 *Trichila* vel *trichilum* pergula est ex vitibus aliave arbore pedamentis et jugis firmata, implicitis frondibus concamerata vel arcuata ad umbram faciendam, notiore voce *hypampelos* dicta. v. viros doctos ad h. l. et Columell. X, 378. Similem compotationem sub umbraculo describi in Propert. IV, 8, 35 sqq. notavit Burmannus. Male in *triclinia* inciderunt nonnulli; etsi sic quoque Pompon. Sab. *triclina* pro triclinia. Etiam Ms. Helmstad. *triclina umbrosis*.

9 *En et Mænalio* alii, et recte, *sonat*.

10 *Pastoris more;* immo *in ore*.

11 *Defusa* duo codd., et id malunt viri docti: nam agitur de vino e cado, majore vase, in minus defuso; non de vino in plura minora vasa diffuso.

12 *Et strepitans* legendum cum al. edd. *strepitans* in *crepitans*, *trepidans*, mutant viri docti, iidem hoc in illud mutaturi, si alterum reperissent: hujusmodi correctiones dudum ex re

Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ;
  Sertaque purpurea lutea mista rosa;
Et quæ virgineo libata Achelois ab amne
  Lilia vimineis attulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat.
  Sunt autumnali cerea pruna die;
Castaneæque nuces, et suave rubentia mala.
  Est hic munda Ceres; est Amor; est Bromius.
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis.
  Est pendens junco cœruleus cucumis.
Est tuguri custos armatus falce saligna;
  Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc Alibida veni: fessus jam sudat asellus:

NOTÆ

critica sublatæ et explosæ esse debebant; sunt enim nec magis ingeniosæ quam non fructuosæ.

13 *Sunt et Cecropio junctæ de flore corollæ* tres codd. Unde Burmann. non indocte conjicit: *Corycio junctæ de flore*, vel *Corycioque croco violæ de flore corollæ*. Mox v. 14 *rosam* in autumno adeoque certi generis, serioris proventus, narrari necesse est.

15. 16 Suavissimum distichon: Cernis nympham calatho afferentem potantibus lilia. Ecl. II, 46 sqq. Nymphæ et Naiades formoso puero flores ferunt; sic h. l. Nympha Achelois, h. fontana, amnicola, ut unam ex Naiadibus significet. *Acheloum* de aqua dici poëtis non infrequens. *libata ab amne*, humefacta, viola in ripa florens, quam adeo alluit unda. Miror Heinsii acumen: *libata ab ore* legentis. *virgineum amnem* suaviter dixit purum, pellucidum. Comparat *fontes ingenuos* Lucretii I, 231 Wakefield. Nec ad Virginem aquam, quæ Romæ fuit, recurram.

17 *Scirpea* Leid. et ed. Junt., et *cirpea fiscina* Ald., doctius utique; ut *juncea* pro interpretamento sit.

22 *Et pendens* melius alii; et porro Ms. Helmstad. *Et pendet*. Tum *junco* pendet cucumis, quo alligatur stipiti, vel pedatur.

23 *Et tugurI* etiam h. l. alii melius. Sed totum distichon alienum ab h. l. et aliunde illatum: quod ordo sententiarum et loci ratio satis docet.

25 *Huc Alibida veni*. Silenum interpretabantur: qui tamen a loco et re alienus esse videtur, quando quidem hic in vera vita versatur poëta. *Asivida* pro asinivehida ex Plauto huc inferre voluere, Heins. Scalig. et Gesner. de Silenis Tom. IV Commentatt. pag. 45. Turnebi (Adverss. XIII, 22) lectio: *Huc ad liba veni*, facilitate se commendat; sed parum ad sensum facit. *Calybita* e codd., quibus Helmstad. adde, jam probarunt Salmasius, qui videndus ad Hist. Aug. p. 491, et alii, intelligentes Gallum matris Deum vel Deæ Syriæ sacra circumvehentem; hunc eundem esse puta agyrtam, qui adeo plebeculam præstigiis suis tripudiisque inter cymbalorum tympanorumque strepitum delectat. cf. Apulei. lib. VII. Occurrunt et hi homines passim in anaglyphis antiquis: v. c. *Cayl. Recueil* T. I, tab. 20. Calybe, *adie-*

Parce illi; vestrum delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ.
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro;
Seu vis crystallo ferre novos calices.
Eia age pampinea fessus requiesce sub umbra;
Et gravidum roseo necte caput strophio;
Candida formosæ decerpes ora puellæ.
Ah! pereat, cui sunt prisca supercilia!
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista legi?
Pone merum et talos. Pereant, qui crastina curant!
Mors aurem vellens: Vivite, ait, venio.

NOTÆ

nos, templum vel sacrarium Deæ simulacrum recipiens. Porro autem legend. *venit:* quod et codex unus offert. Etiam agyrta huc venit, asello suo insidens. Tum suaviter subjicitur illud: *Parce illi* etc. nec tamen eum nimium ad cursum accelerandum flagris incita; contubernale vobis, Galli, pecus est.

26 *Vestæ delicium*, Is. Vossii elegantissimam conjecturam amplectitur quoque Burmann. cf. Ovid. Fast. VI, 319 sqq. Vestam et Cybelen permutari, in eodem loco obvium est. Nec absurdum tamen Gallorum delicium habetur asinus, cum tacita libidinis exprobratione. Laudant Intpp. commode Phædr. III, 20, 8.

28 *Nunc vere*, vel *vero*, in libb., unde Heins. conj. *Nunc verna in gelida sepe lacerta latet.* Burmann. vero *Nunc viridis gelida sepe l. l.* Immo lege: *Nunc varia in gelida sepe lacerta latet.* et hoc nunc video diserte exhibere Ms. Helmstad.

29 Ut multa alia in h. l. e Propertio petita esse, docuere viri docti, sic hoc, ex lib. IV, 8, 37 *Lygdamus ad cyathos, vitrique estiva supellex.* Mox *Seu vis ferre* pro, seu mavis afferre, adhibere, *calices crystallo*, e crystallo factos; vel ut *calices* sint pro vinis dicti. Nisi ulcus latet: *Seu vis, crystallo verte novos calices.* Notum ex Marone: *Indulgent vino et vertunt crateras ahenos.* In Ms. Helmstad. *cristalli.* Sic mitatius *crystalli calices.*

32 *Strophium* pro vitta seu fascia, cui innectuntur flores, adeoque pro serto.

33 *Decerpens* duo codd., sicque Helmstad. Ms. *Formosum teneræ decerpens;* alii cum edd. ant. *Formosus teneræ decerpes:* hoc revocavit Werndorf.

34 *Prisca*, qualia fuere priscorum hominum, severa, tristia, adducta, ut adeo bene lectionem hanc tueatur Burmann. adversus virorum doctorum commenta, et Leidensis codicis lectionem: *crispa supercilia.* Ms. Helmstad. *Ah pereant, quibus hæc prisca s.*

35 *Cineri ingrato* ex Æn. VI, 212, cui nullus rei sensus est.

36 *Legi* jam emendarunt et ediderunt viri docti, pro *tegi.* Lapis sepulcralis coronis ornatus nota res est. In eo legi serta, sane parum opportunum: magis tamen si illa *lapidi* legantur, ut sit dativus cui.

PROŒMIUM

IN

MORETUM.

Est hoc ex eo carminum genere, cujus nobis paucissima ex antiquitate exempla relicta sunt: argumento scilicet ex vita privata et tenui hominum humili loco natorum petito. Licet id ad bucolicum genus referre aut pro Idyllio habere, quandoquidem eo nomine unum et alterum apud Theocritum habetur. Faciunt viri docti carminis summam, *moretum*, h. edulii rustici genus, ex allio, apio, ruta, coriandro, bulbo, additis, caseo, oleo, et aceto, comparatum, quod Simulus conficit. Nec male ea res, arbitror, Idyllii hujusmodi argumentum constituat: repræsentata oculis animisque particula aliqua vitæ rusticæ. Sed, quantum equidem assequor, latius patet Idyllii hujus argumentum. Describitur enim omnino *prima diei pars*, et *quæ diluculo vel mane gerantur a rustico*, antequam ad opus rusticum procedat. Surgit mane Simulus, qui conductum agrum arare videtur, cum Cybale, Afra genere, forte libertina, et primo loco ea parat, quibus per diem illum vitam tolcret, h. e. famem expleat. Igitur panem coquit, quod a v. 17 ad 52 procedit, inde, ut habeat, quo pro obsonio utatur, moretum sibi parat h edulium acribus herbis oleo acetoque confectum, quo stomachum vellicet.

Itaque malim dicere *describi hoc carmine primam diei partem vitæ rusticæ*. Suspicor autem aut fragmentum nos tantum habere majoris carminis, quo totum opus diurnum exponebatur; nam sub f. in agrum ad arandum procedit Simulus; aut successisse plura Idyllia, quæ ceteras rustici operis partes exequerentur. Sufficit Idyllium hoc esse ex elegantissimis, quod majori eclogarum Virgilianarum parti præferam, in quibus sententiæ ex Theocrito mutuatæ annumerantur. Nisi forte hujus poëmatii auctor et ipse e Græcis sua accepit. Certe Vossius in lib. de poëtis Gr. prodidit, in cod. Ambros. Moreto Virgilii esse ascripta verba: *Parthenius Moretum scripsit in Græco, quem Virgilius imitatus est.* Quæ res non adeo improbabilis videri debet, cum poëtæ ante et sub Augusteo sæculo in Græcis vertendis tantum studium consumserint. Quod si itaque a Maroniana oratione, quam in Bucolicis tenemus, aliena est indoles Moreti, hoc per se mirationem non facit, si quidem ex Græco tantum conversa hæc sunt. Versatur autem poëta in eo poëtices genere, quod, rebus e vita humili et sordida petitis, ad animos tenendos omnium minime accommodatum esse, multi viri docti contenderunt. Alii hoc ipso se genere facile Homerici carminis laudes attingere posse putarunt. Prius illud judicium recte se habere nullus dubito, si in orbe rerum vulgari aut in sordibus vitæ, iisque rebus, quarum aspectus nauseam facit, descriptio versetur; aut si expectatione ejus, quid ex sigillatim descriptis rebus proventurum sit, animus non erigatur, aut si omnino arte et ingenio careat. Possunt tamen ex ea quoque vita, quam lubitu suo nemo vivere malit, cum dilectu, remotis molestiis et sordibus, multa poëtice reddi et ornari, ut placeant; modo ne tali carmini vim ac dignitatem carminis epici tribuere ausis, a qua illud longissime abesse necesse est. Statuendum est de quovis carmine ex ejus genere generisque natura et indole; potestque, recto cum judicio, ex omni genere fructus aliquis seu ingenii et artis seu honestæ voluptatis peti. Virgilio carmen hoc tributum esse jam antiquitus, ex eo constat, quod in Vita Virgilii illud commemoratur: etsi, cum tot seriorum

hominum nugis illa interpolata sit, quid veteres Grammatici judicaverint, difficulter inde eruitur. *A. Septimio Sereno*, poëtæ Falisco, de quo qui scripserint recensuit Burmann. ad Anthol. Lat. lib. I ep. 27 ascribendum esse suspicabatur Scaliger, tum Barthius Advers. XXXV, 8 et al. loc., quia opuscula ille rustica (et hæc unica causa affertur) composuisse dicitur: nuper autem doctissimus editor Poëtarum minorum Wernsdorfius T. II sine hæsitatione Sereno carmen hoc vindicavit, tanquam partem priorem *Opusculorum ruralium*: etsi hæc lyrico carmine variis metris exarata fuisse memorantur; potuit enim præmitti carmen hoc hexametrum. Ita ad Vespasiani tempora illud rejicitur. Monitum illud quoque a viris doctis est, scriptum jam a *Suevio* fuisse Idyllium Moretum, ex quo versiculos profert Macrob. II Sat. 14, sed admodum horridos, si cum nostro Moreto contendas.

Lectionem in antiquis edd. fere eodem modo corruptam vidi: etsi minus fœdatum et interpolatum opus ad nos pervenit, quam cetera. Primum institutam recensionem novam deprehendi in Aldina 1517 Catalectorum: ea fundamentum facta correctioribus editionibus; successere tamen aliæ antiquam lectionem retinentes, etiam Scaligerana. Quandoquidem in hoc poëmatio non habebamus exemplar, quod ex condicto sequi necesse esset; in Heinsianis enim et Burmannianis non extat; liberum nobis relictum duximus, ut lectionem ipsi constitueremus, Aldina et Scaligerana emendatione pro fundo posita. Non erant ad manus editiones binæ, quibus Moretum sigillatim prodiit, Colinæana 1542, 8, cum Jo. Ruellii scholiis, et Francofurtensis 1626, cum Taubmanni commentario; aliam cum notis Weitzii ad calcem Copæ Francof. 1642, 8. inspexi; et veterem edit. Lips. Thanner 1519 cum Copa et aliis sub tit. *P. Virgilii Maronis, poëtarum Achillis, minutiora opuscula*—(Aliam veterem editionem Moreti Coloniensem memorant Denis Supplem. p. 691 et Panzer Vol. I, p. 334. 433.) Sed nec erat, quod multa inde sperari possent, quæ non aliunde suppeterent, inprimis ex Barthio, qui in Adversar. XXXV, 8. IX, 16, nonnulla loca attigit. Post priorem meam editionem retractavit

hoc carmen et docto commentario expolivit Wernsdorf. in Poët. min. T. II.

Moretum. Multa de etymo nominis comminiscuntur viri docti. Scaliger a μυσσατὸν, μυττωτὸν, quod tritum, τρίμμα, est, ducit. Alii aliunde (cf. nunc Wernsdorf. l. c. p. 256). Nos illud monere satis habebimus, occurrere vocem apud Ovid. Fast. IV, 365. Fuit quoque exquisitior ejus conficiendi ratio alia, quam apud Columell. XII, 57 videre licet. Laudant quoque Apicium viri docti lib. I, cap. 35.

P. VIRGILII MARONIS

M O R E T U M.

Jam nox hybernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu prædixerat ales;
Simulus exigui cultor cum rusticus agri,
Tristia venturæ metuens jejunia lucis,
Membra levat sensim, vili demissa grabato, 5
Solicitaque manu tenebras explorat inertes,

2. *cantu prævenerat* una vetus membrana Scaligeri. Unde bene suspicatur Jacobs fuisse *præverterat*.—3. *Simylus* vett. ed. Ven. Sed a simo Simulus deductum nomen vernæ impositum. *Similus* videtur Heins. probare ad Fast. III, 754, et ap. Auson. Epigr. 85 ex Græco Μεμφὶς ὁ σιμὸς *simius* emendatur *Similus*. *exigui cultor cum rusticus horti* vulgo in edd., etiam in veteribus, legitur. Sed *agri* recte Ald., idemque ex vet. membrana præferebat Scaliger. Nam hortulus, de quo infra agitur, tantum tuguriolo erat adjunctus: ipse, colonus panper, agellum conduxerat: cf. fin. carm.—5. *sensim vili*. Ita primum Ald., cum antea esset: *vili sensim demissa*: minus commode. Scriptum tamen vel sic malim: *Sensim membra levat vili d. g.* Non enim lentitudinem hominis rustici tarde et invite se levantis exprimi his numeris dicam —6. *tenebras...inertes*. In promtu est suspicari *inanes* scriptum fuisse, ut *aër inanis, vacuus*. Heins. conj. *inertem vestigatque focum*. Verum *iners* non modo est, quod nec movetur, nec movet, verum etiam id, quod motum difficilem reddit; et poëta ad tenebras transtulit epitheton commune noctis, frigoris, somni. *Nox iners*, qua nullum animans se movet: hinc *tenebræ noctis*

NOTÆ

2 Gallum gallinaceum ornant passim poëtæ, et notum est illud Prudentii: *Ales diei nuntius*, ubi plura dant Intpp.

4 Docte: ne diem impastus exigeret, ne sine pane esset.

Vestigatque focum; læsus quem denique sensit.
  Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ.
Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt;
Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat clausa, quæ prævidet, ostia clavi.
  Fusus erat terra frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit, quantum mensura patebat,

inertes: sine motu, tacitæ, silentes.—7. *sentit* Ms. Helmst.—8. *exusto remanebat stipite fumus.* Nihil verius, nec ad naturam rei accommodatius: prodit enim fumus tenuis favillam occultam. Nec minus tamen eleganter conj. Scaliger: *exusto remanebat stipite fomes.* In idem inciderat Heins.; at parum feliciter Barthius Advers. XXXV, 8 *exusto emanabat.*—10. *Admovet is* Ms. Helmstad.—11. *acus* alios legere Ascens. notat. Scaliger, vir summus, nimium proclivis in antiquata et κατὰ γλῶσσαν dicta, *acu* accipit: *in acum* producit stupas: acus enim, inquit, nomine, vel *aciæ* intelligitur, quicquid ex lino aut lana aut stupa similibusve carpebatur, ut linamenta, καὶ μοτάρια καὶ τιλτὰ chirurgorum. Ita vir doctus ad acum transfert, quod de acia, nec satis accurate tradidit. Atqui illud omnis anus facere solet, ut stupam fungo obtusam acu producat, lucernam flammæ admotura.—12. *crebris...flatibus.* Male Norimb. *faucibus.*—13. *Tandem ut c.* em. Heins., vix bene.—15. *Et reserat clausa, quæ prævidet, ostia clavi.* Hæc vulgata lectio, inde ab Aldina: nam in antiquioribus *clavis.* In membrana Pithœi Scaliger invenerat: *Et reserat clave, quæ pervidet, ostia clavis,* et in alia: *Et r. clausæ, qua pervidet, ostia, clavis.* Hinc varia molitur vir doctissimus: modo, ut clavem clausam interpretetur occultam, quæ intus aperiat, modo ut legat: *Et reserat calæ,* h. μόχλον, vectis, vel *Et r. casulæ*...ut *ostia clavis* vocet τὴν ὀπὴν, ubi inseritur clavis, vel tandem: *Et r. clausæ, qua pervidet, ostia clavis:* τὴν ὀπὴν τοῦ κεκλεισμένου κλήθρου. Nam *qua pervidet* etiam in tertia membrana scriptum viderat; et *provident* vel *pervident* etiam Ms. Kœler. Omnia hæc ab invita Minerva profecta, ut non minus illud, quod Salmas. Exerc. Plin. p. 656. D. propinat: *Et r. casulæ, qua prævidet, ostia clavi.* Tolerare præstat *qua prævidet:* requirebatur *qua prospicit.* In *clausa...clavi* latet error, quem facile deprehendas, cum desideretur locus, quem foribus reseratis aditurus est, quique pro granario erat. Ea autem haud dubie est cella granaria casulæ adjuncta: igitur expedita lectio esse videtur: *clausæ...ostia cellæ.* Hoc Barthius quoque vidit Advers. XXXV, 8, qui conj. *Et reserat cellæ, qua prævidet, ostia clavi.* Sed quæ in medio posita sunt, *quæ prævidet,* vix sine libris sanari possunt: vagatur enim omnis conjectura. Heins. ingeniose tentat: *Et reserat caveæ sua providus ostia clavi.*—16. *terra* vett. edd. Scalig. Aldina vero *terræ* intulit; utrumque defendi potest.—17. *quantum mensura petebat* eadem

NOTÆ

7 *Læsus:* suaviter; offensa manu ad focum, vel cinere adusta.

10. 11 Lucernam olearem cogitare necesse est; eam admovet inclinato capite, submissa fronte. At Barthius XXXV, 8 *frontem lucernæ* interpretatur.

Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit, assistitque molæ; parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat; geminos tunc veste lacertos
Liberat, et, cinctus villosæ tergore capræ,
Præverrit cauda silices gremiumque molarum.
Advocat inde manus operi, partitus utrimque:
Læva ministerio, dextra est intenta labori;

Aldina recepit. Præfero tamen, vel Scaligero invito, veterem doctioremque lectionem: *quantum mensura*, vas, *patebat*, adeoque capiebat, *ἐχώρει*: erat enim mensura XVI librarum. Præfert hoc Barth. quoque Advers. XXXV, 8 et Heins., qui ablegat ad Lucanum.—18. *octavas* vett. edd., ex vitio *octanas*, et *occurrit*. Porro Scaliger in uno libro invenerat: *Quæ bifido*, unde ille refingebat: *Quæ bifido octonis excurrit pondere libris*. Poterat tamen sine ulteriore mutatione constare versus: *Quæ bifido octonas excurrit pondere libras*, h. excedit. Sed ludibrium corruptelæ hoc *bifido* esse arbitror.—21. *Lumina ficta* vel *fida* Ms. Kœler.—22. *villosæ tegmine capræ* vett. edd. est lectio: nec mala: nisi doctiorem prodidisset Aldina: *tergore*, quam Scaliger quoque in scriptis invenit. Agitur autem de rhenone ex pelle caprina.—23. *Pervertit* et *Perverrit* vett. edd. Alterum *Præverrit* Aldina dedit. Tum *Pervertit caudaque cavum gremiumque m.* Norimb. Koberg. et Ascens. cum Junt. aliisque, ex interpretatione, suspicor, in margine apposita. *silices*, molares intellige, nam duo sunt lapides sibi impositi. *gremium molarum* pro interiore parte. Insolenter dictum censebat Heins. ad Ovid. III Am. 13, 24, et emendabat *gremioque molares*. Ut sit *gremio*, capræ tergore, quo cinctus erat. Sic *togæ gremium* Florum dixisse. Non magis hoc placet. Forte fuit: *geminumque molarem*. v. Not.—24. *Advocat inde operi*. Dubia scriptura. Sic enim vett. edd. et scripti Scaligeri: et videri potest doctius, quam quod Aldina invexit: *Admovet inde operi*. Hoc tamen vocabulum rei proprium, et facile deflecti potuit in alterum. In fine versus vulgo legitur: *partitus utramque*: quod latine vix dici posse Scaliger quoque notavit: *partim utramque manum*. Nec suaviter puto dictum esse *Admovet operi manus, partitus, utramque*, ut

NOTÆ

18 XVI libras pondo frumenti mensura capit: ergo in sequentem quoque unum et alterum diem fami prospicit. Nam demensum diurnum, quod servis Romæ præbebatur, trium fere librarum erat, ut Opusc. T. I, p. 251 ex Catone de R. R. 56 docui: etsi ad hoc exactum fuisse demensum coloni necesse non est. Sibi et servulæ Cybalæ simul victum parare putandus est Simulus.

23 *Cauda*, peniculo, quo ad verrendas mensas et alia utebantur veteres. Docuit ad h. l. Scaliger. Describit autem hinc poëta molam manuariam, trusatilem seu versatilem, binis saxis asperis sibi ita impositis, ut inferiore manente immobili superius, quod v. 26 *orbem* appellat, circumactum attritu grana frangeret. Successerat ea molæ pristinæ, quæ mortarium erat, in quo pistillo frangebantur grana. *ministerium lævæ* in congerendis et infundendis granis consistere videtur. Tum *Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu*, v. 27, grana tunsa adeoque farinam in subjectum vas, quod eam excipit, decidere significat.

Hæc rotat assiduis gyris et concitat orbem.
Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori,
Alternatque vices. Modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.
Interdum clamat Cybalen: erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,

---

manus utramque jungas. Ipse e Mss. profert *partitus utrique*, scil. manui opus: malim *partitus utrimque*, scil. opus, ut ab utraque manu tractaretur; et obtulit hoc idem Ms. Kœler.—26. *assiduum...orbem* manuscripta lectio apud Scaligerum, quæ concinnior ipsi videtur. Verum hoc, sed sic *gyris* nullo epitheto adornatum minus placet. *et concutit orbem* Ms. Helmst. et Kœler. Sed orbis haud dubie molaris est superior, qui circumagitur et concitatur, non autem concutitur.—27. *Tunsa Ceres* cum Aldina scripsi: ait quoque Scaliger scriptam lectionem habere: *Tusa Ceres*. Vulgo: *Trita Ceres*. Mox eidem Aldinæ debeo ordinem: *rapido silicum*; cum vulgatus sit: *silicum rapido*, minus jucunde. Tandem *actu* proprium, arbitror, esset vocabulum; nam agitur mola, circumagitur; quod etiam Scaliger maluit, sed ut ἀγὴν interpretaretur, quod longe petitum. *ictus*, quod de omni impulsu dicitur, de attritu accipiendum.—29. *Dein rustica* Ms. Kœler. *Dehinc* Ms. Helmst.—31. *Interdum*; ita vett. edd., ut somnolentam puellam non statim grabato levatam evocet, præfertque hoc Scaliger quoque cum Drakenb. ad Silium VI, 30. Aldina: *Interea* intulit. Tum *Cybalen*, *hæc erat* vett. edd., nisi quod Norimb. *Cybalem* (Ascens. autem cum sua secta *Cybalen*) *erat*. Aliæ edd. inde ab Aldina *Cybale: hæc erat* correxerunt. Vitium haud dubie in inserto *hæc* latebat; itaque emendavi: *Cybalen: erat unica custos*. Porro *Scybalen* semper habebat vetus scriptura Scaligeri, ut nomen ridicule formatum esset παρὰ τὸν σκυβάλων. *Scybalen*; *erat* etiam Gronov. Obss. I, 16 maluisse video. In Ms. Helmst. erat *Thybale*.—32. *tota figura*, toto corpore. Scaliger tamen *tosta figura* malit; ut tantum ad vultum ejusque colorem voc. *figura* spectet.

NOTÆ

26 *Orbem*, lapidem molarem.

32 Qui sequitur, præclarus est locus de habitu corporum Afrorum: qui idem prorsus est qualem nunc cernimus: ut, naturam sibi per omnia sæcula constare, dubitare non liceat. Similis Petronii locus c. 102, quem jam viri docti excitarunt, ad alios Africæ tractus spectat, et de servis ex Æthiopia agit, similibus iis, quos Negros appellamus: *Atramento ...mutemus colores a capillis usque ad ungues. Ita tanquam servi Æthiopes... age numquid et labra possumus tumore teterrimo implere? numquid et crines calamistro invertere? numquid et frontes cicatricibus scindere? numquid et crura in orbem pandere? numquid et talos ad terrum deducere? numquid barbam peregrina ratione figurare?* Propria hæc hominum istorum fuisse videntur. Alia loca a Junio de pictura III, 8, 4 et Fea ad Winkelmann. Tom. I, p. 65 Wernsdorf. ad h. v. sunt congesta: sed ea diligentius sunt exquirenda et inter se comparanda; nam diversorum tractuum homines in iis occurrere videntur: scire velim an ex interioribus Africæ locis. Habiti quoque alii in deliciis, alii ad ministeria urbana, v. II, 3, 55. Theophr. Charact. 21 et Casaub. nunc etiam in agro.

Torta comam, labroque tumens, et fusca colorem;
Pectore lata, jacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta;
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis imponere ligna
Imperat, et flamma gelidos adolere liquores.
Postquam implevit opus justum versatile finem:
Transfert inde manu fusas in cribra farinas
Et quatit. At remanent summo purgamina dorso;
Subsidit sincera foraminibusque liquatur
Emundata Ceres. Lævi tum protinus illam
Componit tabula, et tepidas super ingerit undas.

Crines torti et *labia tumentia* præ ceteris memorari solent in his Afris. cf. Epigr. 162 lib. III Anthol. Lat. ubi: *Quem nisi vox hominem labris emissa sonaret, Terrerent visos horrida labra viros.* An seriores dixere *visos*, qui viderunt? Forte fuit: *Terrerent rictus horrida labra viros.* labia horridum in morem tumida.—34. *Pectore lata, jacens mammis.* Rotundiorem orationem ex Aldina et Ms. Kœler. dedimus, pro vulgari: *Pectora lata jacent mammis.* Alienum esset, quod an vett. edd. habeant dubito: *tument mammis. Jacens mammis* est, habens mammas jacentes, pendulas; quod proprium est Afris. In fine *compressior alvus* Ascens.—35. *spatiosam prodiga plantam* leg.—39. *Postquam implevit opus justum versatile finem.* Ita dedimus ex Aldina; opus versatile implesse justum finem bene dicitur. Scaliger membranas melius habere putabat: *Postquam implevit opus justo versatile fine.* Ita ipse Simulus implevit opus. In antiquioribus edd. truncatus et interpolatus erat versus: *Sed postquam implevit justum versatile finem.*—40. *Transfert inde manu.* Ex veteri membrana: *Transfert illa manu* legere jubet Scaliger: aliter enim nescio quid ὑποβάρβαρον relinqui. Hoc equidem non expiscari possum. Sed illud video, Cybales partes in subigenda farina esse nullas: nam illa interea aquam calefacit, mox furnum mundat v. 50, adeoque *illa* alienum est a re et loco; pro *fusas* suspicari licet *tusas:* sic et Jacobs.—41. *Decutit*, sed sine libro, corrigit Scaliger; me invito. Etsi enim farinam inter molendum bene *decuti* dici arbitror: id tamen in seqq. demum scribitur: nunc in cribro quatitur tantum tusa farina. Mox *Ac remanent* vett. edd. *Et remanent* Aldina. Languet oratio, nisi *At* refingas.—42. *foraminibusque colatur*, pro *liquatur*, nonnullos legisse Ascens. monet.—43. *Emendata Ceres* Ascens. Norimb. et al.

NOTÆ

36 Etiam fissuras has et scissuras cutis in pedibus esse Æthiopibus proprias in tanto solis calore aërisque siccitate et endemias, ex Blumenbachio conjunct. didici in lib. de generis humani varietate p. 96, ubi Hier. Mercurialis testis excitatur de decoratione c. 17.

39 *Opus versatile:* quod versanda mola absolvitur. Mox cribratione opus esse videmus: adeoque cilicium cribrandæ farinæ idoneum non erat his molis manuariis attextum. Porro *liquatur* eleganter transfertur a liquidis ad farinam quasi liquando mundatam.

Contrahit admixtos nunc fontes atque farinas;
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Jamque subactum
Lævat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat, impressis æquo discrimine quadris.
Infert inde foco: Cybale mundaverat aptum
Ante locum: testisque tegit; super aggerat ignes.
Dumque suas peragit Vulcanus testaque partes,
Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quærit opem; neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat escas.

Jam in Copa 20 *munda Ceres*.—45. *tum* in vulgg. importunum post idem voc. v. 43 in *nunc*, vel *jam* mutandum erat. *nunc* Scaliger quoque emendabat. *admixtas tum fontes* vett. edd., quod correxere alii, ut ed. Norimb. et Ascens. *admixtas tum frondes*, alii, ut Aldina, *admixtos tum fontes*. Tum interpungitur vulgo post *fontes*, parum commode. Nam fontes et farinas Simulus cogit ac contrahit in unum globum, ut mox iterum manu injecta digerat. Totus va. 45 a Ms. Kœler. aberat.—46. *Transversat durata manu*. Scaliger emendat: *Transversa durata manu liquidoque coacta:* ut transversa manu contrahat *fontes atque farinas, durata*. Quam dure! Feram itaque vulgatam, sed emendata interpunctione: *Transversat durata manu:* ea, quæ induruere cogendo, transversim iterum manu subigit. Conjicio tamen scriptum fuisse: *Transversat duratque manu*. Barthium quoque conjectasse video: *Transversa durante manu*. Mox *liquidoque coactu* Ascens. interpretatur. Sed quos subjungit *grumos* farinæ, ii non nisi *liquido coacti*, per liquorem, aquam, particulis farinæ cohærentibus, existere potuere: itaque *liquidoque coactos* conj. Heins., nec male. Idem paulo ante *manus*, nescio quo fructu.—47. *grumo* vett. edd. cum Ms. Kœler. et Helmst. *Salis grumos* si hic quæras, legendum erat: *grumos spargit salis: inde*. Poterat et *grumos sale* ita accipere aliquis, h. grumos de sale, salis. In fine *Jamque subiactu* Norimb. Totum locum Heins. ad Ovid. Fast. I, 338 sic emendabat: *Contrahit admistis nunc fontibus* (non *fortibus*), *atque farinas Transversa duratque manu: liquidoque coactos Interdum grumos spargit sale*.—48. *Lævat opus*, ex vett. edd. revocavimus, Scaligero quoque hortante: nam lævigat panem in placentæ morem et dilatat. Aldina dedit: *Formas opus*.—51. *Ante focum* licet conj. cum Heinsio. *testisque tegit: super;* sic Ald. cum Ms. Kœler., eamque priscam lectionem esse Scaliger testatur. Vulgo editum: *testisque tegens super:* quod tamen nunc non multum absum quin præferam aut scribam: *testis tegit et super aggerat*.—52. *Vulcanus Vestaque* vetus est lectio, quam non satis assequor. Aut enim idem est utrumque, aut cum Ascensio inter crassiorem et tenuiorem ignem discrimen facere necesse est. Itaque amplector Aldinam lectionem: *testaque*, nam a testis calefactis coctio panis acceleratur. Nisi *Vesta* focus est.—54. *ne* ed. Ascens., minus

NOTÆ

45 Repræsentanda hic est animo pistoria opera in subigenda farina. Panem autem hic videmus parari sine fermento, azymum; tum v. 49 in quadras dissectum, quas Scaliger ad h. l. illustravit.

Non illi suspensa focum carnaria juxta,
Durati sale terga suis truncique vacabant:
Trajectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus astricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
Hortus erat junctus casulæ, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi munibat arundo;
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
Interdum locuples a paupere plura petebat.

bene. Nam copula requiritur. *et, ne* etc.—56. 57. Obscura est oratio. Scaliger tantum *vacabant*, quod vulgo legitur, in *rigebant* mutat, quod vett. edd. habere ait, quas equidem nullas vidi. *Non* adeo *durati sale terga suis truncique rigebant*, h. erant ei; sale enim et fumo durata rigent. Nec male hoc dictum putabo. Trunci possunt esse vel pernæ suum aliaque majora frusta, vel jungendum *suis trunci*, h. truncati, in partes dissecti. Prius equidem præfero. Sed hæremus vel sic adhuc in priore versu: *Non illi suspensa focum carnaria juxta*. Ex carnario (vid. Indic. Scriptt. R. R.) pendent pernæ. Ipsa carnaria, h. unci ferrei, si juxta focum fixa, infixa parieti sunt; non possunt dici *suspensa*. Ut per appositionem: *carnaria, durati sale terga suis*, dicantur, placere potest; si *carnarium* ipsam carnem esse dicas; quod exemplo caret. Laborare adeo mihi videbatur locus; necdum a Wernsdorfio difficultatem sublatam video, quomodo carnarium *parieti infixum* dictum esse possit *suspensum*. Scilicet res ita expedienda: *carnarium* illud tignum seu instrumentum, clavis seu uncis, ex quibus carnes suspendi possunt, non parieti infixum, sed ex camera seu ex unco parieti infixo pendulum est, adeoque et ipsum *suspensum* ex unco vel clavo. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 647 conj. *replebant;* ubi vide. Concedo in partes Wernsdorfii, qui bene monet, *vacare* dici h. l. quæ præsto erant, parata et in promtu. Lucan. v, 327 *Tot reddet Fortuna viros quot tela vacabunt*, aderunt.—58. *sparto* præclara est Aldinæ emendatio: pro vulgari: *parco*, vel *parto*.—61. *casulæ junctus* Ms. Kœler., numerosius.—62. *Et calamo recidiva levi munibat arundo*. Primum Scaliger ait, vimineta et arundineta muniendis hortis aut sepibus obtendendis usum præstare non solere, adeoque refingit, *minuebat*, partem de horto occupabat. Hæc vero argutula sunt, et a loco aliena; laudatur enim mox hominis industria in horto colendo. Cogitandum est hortulum brevi fossa fuisse circumductum, quæ juncis obsita erat. Tum pro *calamo* vett. edd. *culmo:* ac si *culmo* voluerint. *recidiva arundo* ex Aldina ducta est; uti et Scaliger veterem scripturam esse ait, *rediviva;* quæ perpetua variatio lectionis est. Vulgu. et vett. edd. *redimita*.—64. *Nil illi d.* melius Ms. Helmst *exigat* f. Heins.—65. *Interdum locuples a paupere plura petebat*. Versum ex margine agglutinatum arbitror, nec sensum satis me assequi fateor. An voluit: Interdum etiam locuples, h. e. qui majorem hortum ipse colebat, petebat a paupere, a colono hoc, Simulo, scil. quod ipse in suo horto non haberet. Pro *plura* saltem malim *multa*, quod et Ms. Helmst. habebat.

NOTÆ

56 Cum homini nullum esset obsonium, nam in carnario non perna, sed caseus suspensus erat, adit hortum, et ex eo petit allium aliasque herbas, unde illud sibi paret.

Nec sumtus erat illud opus. Sed regula curæ :
Si quando vacuum casula pluviæve tenebant,
Festave lux ; si forte labor cessabat aratro ;
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultæ committere semina terræ,
Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betæ,
Fœcundusque rumex, malvæqae, inulæque virebant;
Hic siser, et capiti nomen debentia porra ;
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.

—66. Etiam de hoc versu dubito ; inprimis propter v. 69 : non hortus erat opus sumtus, seu impensæ in eum factæ ; sed curæ regula erat hæc, ut etc. Porro *hujus opus* Ald. Ita distingui posset : *Nec sumtus erat hujus, opus sed regula curæ*, h. nec hujus curæ regula erat sumtus, sed opus. Sed et hæ argutiæ parum expediunt versum relinquendum monachis. Nec magis Barthii emendatio in Advers. XXXV, 8 *sed regula: Curæ si quando vacuum :* ut sit jung. *curæ si tenebant*.—69. *deponere plantas* ex Aldina et Ms. Helmstad. reposui tanquam doctius : sic Ge. II, 23 *Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum Deposuit sulco*. Vulgo legitur : *disponere plantas*.—70. *occulte* vett. edd., sed *occulta terra* poëtica ratione, seu quæ occultat, seu, quod malim, interior gleba, fossa facta.—71. *Vicinosque apte cura submittere rivos*. Languent illa : *apte cura* : vixque a poëta tam elegante proficisci potuere. Proximum esset *curæ submittere* ; quod et Heins. conj. Præstaret : *cultis submittere rivos*. Ita *culta* Virgilius dixit. Nisi *sulcis* malis. Nam et hortorum et plantarum sulci sunt. Ad vulgarem scripturam propius sic accederet *grumis* colliculis exiguis inter sulcos. Sin instrumenti nomen insolentius excidit, *marra* legam, qua effoditur solum et aqua in canaliculum ducitur. Wernsdorf. *apte vicinos* jungit.—74. *Hic siser* ex Aldina reduxi ; veterem hanc scripturam etiam Jul. Pomponius agnoscebat et Scaliger probabat ; esse enim siser inter hortensia, non æque cicer. In fine restitui *capiti nomen debentia porra* ex Ald., cum qua consentiunt Norimb. et Scaligeri membranæ ; est enim porrum capitatum, τὸ πράσον κεφαλωτόν. Vulgo *cæpe* legitur, vel *cepa*. conf. ad h. v. Salmas. in Solin. pag. 1001.—75. Deerat versus membranæ Scaliger., nec tamen ideo damnandus. *Sic etiam* vett. edd.—76. *Grataque nobilium*. Post hunc versum in eodem Scaligeri manuscripto sequebatur versus iste : *Plurima surgit ibi crescitque in acumina radix*, h. raphanus. Docta interpolatio : siquidem τὸ *ibi* intrusum aliquid satis arguit. In Ms. Kœler. exaratus est : *Plurima crescit ibi quæ surgit in a. r.* Ms. autem Helmst. *crescit ibi surgitque in a. r.*—77. *dimissa* male vett. edd. ; a vertice angustiore in latum ventrem

NOTÆ

76 *Grataque nobilium requies lactuca ciborum*. Bene notat Scaliger, eo adeo, quo scriptum est hoc Idyllion ævo, adhuc lactucis clausisse cœnas suas homines. Nam Martialis ætate aliter, ut ex noto Epigrammate constat : *Claudere quæ cœnas lactuca solebat averum, Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?*

77 Colum. X, 234 *Et tenero cucu-*

Verum hic non domini, quis enim contractior illo?
Sed populi proventus erat; Nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem;
Inde domum cervice levis, gravis ære, redibat;
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cepa rubens sectique famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque et Venerem revocans eruca morantem.
Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum.
Ac primum, leviter digitis tellure refossa,
Quatuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii graciles, rutamque rigentem,
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi collegit, lætum consedit ad ignem;

excrescit.—79. *Sed populi proventus erat.* Scaligeri membrana: *profectus*, utilitas, ἀφέλεια, quod ille malebat. Verum vocem hanc in scriptoribus satis obviam nondum in poëta legi. Tum utilitatem haud dubie Simulus ex venditis oleribus capiebat, ære reportato. Itaque *proventus* recte legitur, h. quicquid nascitur in horto. Mox *certisque diebus* Aldina edidit: ex interpolatione. *noctis* vel *notisque* vett. edd., quod ducit ad *nonis*; nam nundinis ad mercatum in urbem proficiscebantur rustici: atque hoc agnoscit quoque Pompon. Sab. et una vel altera ex membranis Scaligeri.—80. *Venales humero fasces* scripta Scaligeri lectio, quam ille recipi volebat. Eadem in Ms. Kœler. et Helmstad. Nam et mox 81. *domum*, inquit, *cervice levis* redibat: ut adeo nec asellum quidem haberet, qui olera veheretur. Hactenus non refragor. Ita tamen *fasces* sic nude positi parum placent. Retinui itaque *olerum fasces*, quod omnino suavius videtur.—82. *Vix v. v. vacua mercede macelli* vetus scriptura apud Scaligerum: quam non admittam equidem.—83. *Cæpe*, *Cæpa* promiscue edd. vett.—85. Colum. x, 108. *Et quæ frugifera scritur vicina Priapo, Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.* Nota res. Vide modo Burmann. ad Anthol. lib. vi, ep. 76.—87. *tellure refusa* vetus scriptura Scaligeri, sed a loci sensu aliena.—88. *cum spicis* vett. edd., perperam. *quatuor*, nil refert.—89. *rutamque rigentem* ex vett. edd. revocavi: eleganter, ἀφροδισιαστικήν; nisi, pudori ut consulas, firmam et solidam interpreteris. Contra *coriandra* tenuia. Aldina male substituit *rutamque virentem*; quod et Ms. Kœler. habebat.—91. *lentum...ignem* corrigebat Heins. ad Ovid. Fast. ii,

NOTÆ

mis, fragilique cucurbita collo.

78. 79 *Proventus* h. l., ut Ge. ii, 518 *proventus sulcorum*, ipsa illa olera, quæ educat Simulus. His ipse non utebatur, sed populo illa vendebat ad urbem deportata. *Contractus* h. l. parcus, modicus.

81 Reminiscitur unusquisve versum Eclogæ: *Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.* conf. Colum. x, 310. Mox 82 *merx urbani macelli* carnes in macello emtæ.

83 *Cepa rubens*; Plin. xix, 6, 32 *rufa acrior quam candida.* Tum *sectum porrum* est sectile; *area porri* autem de area horti porris consita accipienda.

Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemtaque passim
Spargit humi atque abicit. Servatum gramine bulbum
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso
Caseus adjicitur; dictas super ingerit herbas;
Et læva vestem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primum fragrantia mollit
Allia; tum pariter mixto terit omnia succo.
It manus in gyrum; paulatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer jaculatur apertas
Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu.
Sæpe manu summa lacrymantia lumina tergit;
Immeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus. Non jam salebrosus, ut ante,

578, sed *lætum* multo accommodatius h. l. esse nemo dubitet.—93. Vett. edd. pertinaciter exhibent: *numerosa cortice*, præter Norimb.; Ald. verò: *nodoso cortice*, et vetus scriptura apud Scalig. *nodoso corpore;* Ms. Kœler. et Helmstad. *nodoso vertice*, quod in allia vix cadere videtur. *nodoso cortice* defendit Gronov. contra Cruceum p. 186.—94. *contentaque* Norimb.—95. *adicit* vett. edd., sed recte Aldina *abicit*. Mox *servatum gramine bulbum* non satis expedio. Non de bulbis, quod plantæ genus est, hic agitur: adeoque hic bulbus est allii caput interius, exterioribus pelliculis nudatum et decorticatum. Ergone abjectas membranas *gramina* appellat? An voluit *servantem germina bulbum*, ut *germina* nucleus sit, qui idem semina et germina continet? Heinsium video conjicere *Servatum stramine*.—97. *aspergit* Ms. Kœler. et Helmstad. cum Aldina. *Sale durus adeso Caseus adjicitur*. Proprie *caseus sale adesus* dicendus erat: ut omnino ea, quæ sale condiuntur, adesa. Scaliger exemplo vocis *vescus* illustrat: cum et *corpora vesca*, et ipsum *sal* quoque vescum dicatur. Sed sufficit, poëtis licere epitheta a passione ad actionem transferre. *adusto* Norimb. Ascens.; tum prior illa *divus* pro *durus*.—98. *superinserit* vett. edd. Aldinam.—107. *summo...vultu* hæserat in vett. edd. ad Ald., ut et paulo ante v. 104 *frustra*.—110. *Nec tam s.* Ms. Kœler. et

NOTÆ

96 Nunc de mortario agitur: quod cum mola superius commemorata male permiscent Intpp.

109 *Fumo*. Aut fumo ex igni, aut allio graveolenti: ut *fumus* sit odor ille ex allio diffusus vehemens, δριμὺς, ut Scaliger. Repetitum tamen *sæpe* videtur postulare prius: quod et Wernsdorf. sequitur.

Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti,
Atque iterum commiscet opus, mixtumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum distantia contrahit unum:
Constet ut effecti species nomenque moreti.
Eruit interea Cybale quoque sedula panem;
Quem lætus recipit manibus, pulsoque timore
Jam famis, inque diem securus Simulus illam,
Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in segetes, et terræ condit aratrum.

Helmstad.—111. *Sed graviter* iidem Mss. *lentus* vett. edd. eædem.—114. *mistumque recurvat* Mss. iidem. *pistum* conj. Heins.—118. *Eruit* recte Aldina, scil. e cinere. At vett. *Exuit*.—119. *lætus recipit* vetus Scaligeri membrana suppeditavit. Vulgg. *lotis recipit manibus*, vett. edd. *recipit lotis manibus*.—120. *Jam famis* e Ms. Kœler. reposui pro *Hinc famis*.—123. *terræ immittit a.* Ms. uterque, ex interpretamento. vomer terræ immissus solo conditur.

NOTÆ

117 *Constet ut effecti species nomenque moreti*. Non quasi hoc ab eo pendeat, ut accipi video, quod binis digitis mortarium intus circuit: sed forma moreti, ad hunc modum confecti et absoluti, quodque vulgo eo nomine venit, in globum cogi solebat.

121 Carminis lepos usque ad extremum servatus delectat; *ocreæ* sunt perones.

FINIS P. VIRGILII OPERUM.

NOTÆ VARIORUM

IN

P. VIRGILII OPERA.

EX EDIT. 1680.

ECLOGA I.

1 *Tityre, tu patulæ, &c.*] Introducitur pastor quidam jacens sub arbore securus et otiosus dare operam cantilenæ: alter vero qui cum gregibus ex suis pellitur finibus; qui cum Tityrum respexisset jacentem, ita exorsus est. Sub persona Tityri Virgilius intelligitur; sub Melibœi, plebs Mantuana, vel Cornelius Gallus. Quod autem sub fago dicitur jacere, allegoria est honestissima: quasi sub arbore glandifera, quæ victus causa fuit. Antea enim homines glandibus vescebantur, unde etiam fagus dicta est ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, id est a manducando. Hoc videtur dicere: Jaces sub umbra fagi in agris tuis, tuas retinens possessiones, quibus aleris, sicut glandibus antea mortales. A lite, o Virgili, sub protectione Augusti securus quiescis. *Servius.*

Tityre] Melibœus, qui, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, sic dictus est. Auspicatur confabulationem a felicitate Tityri, nec non a querelis de miserrima sua suorumque popularium conditione. Ideoque hac in Ecloga cujusvis Mantuani civis, sedibus pulsi, fortunis ejecti, possessionibus exuti, personam sustinet. *Tityrus* contra, peritia modulandi et suavitate cantus insignis apud Theocr. pastor est, qui Virgilii, benignitatem Augusti honorifice prædicantis, partes agit. Tityrus varias habet significationes, ut ex Strab. l. x. p. 468. et 470. ex Ælian. ποικ. ἱστορ. lib. III. cap. 40. et præcipue ex Scholiast. ad Theocr. Idyll. III. 2. ubi postquam exseruit ὄνομα κύριον esse, vel significare τράγους, σατύρους, κάλαμον, tandem sic concludit: οὐκ ἔστι δὲ ἄλλο ἢ ὄνομα αἰπόλου τινος. Hic non quidem caprarium, sed pastorem ovium, et sub ejus persona Virgilium indicare videtur. Nec hoc nomen tantum opilionibus commune, sed et pastorum filiis inditum testatur Longus l. II. pastoral. τῶν παίδων ὁ νεώτατος εἴπετο Τίτυρος. Ex more pastorum Tityrus canit fistula,

unde apud Hesych. τιτυρῆνος, μόναυλος, ἢ αὐλὸς καλάμινος· quæ fistula, ut Turn. l. XVI. c. 5. *avena* etiam dicitur. *Emm.*

Tu] Ἐμφατικῶς, ut vs. 4.

Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra.

In ipso quoque numero personarum, est quædam ratio contentionis, quod unus sit ita felix, et ceteri ita calamitosi. *Nannius.*

Patulæ] *Patulum* dicitur quod patet naturaliter, ut nares, arbor, crux. *Patens* vero, est quod clauditur et aperitur, ut ostium, et oculi. *Servius.*

Patulæ recubans, &c.] Ovidius Metam. I. 106. *Patula Jovis arbore.* Papin. III. Sylv. *Patula defendimus arbore soles.* Patula est, quæ ad opacandum locum patulis est diffusa ramis: ut Cic. Orat. l. I. c. 7. *Taubm.*

Patulæ recubans, &c.] Pro eo Theocr. Idyll. XII. 8. σκιερὴν ὑπὸ φηγόν. talis arbor Hesych. Λάσκιος, μεγάλως σκιάζων. Ut Schol. in Theocr. umbram arborum præcipue quærebant, qui, φλεγόμενοι ὑπὸ ἡλίου, tosti solis æstu, vel de via lassi, quietem desiderabant, ut esset, ἠελίου φρύττοντος, respirandi vel somni capiendi locus. ut R. Titius prolixius l. X. contr. c. 2. Ursinus ex Hom. Od. l. N. 346. Τανύφυλλος ἐλαίη. et Mosch. in Idyll. V. 11. γλυκὺς ὕπνος ὑπὸ πλατάνῳ βαθυφύλλῳ. Nihil enim umbra illa est amœnius. Ovid. Met. X. 126.

Æstus erat, mediusque dies: solisque vapore
Concava littorei fervebant brachia Cancri.
Fessus in herbosa posuit sua corpora terra
Cervus, et arborea frigus ducebat ab umbra. Sic vs. 553.
Sed labor insolitus jam me lassavit, et ecce
Opportuna sua blanditur populus umbra.

Imo recubantes et παρὰ τὴν σκίην καθίζοντες modulari solebant. Theocr. Idyll. III. 38. ᾀσεῦμαι ποτὶ τὰν πίτυν ὧδ' ἀποκλινθείς. et Idyll. VII. 89.

Τὺ δ' ὑπὸ δρυσὶν ἢ ὑπὸ πεύκαις
Ἁδὺ μελισδόμενος κατακέκλισο.

Et Bion in Epitaphio vs. 21.

Οὐκέτ' ἐρημάιῃσιν ὑπὸ δρυσὶν ἥμενος ἄδει.

Emmeness.

Tegmine] Recte, quamvis refragentur Bavii, Mævii, et ejus farinæ plures. Facit pro Virgilio Scalig. ad Propert. l. II. eleg. ult. et Cic. de Div. l. II. c. 30.

Qui platani in ramo foliorum tegmine septos.

Propert. l. II. El. 18. tectum etiam arbori dedit.

Unum littus erat sopitis unaque tecta.
Arbor.

Ita noster Ge. IV. 61. *frondea tecta.* Ecl. VII. 46.

Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra.

et Æn. XI. 851.

—— *Bustum*
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.

Lucr. lib. II. *sub eodem tegmine cœli.* et l. III. *tegmen corporis:* pro corpore. Apuleius Met. l. VIII. *jamque apud frondosum tumulum, ramosumque densis tegminibus umbrosum.* Idem.

2 *Sylvestrem Musam*] Id est, rusticum carmen. *Servius.*

Sylvestrem Musam] Rusticum carmen. Ita vs. 10. *ludere calamo agresti.* Rustico stylo. Lucret. l. IV.

Fistula sylvestrem ne cesset findere Musam.

Ceterum Fab. Quint. l. IX. c. 4. *agrestem* legit, sed et ipse vel exscriptor falsus est, ut pluribus docuit Nic. Erythræus. Nam pecora in sylvis pascebantur. Ita mox: *resonare doces Amaryllida sylvas.* Item Ecl. IV. 3. *Si canimus sylvas.* id est, Bucolica. Æn. I. 2. *Egressus sylvis, &c.* Turneb. l. I. c. 5. *Taubm.*

Tenui avena] Culmo, stipula: unde rustici cantare consueverunt. Dicen-

do autem *tenui avena*, humilis styli genus latenter ostendit: quo in Bucolicis utitur. *Servius.*

Avena] Quales tropi deinceps sunt, *calamus, stipula, cicuta.* Ad hanc autem *tibiam calaminam* respexit Mart. l. VIII. epig. 3.

Angusta cantare licet videaris avena,
Dum tua multorum vincat avena tubas.

Tibullus lib. III. el. 4. *Sed pellucenti cantus meditabar avena.* Taubm.

Tenui] Id est, stilo humili, quo proprie canuntur Bucolica. Theocr. Idyll. v. 44. βωκολιάζειν. et Idyl. A. 3. συρίζειν, id est, *canere pastoritia fistula*, ut Cic. I. ad Att. ep. 16. Fabulam περὶ τῆς σύριγγος de Syringe mutata in arundines vel calamos, ex quibus præcisis Pan fistulam confecit, Longus l. II. pastoral. Plura ad 32. Ecl. II. *Emmeness.*

Meditaris] Cantas, quasi melitaris, *d* pro *l* posita; sic solium vel *sella*, quasi *sedda* dicitur a sedendo. *Servius.*

Meditaris] Cantas et recte μελετᾷς exerces. ut Stewechius ad Veget. l. I. c. 20. Plaut. in Sticho II. 1. 34. *ad cursum meditabor me*, pro quo in Mostel. IV. 1. 5. *Exercent sese ad cursuram.* Cicer. I. de Orat. c. 61. *Demosthenes perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur.* Eodem modo *meditatio* idem quod exercitatio, ut Val. Max. l. II. c. 3. *Armorum tractandorum meditatio a P. Rutilio consule militibus est tradita.* Sic in μελετᾷν Hesychius: Μελετᾷ, ἀσκεῖ, ἐπιμελεῖται, γυμνάζεται. μελέτη γὰρ ἄσκησις, καὶ τὸ μελετάζεσθαι, γυμνάζεσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, καὶ τὰ ὅμοια. *Emm.*

3 *Nos patriæ fines linquimus*] Non voluntate, sed vi Cæsaris et militum ejus compulsi, victo Antonio. *Serv.*

Nos patriæ fines, et dulcia linquimus arva] Buslidianus cod. *Nos patriæ fines, nos dulcia linquimus arva.* Nannius.

Finis] Antiqua terminatio acc. pl. *is* pro *eis*, quam ex MSS. eruit ingens illud interiorum literarum lumen Vir Nobiliss. Nic. Heinsius D. F. cujus elimatissimis curis hanc emendatam editionem debet, quisquis Maronis admirator est. Si quis tamen antiquissimis, calamo exaratis, codicibus detrahere pergit, accedat Priscianno, qui vett. Grammaticorum facile princeps, quantulumcunque resideat scrupuli, pulchre evellit animo. l. VII. p. 775. *Emmeness.*

Dulcia arva] Unicuique propria terra dulcis sibi videtur, nec enim omnis res delectationem habens *dulcis* appellatur. Allegorice voce utitur Mantuanorum, qui suis possessionibus expellebantur. *Servius.*

Dulcia] Dulcis, suavis, proprium patriæ epitheton: sic noster, Ge. II. 511.

Exilioque domos et dulcia limina mutant.

Ovid. l. I. de Ponto ep. III. 35.

Nescio qua natale solum dulcedine captos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Hom. Odyss. I. 34.

Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἦς πατρίδος.

et vs. 28. γλυκερώτερον. *Emmeness.*

Arva] Interprete Nannio, *arva* quæ arantur. Plaut. in Truc. I. 2. 47. *Non arvus hic, sed pascuus est ager.* Varr. de L. L. l. IV. *arvum et aratio ab arando.* Idem Isiod. l. XIV. c. 13. hinc apud Ovid. lib. I. de Ponto ep. I. 11.

Cernis ut in duris (et quid bove firmius) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus.

Hic pro prædiis et possessionibus. *Idem.*

4 *Patriam fugimus*] Ita Græci πατρίδα φεύγειν, *exulare*; et φυγὴ, *exilium.* Taubm.

Lentus] Id est, otiosus, sive securus. *In umbra*] Allegorice sub tutela Imp. Augusti; ut, *Qui nunc lenti consedimus arvis.* Servius.

5 *Resonare doces Amaryllida sylvas*] Id est, carmen tuum de amica Amaryllide compositum doces sylvas sonare. Et melius est ut simpliciter intelligamus. Male enim quidam allegoriam volunt, Tu carmen de urbe Roma componis celebrandum omnibus gentibus. Plus enim stupet Melibœus, si ille ita securus est, ut tantum de suis amoribus cantet. *Servius.*

Resonare doces Amaryllida] Ita modularis, ut te carmine in laudem Amaryllidis recitante, universæ personent sylvæ, et echo oriatur, quæ venuste Longo dicitur lib. III. past. πάντων τῶν λεγομένων μιμητὴν φωνὴν ἀποδιδοῦναι. Prop. I. 18.

Resonant mihi Cynthia sylvæ.

Id est, nomen Cynthiæ. Et Ecl. VI. 44.

Ut littus, Hyla Hyla, omne sonaret.

In locis saxosis soni repercussio frequens est. Justin. lib. XXIV. cap. 6. et noster Ge. IV. 49.

—— *Ubi concava pulsu*
Saxa sonant vocisque offensa resultat imago.

Nec raro auditur in nemoribus, ut Ge. III. 49.

Et vox assensu nemorum ingeminata remugit.

De utrisque testatur Curtius l. III. c. 5. *Quippe semper circumjecta nemora petræque, quantamcunque accepere vocem, multiplicato sono referunt.* imo, ut utar verbis Ovid. l. I. Met, vs. 573.

Sonitu plus quam vicina fatigat.

De miraculo echus plura Plin. lib. XXXVI. c. 15. et Arist. de animal. II. c. 8. Fabulam ipsam, (Echo enim formosa fuit virgo, quæ post mutata in calamos) ad vs. 149. l. V. Æn. *Emmeness.*

6 *O Melibœe*] Scilicet, quid miraris? *Servius.*

O Melibœe] J. C. Scaliger l. IV. c. 8. Poët. hos tres versus exemplum *Perspicuitatis*, in *Imo* dicendi genere, laudat; ut in *Mediocri* illos, Ge. III. 21. *In caput, &c.* in *Summo* illos IV. Æneid. 56. *Principio delubra, &c.* Taubm.

Deus] Id est, Cæsar. *Servius.*

Deus] Id est, Augustus: eum enim propter possessiones redditas quam maximis prosequitur laudibus; benefactores enim nostros eo titulo ornamus. Ter. in Phorm. act. II. 2. 31. *Non tu hunc habeas plane præsentem Deum?* Cic. de nat. Deor. l. I. c. 15. *Perseus eos dicit esse habitos Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa.* Suet. in Aug. c. 5. *peteretque donari, quasi proprio suo, ac peculiari Deo.* Hor. II. Sat. VI. 52. *Deos quoniam propius contingit*, id est, Augustum, Mæcenatem, Agrippam: inde Prov. *Homo homini Deus est.* Emm.

Hæc otia] Hanc securitatem vel fœlicitatem. *Servius.*

Ocia] In Romano, in Mediceo, et aliquot aliis antiquis, otia per *t*, hoc præsertim loco, scriptum est, quamvis non negarim in Romano alibi nomen id per *c*, haberi. *Pierius.*

Otia] Per *t*, Sanct. l. IV. c. 8. p. 442. ex Aldo de Orthograph. quod solide adstruit Dausquius de Orthograph. p. 225. *Emmeness.*

7 *Namque erit ille mihi semper Deus*] Et iteratio ipsa exclusit adulationis colorem. *Servius.*

Semper] Id est, post mortem, et dum vivit. Alii Imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum: Augustus templa vivus emeruit. Horat.

Præsenti tibi maturas largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Sic Lucanus de Nerone, *Sed mihi jam numen.* Servius.

Semper Deus] Ὑφὲν, id est, conjunctim, ut unum sit nomen. Sicut apud Ter. in And. I. 2. 4. *Semper-lenitas.* vide Donat. Lucret. l. I. *Semper-florentis Homeri.* ad hunc locum Gifan. plura. Propert. l. I. eleg. 18.

Ut tibi sim merito semper-furor.

Ibi Jos. Scal. *Non attinet monere quoties illud* semper *usurpatur otiose a Propertio. Hoc enim infinitis locis facit. Sic Dio: τῶν ἀεὶ ὑπάτων, οἱ ἀεὶ δήμαρχοι, τῶν ἀεὶ προσμιγνύντων, τῶν ἀεὶ ἀρχόντων, πέντε ἀεὶ βουλευτάς. Emmen.*

Illius] Octavii Cæsaris. *Servius.*

8 *Ab ovilibus*] Pro *Ovilium.* Sic, *Fidus ad limina custos*, pro custode liminum. Ovilia autem hic non pro septis, quibus oves includuntur, sed pro ipsis gregibus intelligi debent: ut apud Theocritum τὸ πολίιτιον, per metonymiam. *Nannius.*

Ab ovilibus] Id est, *grege.* sic Pers. Sat. II. 49.

—— *Jam crescit ovile.*

Præpositio cum suo casu loco genitivi infra 54. *vicino ab limite sepes.* Plaut. in Curc. III. 82. *Te esse ab illo.* Id est, illius. In Pseud. II. 2. 22. *ab illo milite Macedonico.* Plura ad priorem locum ὁ πάνυ J. Fr. Gronovius. Sic et Ter. And. I. 1. 129. *Ab illo injuria.* Idem III. 1. 3. *Ab Andria est ancilla hæc.* Ubi Donat. *ab Andria* pro *Andriæ.* Eun. III. 2. 12. *Dona a Phædria.* Similia Sanct. l. III. c. 4. p. 201. 202. *Emmeness.*

Imbuet agnus] *Imbuere* est proprie inchoare, et initiare. Nemo autem unam eandemque rem sæpe inchoat: sed constat sæpe pascua mutare pastores: sicut etiam in Georgicis legimus, *Itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis, tantum campi jacet.* Unde necesse est, pastores totiens aras imbuere, quotiens mutaverint pascua. Invenimus etiam apud antiquiores, *Imbuere*, esse non inchoare, sed perfundere et madefacere, secundum quod, absolutus est sensus: ut sit: *sæpe perfundet.* Serv.

Imbuet agnus] Id est, consparget, madefaciet, inficiet. Pro eo Theocr. epigr. A. Βώμον δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος. Cic. Philipp. XIV. c. 4. *Imbuti sanguine gladii, vel madefacti potius.* Pro Mil. c. 7. *Posteaquam via Appia latronis et parricidæ sanguine imbuta est.* Ovid. Trist. IV. el. I. 77.

Hostis habens arcus imbutaque tela veneno.

Emmeness.

9 *Errare*] Id est, pasci. ut,

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Servius.

Errare] Id est, placide et libere vagari, suo modo, per prata, nihil metuentes prædonum vim, aut abigei scuticam. ἐν φύλλοις πλανᾶν. ut Theocr. Idyll. IX. 4. Horat. Epod. II. 13.

Aut in reducta valle mugientium,
Prospectat errantes greges.

Emmeness.

10 *Ludere*] Scribere: ut, *Carmina qui lusi pastorum.* Horatius, *Poscimus si quid vacui sub umbra Lusimus tecum.* Servius.

Ludere] Proprie de iis, qui leviores res et amores enarrant et canunt. Ovid. Trist. l. III. eleg. I. 5. *Quod viridi quondam male lusit in ævo.* Horat. IV Od. IX. *Si quid olim lusit Anacreon.* Ipse Naso Trist. l. IV. ecl. X. *tenerorum lusor amorum.* quia amorum et de arte amandi libros memoriæ prodidit. *Emmeness.*

Calamo agresti] Rustico stylo: sicut supra, *tenui avena.* Servius.

11 *Non equidem invideo*] Excusat se, ne frequens interrogatio fœlicitatis alienæ ex invidia venire videatur: dicit se admirari potius, quam invidere. *Servius.*

12 *Usque adeo*] In tantum. *Idem.*

Turbatur agris] Turbamur sine ulla discretione culpæ, vel meriti. Et invidiose tempora Augusti carpit latenter. Sane vera lectio est *turbatur*, ut Servius dicit, ut sit impersonale, quod ad omnes pertinet generaliter; nam Mantuanorum fuerat communis expulsio. Si enim *turbamur* legeris, videtur ad paucos referri. *Idem.*

Turbatur agris] In perveteri quidem codice quodam, *Turbatur*, legere est: sed in Romano illo antiquissimo,

et in oblongo, Vaticanis, neque non in Mediceo, *turbamur* non invenuste legitur. Servius alterum illud mavult, ut impersonale pertineat ad omnes generaliter, inquit ille. Citat vero locum hunc Fab. Quintilian. lib. I. cap. IV. *Totus usque adeo turbatur agris*, inter eas formas, quæ proprie cujusdam rationis sunt, ut *Itur in antiquam silvam*, quæque initium non habent: ut *fletur*, apud Ter. et similia. Quare hic Servio acquiescendum videtur. *Pierius*.

Turbatur] Idem impersonale apud Ter. Eun. IV. 3. 7. *nescio quid turbatum est domi absente nobis*. Sed ad hæc verba antiquissimi interpretis, *turbatur agris. ut Servius dicit:* invenies. Servius hoc de se ipse? ridiculum. verissimum est, quod Tanaq. Faber in notis ad Phædr. lib. I. fab. 4. *Sed quis credat hujusmodi σφάλματα ab illo nobili grammatico esse? dicam audacter, sed vere, non magis Servium hodie habemus, quam Donati in Terentium commentarios: excerpta tantum supersunt, et sæpius a mala manu. Quod demonstrari si quis sibi postulet, tam equidem id possim facile, quam ostendere, δις δύο εἶναι τέτταρα*. Similia passim Merula ad Ennium, Salmas. ad Solinum, et non pauci alii, quorum lucubrationibus multum debent politiora studia. *Emmeness.*

En ipse capellas] Hæc et sequentia ad commiserationem ciendam faciunt. ut Rob. Titius l. IX. c. 10. *Idem.*

18 *Protenus*] *Porrotenus*, id est, longe a finibus; nam *protenus* per *e*, adverbium loci; per *i*, *protinus*, adverbium temporis, id est, statim. *Servius.*

Æger] Et corpore et animo *æger* dicitur: ut, *Esto, ægram nulli quondam flexere mariti*. Sed *ægrotus*, corpore tantum. *Ago* autem, proprie: nam agi dicuntur pecora. *Idem.*

Ago] Feræ proprie et pecudes aguntur. Corn. Nep. XIV. 3. *Vinctum quite se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret.* Inde apud JC. abactor et abigeus, et in vet. gloss. *abiegator*. ἀπελάτης. ἀπελαύνω, abago, abigo. *Emmen.*

Vix duco] Quia recens partus ambulationem prohibebat. *Ducuntur* autem ea, quæ suis pedibus utuntur: *portantur*, quæ motu suo carent, sed ita feruntur ut humum non attingant: *trahuntur*, quæ per terram aliena vi promoventur. *Nannius.*

14 *Hic inter densas corylos*] In Romano codice, *corules* per *u* passim scriptum est, perveteri ea consuetudine, qua Romani peregrinas literas non admittebant. *Pierius.*

Hic inter densas] Hoc distichon laudat Scal. Poët. l. IV. c. I. ubi de plena oratione disputat. *Taubm.*

Gemellos] Tales capræ dicuntur αἶγες δίδυμαστόκοι. Theocr. Idyll. I. 25. Αἰγά τέ τοι δισσῶ δίδυμαστόκον. vid. Scholiast. et Idyll. III. 34. δίδυμαστόκον αἶγα φυλάσσω. In pretio erant magno, quia πολὺ ἔχουσι γάλα. *Quos arietes immittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quæ geminos parere solent.* Varr. de R.R. l. II. c. 2. Feræ quæ unum tantum fœtum enituntur μονοτόκοι, quo vocabulo in ea notione utitur Aristot. l. V. de Hist. Animal. c. XIV. ubi de elephantis. utroque Call. in Hymn. Apoll. Ἡ δὲ κε μοννοτόκος, δίδυμοτόκος αἶγα γένοιτο. *Emmeness.*

15 *Spem gregis*] Id est, marem et fœminam; reparatio enim gregis in sexu utroque consistit. *Servius.*

Spem gregis] Ita Ge. IV. 162. *Spem gentis*, de apibus dixit. Ge. III. 473. *Spemque gregemque simul.* Taubm.

Ah! silice in nuda] Ad hoc pertinet præmissa dolentis interjectio: nam solent herbas substernere parientibus, ut ipse in Georgicis dicit, *Et multa duram stipula filicumque maniplis Sternere.* Servius.

Nuda] Serv. VIII. Æn. ad illud: *Stabat acuta silex*, notat: *Pæne omnes Hunc silicem dixerunt, Varro, Lucre-*

tius, Juvenalia. Tanta tamen est Virgilii auctoritas, ut persuadeat nobis, etiam Hanc ilicem dici. Taubmann.

Connixa] Pro eo, quod est enixa, id est, partu soluta; nam hiatus causa, mutavit præpositionem: sicut *secludite curas*, pro excludite. *Servius.*

16 *Læva*] Stulta, contraria. Et sensus hic est, perdituros nos quandoque agros, manifesto prædicebant signa: sed nos mentis imprudentia intelligere nequivimus. *Servius.*

Si mens non læva fuisset] h. e. Nisi caudex aut stipes fuissem. Eleganter *lævus* idem quod stultus. Horat. de art. poët. vs. 302. *O ego lævus, Qui purgor bilem sub verni temporis horam.* Pers. Sat. II. 53. *Sudes et pectore lævo Excutias guttas.* ibi Casaub. *lævo*, non *lætho* legit. *Emmenes.*

17 *De cælo tactas memini prædicere quercus*] Mire compositum augurium. Nam quercus in tutela Jovis est: et hujus arboris fructu olim homines vescebantur. Per quercus ergo, agri: per fulmen, ira Jovis: per iram Jovis, ira Cæsaris: per damnum arborum, damnum agrorum figurabatur. Hæc quercus ergo tacta, id est, afflata leviter fulmine: ut Cicero, *Tactus est ille, qui hanc urbem condidit, Romulus.* Significabat motu Imperatoris posse agros eorum perire, apud quos fulminatæ sunt arbores: nam agri caussa victus sunt, sicut olim quercus. Quod autem ait *tactas;* ostendit temporale fore damnum, quale patiuntur arbores leviter fulminatæ. Et bene *prædicere*, quasi præloqui et prædivinare: cum ita manifestum constet esse augurium. *Servius.*

Memini prædicere] Non *prædixisse;* ita Agræcius Vet. Gramm. *Memini me facere*, dicere debemus, non *memini me fecisse:* nam *memini* sermo est totus præt. temporis, qui ante factam rem in præsens revocat. Et si dixeris: *memini me fecisse*, duo præterita simul jungis. Cic. in Verr. IV. 14. *memini Pamphilum Lilybætanum mihi narrare.* et c. 66. *tum etiam hoc me memini dicere.* Ter. An. II. 5. 18. *virginem forma bona memini videre.* ubi Donat. in Phorm. I. 2. 24. *memini relinqui me Deo irato meo.* ipse Virg. Æn. VII. 405.

Atque equidem memini, fama est obscurior annis,
Aurunces ita ferre senes.

Ecl. IX. 52.

Memini me condere soles.

Refutat Sanct. in Min. c. 14. Agræcii sententiam, ubi, *memini*, jungi posse præterito perspicue disputat. *Emmenes.*

Quercus de cælo tactas] Fulmine ictas, quas Festus *Fanaticas*, Plaut. in Trin. II. 4. 138. *fulguritas.* Idem.

18 *Sæpe sinistra, &c.*] Versus hic in Vett. quos sequimur codicibus non habetur. Suppositivus est: ut in Oblongo et Longobardico, in quo etiam, *dicebat*, pro *prædixit:* quæ lectio est etiam alterius Vergiliani codicis manuscripti, cujus mihi copiam fecit Nicolaus Delphius. *Pierius.*

Sinistra cornix] Jussu enim Jovis canebat cornix a læva, corvus a dextra, ut Cic. de Div. I. 7. et 39. Plaut. Asinar. I. 1. 12. *Impetritum, inauguratum 'st: quovis admittunt aves. Picus et cornix est ab læva: corvus vero ab dextra.* de Vanitate augurum. Turneb. VI. 26. Idem occurrit versus Ecl. IX. 15. *ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix.* Emmenes.

19 *Qui*] Pro *quis*, veteri more. Plautus in Truc. I. 2. 3. *Ne qui mensus attulerit steriles intro ad nos.* Idem in Sticho v. 7. 1. *Qui Ionicus aut Cynædicus, qui hoc tale facere possiet?* Nannius. *Quis* cum *s* litera dici voluit grammatici, cum inquirendo, ut Virgil. Æn. I. 619.

Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus
Insequitur?——

et Æn. VI. 808.

Quis procul ille autem ramis insignis olivæ?

In referendo autem sine s. Æn. VI. 760.

Ille vides pura juvenis qui nititur hasta.]

Æn. I. 5. *Trojæ qui primus ab oris.* Etenim præpositivum *quis*, subjunctivum *qui*: quod tamen auctores non observarunt. ut Actius dicens,

Quinam Tantalidarum internecioni modus sit?

Et Virgil. Æn. IX. 728. *Qui cunus agat res.* Sos. Charis. Eadem Gronov. obs. in script. eccles. c. XXI. *Emmeneas.*

Da] Id est, dic. Sic contra, *Accipe nunc Danaum insidias*, id est, audi. *Servius.*

Da] *Expone.* Terent. Heaut. prol. 19. *paucis dabo.* Plautus in Bacch. II. 3. 122. *hanc fabricam Heriti filio dabo*, id est, narrabo. Plena videtur locutio apud nostrum Æn. II. 790. *Hæc ubi dicta dedit*; qualia apud optimos auctores sexcenta: ut *dare inventum, effectum*, &c. Emmeneas.

20 *Urbem quam dicunt Romam*] Quæritur cur de Cæsare interrogatus, Romam describat; et aut simplicitate utitur rustica, ut ordinem narrationis plene non teneat, sed per longas ambages ad interrogata descendat. Aut certe, quia nullus qui continetur, est sine ea re quæ continet, nec potest ulla persona esse sine loco; unde necesse habuit interrogatus de Cæsare, locum describere in quo eum viderat. Est autem longum Hyperbaton, *Urbem quam dicunt Romam.* Hic illum vidi juvenem, Melibœe. Roma ante Romulum fuit, et ab ea Romulus nomen adquisivit, sed de flava et candida Roma Æsculapii Filia novum nomen Latio facit, tantum conditricis nomine omnes Romani vocantur: Maximus Lupercorum Poëta dixit. *Servius.*

Urbem] Addit *Romam*, quod simpliciter idem: ut *ab urbe condita*, et ex similibus form. Græce ἄστυ, *Athenas.* Cor. Nep. II. 4. 1. et VII. 6. 4. quam sententiam refutat Germanus ex Aristotele. *Romam*] Hæc Solino c. 1. teste, Valentia Lat. Ῥώμη Græce. v. ad hunc loc. Salm. p. 6. 7. Emmeneas.

21 *Studiis ego*] Id est, rusticus, qui nescivi judicare. *Nostræ*] Mantuæ. *Quo*] Id est, ad quam; nam adverbium posuit pro nomine: ut, *Genus unde Latinum*, id est, a quo. *Servius.*

22 *Ovium teneros*] Periphrasis agnorum. *Idem.*

Depellere] Id est, a lacte removere. *Idem.*

Depellere fœtus] Varronianum est II. 2. de R. R. *Cum depulsi sunt agni a matribus, adhibenda diligentia est, ne desiderio senescant.* et cap. 4. *Cum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam Delici appellantur, neque jam lactantes dicuntur.* Noster Ecl. VII. 15.

Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos.

Horat. Carmin. III. 4.

——*fulvæ matris ab ubere*
Jam lacte depulsum leonem.——

Pro quo Ge. III. 298.

——*prohibent a matribus hædos.*

Depellere aliis *abigere* propter adjectam particulam *quo.* Ecl. II. 30. *gregem compellere.* et Varr. de R. R. c. 2. *Compellendum in gregem ovium.* Emmeneas.

Fœtus] In oblongo quidem codice, *fœtus*, cum æ diphthongo scribitur. In reliquis, *fetus* absque diphthongo. Sed enim numismata, *fœtus* per æ scribendum monent, dum quæ inde vocabula deducuntur *fœcundus, fœcunditas*, et similia per æ scriptas nobis ostendunt. Ut in FAVSTINAE AVG. FOECVND. AVGVSTAE. et ita in reliquis. *Pierius.*

Fœtus] Errare Pierium tota via docet Gellius XVI. 12. et ipsa, quæ laudat, numismata contrarium arguunt, ut apud Ant. Augustinum tab. 49. n. 7. et tab. 59. n. 20. imo ex ipsis numismatibus videre est, quorum mihi

copiam fecit perdiligens omnis elegantioris antiquitatis scrutator Car. Heydanus, JC. et Reip. Lugdunensi a Secretis. *Emmenes.*

23 *Sic canibus catulos similes*] Vult urbem Romam non tantum magnitudine, sed etiam genere differre a cæteris civitatibus; et esse velut quendam alterum mundum, aut quoddam cœlum, in quo Deum Cæsarem vidit. Qui enim comparat cani catulum, vel hœdum capellæ; magnitudinis facit, non generis differentiam. Qui autem dicit, leo major est cane: et generis facit, et magnitudinis differentiam, sicut nunc de urbe Roma fecit. Putabam, inquit, ante, ita Romam comparandam esse aliis civitatibus, ut solet hœdus capræ comparari; nam quamvis major esset, tamen eam civitatem esse dicebam: nunc vero probavi eam etiam genere distare: nam est sedes deorum. Hoc autem eum dicere, ille comprobat versus,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Nam *viburnum* brevissimum est, semper virens, et forma et genere a cupresso remota. Nam cupressus, arbor est maxima. Hoc autem genus argumentationis et apud Aristotelem lectum est, et apud Ciceronem. *Servius.*

Catulos] Proprie canum, ut Isid. XII. 2. aliarum tamen bestiarum fœtus *catuli* dicuntur, ut Non. Marcellus. Virgil. Ge. III. 245.

Tempore non alio catulorum oblita leæna.

Et eodem libro 437.

Cum positis novus exuviis nitidusque juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens.

Plaut. in Truc. II. 2. 13. *Quasi sus catulos, pedibus proteram, &c.* Phædrus I. 28. *Vulpinos catulos.* Citat hunc vers. Columell. III. 9. *quod natura sobolem sui similem producat.* Emmen.

24 *Componere*] Comparare. *Serv.*

Parvis componere magna solebam] Ge. IV. 175.——*si parva licet componere magnis.* Herod. l. I. ὡς εἶναι σμικρὰ ταῦτα μεγάλοισι συμβαλέειν. Thucyd. l. IV. ὡς μικρὸν μεγάλῳ εἰκάσαι. Cic. de opt. gen. orat. c. 6. *ut cum maximis minima conferam:* et in Œconom. l. CXI. apud Lactant. *ut magna parvis comparemus.* Ursinus.

25 *Caput extulit*] Sic et Æn. I. 131. *placidum caput extulit unda,* et Ge. IV. 351. *flavum caput extulit unda,* et III. 553. de Tisiphone: *caput altius effert.* Germanus.

26 *Lenta*] Arbor quæ vel tardiuscule crescit, vel quæ frangi tam facile non potest: ut Ovid. Heroid. Ep. IV. 81. *Seu lentum valido torques hastile lacerto:* et noster Æn. XI. 650. *lenta hastilia.* Ecl. III. 83. *lenta salix.* Emmenes.

Viburna] Quæ tenuia virgulta sunt, et genistæ genus mollioris, ex qua scopæ fiebant. Quidam *stolones* interpretati sunt: P. Ruellius *vitem albam*, quæ Gallis *viurna* dicitur. Vide et Matthiolum in Dioscorid. l. I. *Taubmann.*

Cupressi] Quia proceræ sunt, ut Theophr. de plantis I. 8. ἔστι δὴ τὰ μὲν ὀρθοφυῆ καὶ μακροστελέχη, καθάπερ ἐλάτη, πεύκη, κυπάρισσος. Sic Theocr. Idyll. XI. 45. ἐπὶ βαδνὰ κυπάρισσοι. vid. Schol. et Plin. XVI. 33. inde a depræliantibus ventis propter proceritatem agitantur, ut Od. Hor. I. 9. 12. Apul. Met. l. v. *Involavit proximam cupressum, deque ejus alto cacumine.* l. VI. *de quodam ramo procerae cupressus.* l. VIII. *de summo cupressus cacumine.* Emmeness.

27 *Et quæ tanta fuit*] Quæ tanta: ad magnum enim aliquid nimia necessitas venire compellit. Unde quasi miratur hominem rusticum Romam videre potuisse. *Servius.*

Et quæ] Nonnulli *ecquæ:* sed prius probat Gifanius ad Lucret. in prol. A. 25. *et quid spei sit reliquum?* et in Phorm. III. 1. 10. *et quid spei porro est?* Virgil. Ecl. X. 28. *Et quis erit modus? inquit: amor non talia curat, &c.* Emmeness.

28 *Libertas*] Amor libertatis. Etenim aliter dicit servus, libertatem cupio: aliter ingenuus. Ille enim carere vult servitute, hic habere liberam vitam, pro suo scilicet arbitrio agere: sicut nunc Virgilius sub persona Tityri, dicit se amore libertatis Romam venire compulsum: et idem latenter carpit ea tempora, quibus libertas non nisi in urbe Roma erat. Aut certe simpliciter intelligamus hoc loco Tityrum sicut pastorem locutum. Nam ubique eum Theocritus mercenarium inducit. Item Virgilius,

Tityre dum redeo (brevis est via) pasce capellas.

Servius.

Libertas] Dea est, ut Germanus, cognomento *respiciens*, id est, felix et propitia: ut Cic. leg. II. 11. *Fortuna respiciens* et Jupiter respiciens, qui apud Apoll. Rhod. II. 1126. Ζεὺς ἐπόψιος. Quare libertas Dea sit, docet Cic. de Nat. Deor. II. 23. Templum et Atrium in Libertatis Colle Aventino, ut Fest. et Donat. de urbe Roma III. 13. Eam repræsentat matrona erecta, dextra pileum rotundum tenens, sinistra vero virgam, ut ex nummis veteribus apud Fulv. Urs. et alios extantibus. Virgula pulsati, et capite raso pileum capiebant servi, libertatis indicium, ut H. Junius l. II. de Coma. Nec tantum servitute potior est libertas, sed et summum pretium, quod servo persolvi possit, ut Ter. An. I. 1. 12. Raro autem ex servis liberti erant dominis nisi serius, id est, post longam servitutem, ut ex Sosiis, Getis Terentianis liquidum. Apposite igitur: *quæ sera tamen et postquam tondenti barba cadebat;* id est, postquam ætatem spectata esset servientium fides. Quamobrem, hæc in usu fuit forma antiqua: *Spectatus satis.* Qua significabatur servum diu et liberaliter serviisse. Ter. Ad. v. 6. 5. *Nam is mihi profecto est servus spectatus satis,* Inde *spectamen bono servo,* vid. Taubm. ad Plaut. Menæch. v. 6. 1. *Emmeness.*

Respexit inertem] Desidem, sese non requirentem. Nam culpat suam inertiam quod non ante Romam ierit, et sit usus puer libertate, qua uti cœpit provectioris ætatis. *Servius.*

Respexit] Id est, me favore prosecuta est et in libertatem vindicavit. Donatus ad Terentii verba, An. v. 6. 11. *me in tuis secundis respice. Sunt enim, qui felicitate elati ne respicere quidem velint amicos.* Et *respicere* est proprie *retro aspicere,* id est, quem præcedis felicitate, non oblivisci. Plaut. in Bacch. IV. 3. 24. *deus nos respiciet aliquis,* id est, opem feret. Terent. Ad. III. 2. 55. *Nam Hercle*

alius hemo respicit nos. Juv. Sat. VII. 3.

Solus enim tristes hac tempestate Camenas
Respexit.

Emmeness.

Inertem] Rudem, imperitum, *qui artibus carent*, inquit Cic. de fin. bonor. et mal. II. 34. *a majoribus inertes nominabantur.* iners qui sine arte, id est, sine ἐρετῇ, ut Donat. ad Ter. An. II. 2. *Idem.*

29 *Candidior postquam tondenti barba cadebat*] Aut mutatio personæ est, ut quendam rusticum accipiamus loquentem, non Virgilium, per ἀλληγορίαν. Nam ut diximus, XXVIII. annorum scripsit Bucolica. Aut certe est mutanda distinctio: ut sit non *barba candidior*, sed *libertas.* nam XXVIII. annorum barbam potest quivis mittere: sed non canam. Et bene *candidior libertas:* ut intelligamus etiam ante in libertate, sed non tali, fuisse Virgilium. *Servius.*

Candidior postquam tondenti barba cadebat] *Tondeo* incertæ esse significationis, ait Donatus, atque idem legas apud P. Consentium. Sane ἀμεταβάτως, ait Maro Ecl. I.

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

Nam *candidior* cum *barba* jungendum, ut canities significetur: cui interpretamento favet, quod postea Tityrum vocat fortunatum senem. Ne quis Servii, quem Naunius etiam sequitur, auctoritate compulsus, *candidior* cum *libertas* conjungat. *Tondenti* autem non aliter, quam passive, sumi hic potest. Uti neque in hoc Ge. III. 311.

—— *incanaque menta*
Cyniphii tondent hirci.

Id est, tondentur. Livius quoque similiter Ger. lib. XXVII. J. Voss. de anal. III. 3. p. 12. De sex modis, quibus recrementitia crinium silva tollebatur. Junius de Coma c. 2. 1. *aut tondebant forficula, aut radebant novacula, aut digitis vellebant, aut solsellis eradicabant, aut deglubratoriis medicamentis extringebant, aut denique pice resinave extirpabant.* Emmeness.

Barbâ cadebat] Contrariam sententiam de juventute, et cum modelo pene Virgiliano Juvenal ita extulit Satyr. I. 25. *Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.* Quem versum repetit Sat. X. 226. *Cerda.*

30 *Et longo post tempore venit, Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit*] Jungendum est hoc totum; nam duplici ratione tempus ostendit, quo eum libertas aspexerit: id est quando cœpit secare barbam, et relicta Galatea Amaryllidis amore detineri. ἀλληγορικῶς autem hoc dicit, Postquam relicta Mantua Romam me contuli: nam Galateam, Mantuam vult esse; Romam, Amaryllida. Et bene tempora, quasi rusticus, computat a barbæ sectione. *Longo post tempore*] Aut ἀρχαϊσμός est: antiqui enim, *post, ante, circum,* etiam ablativo jungebant: quod hodie facere minime possumus: aut longo post, una est pars orationis; ut sit sensus, Venit tempore longo post: sicut multo-minus, multo-magis, post-modo. Horatius,

Postmodo, quod mi obsit clare, multumque locuto.

Longo post, ut postposita videatur esse præpositio, et in unitatem coacta. *Servius.*

Et longo post tempore venit] *Post* hic adverbium est, quia quando præpositio est, ablativo jungi non potest. Ad sententiam hanc adstruendam Priscianus l. XIV. p. 987. citat locum Virg. Æn. VI. 409.

—— *longo post tempore visum.*

Suet. Aug. c. 8. *quadriennio post.* Sanctius in Minerva ad Ellips. confugiendum vult c. 12. *longo post tempore venit*, inquit, id est in longo tempore, post id tempus. *Emmeness.*

31 *Postquam nos Amaryllis*] Ἀλληγορικῶς hæc dicit: Postquam relicta Mantua, Romam me contuli. De quo in *Argumento.* Nec temere per Amaryllida Roma indicatur. Nam,

ut auctor est Politianus lib. I. Epist. 2. ROMA urbs triplici olim nomine insignita fuit: vulgato, *Roma*; arcano, *Amaryllis*; sacro et rituali, *Anthusa* sive *Florentia*. Taubmann.

Habet, &c.] Amantibus sollemnia verba, *Habere*, et, *Tenere*. Ita Ecl. III. 107. *Phyllida solus habeto*. Ovid. Ep. Heroid. II. 103. *Jam te tenet altera conjux*. Catull. *Tene Thetis tenuit pulcherrima?* Terent. Ad. II. 4. 26. *Teneo ego te, mea Antiphila?* Apulejus: *Teneo te, teneo te, meum palumbulum*. His opponitur *Relinquere*. Plautus Most. *Reliquit deseruitque me, &c.* Vide quæ ad Plaut. Pœn. Prol. e Gruteri susp. diximus. *Taubmann.*

Habet] De verbo *teneo* plura tradit Pricæus in not. ad l. x. Met. Proprie de meretriciis amoribus et turpiori consuetudine. Ter. Hec. III. 3. 44. *amor me graviter consuetudoque tenet*. Plaut. Bacchid. I. 2. 37. *Tu amicam habebis?* Ter. An. I. 1. *Quis heri habuit Chrysidem*. Tibull. I. 2.

Ferreus ille quidem, qui, te cum possit habere,
Maluerit prædas stultus et arma sequi.

Idem IV. 7. ἔχειν Græce, ut videre est apud Diog. Laërt. in v. Aristippi: ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. *Emmeness.*

Galatea] In Cod. plerisque veteribus *Galathea* per *th.* scriptum, quod imperite ἀπὸ τῆς θεᾶς deduci nomen arbitrarentur. Græce vero Γαλατεία, cujus ει, penultimam diphthongum in, *e*, longum transire apud Latinos ex Terentiano, et aliis constat satis. Ut μηδεία Medea, αἰνείας Æneas. *Pierius.*

Galatea] Etiam in MS. Cod. qui extat J. Rutgers. in Bibliot. Lugd. Bat. de Galatea, tanquam puella rustica, Theocr. Idyll. VI. 7. βάλλει τοι, Πολύφαμε, τὸ ποίμνιον ἁ Γαλάτεια Μάλοισιν. *Emmeness.*

32 *Fatebor enim*] Hoc per parenthesin dictum est. *Servius.*

33 *Nec spes libertatis erat, nec cura peculi*] Nec sperare poteram libertatem in oppressa civitate, nec habere curam patrimonii. *Peculi* autem aut antique dixit, quia omne patrimonium apud antiquos *peculium* dicebatur, a pecoribus; in quibus eorum constabat universa substantia: unde etiam *pecunia* dicta est a peculio; aut certe et hoc ad morsum temporum pertinet: nam modo tantum *servi peculium* dicimus: ut invidiose patrimonium suum dixerit *peculium*, ac si servus esset: quia se diu apud Mantuam servisse memoravit. Sane *peculi*, pro *peculii*, per synæresim dictum est. *Idem.*

Cura peculi] *Cum contubernalem habebat Galatheam, nihil admodum peculii colligere poterat, unde se tandem liberaret. Amaryllidem nactus et attentiorem et diligentiorem, dimissa Galathea, quæ dissolutior et negligentior in re peculiari augenda erat, tandem aliquando libertatem adeptus est.* Turn. I. 26. *Peculi*] Hor. de Art. poët. 330. *ad hæc animos et Cura peculi Cum semel imbuerit.* Ubi Nannius: *peculium rustici vocant quod extra reliquam pecuniam sepesuerunt.* Per *i* simplex, ut noster Æn. I. 251. *Urbem PatavI.* Terentio perfamiliare, *negotI, consilI, beneficI.* CœlI, NumerI, ut ex Lucil. Sat. XIV. Charis. I. 9. p. 60. Factum hoc vult Pierius ad 69. hujus Ecl. *Pauperis et TugurI*, compendii, Priscianus metri gratia l. VII. illius sententia verisimilis, hujus refellitur a Castalione in var. lect. c. 9. quia in soluta oratione idem factitatum, ut ex vett. inscript.

I. O. M.
PRO. SALVTE. AVGG. N. N.
L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. ET. M.
AVRELI. &c.

Pro *Septimii*, *Aurelii*. Plures reperias apud laudatum comm. inscript. Recte *peculium* Servius pro substantia servorum: solebant enim unciatim de demenso, suum defraudantes genium, panxillulum comparcere miseri, ut

tandem aliquando per contractos nummos libertatem a dominis redimerent, teste Lips. ad Tac. ann. XIV. 41. Graece, ut ex vet. gloss. in voce *peculium*, sic circumscribitur: Κτῆσις τοῦ ἐν ἀλλοτρίᾳ ἐξουσίᾳ ὄντος. τοῦτ' ἔστιν υἱοῦ, ἢ δούλου. et paulo post: Περιουσία, Περίκτησις, Ἴδιον, Σφέτερον, Οἰκία δούλου. Apposite hanc locum ex Senecæ Epist. 80. Cerda. *Mancipia peculium suum, quod comparaverant ventre fraudato, pro capite numerant.* Sic Cicero parad. V. 2. *Eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam conditionem recusant durissimæ servitutis.* Juv. III. 189. *et cultu augere peculia servis.* Jureconsultis nihil hac voce familiarius, ut in indice Erythræus in voce *peculi.* Emmeness.

34 *Exiret victima septis*] *Septa* proprie sunt loca in Campo Martio inclusa tabulatis: in quibus etiam Po. Ro. suffragia ferre consueverat. Sed quoniam hæc septa similia sunt ovilibus, duo hæc invicem pro se ponuntur: ut hoc loco *septa* pro ovilibus posuit. Item Lucanus contra, *Et miserere maculavit ovilia Romæ.* Juvenalis, *Antiquo quæ proxima surgit ovili.* Sane *Pinguis* melius ad victimam, quam ad caseum refertur. *Servius.*

Victima] Præter alias Festus hanc tradit Etymologiam: quæ *ad hostes victos immoletur*, quam confirmat Ovid. Fast. I. 335.

Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur:
Hostibus amotis hostia nomen habet.
Quamvis multa meis, &c.]
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dextorum.

Hos Scioppius in Priap. Carm. 86. Catullo adscribit. *Emmeness.*

Septis] Ex stabulis, ovilibus. In campo Martio fuisse septa, de quibus mentionem infert Servius, nemo erat inficias. Ovidius Fast. I. 53.

Quo populum jus est includere septis.

Sed omnia loca, ut Cerda, sepimento vallata *septa* dicuntur: talia sunt stabula ovium, caprarum, boum; imo aliarum etiam bestiarum. Cic. Philipp. XIII. 3. *quibus septis tam immanes belluas continebimus.* Quamvis septi sive sepis nomine proprie veniat omne id, quod fundo ad tutelam esse possit. Varr. de Re Rust. I. 14. *Nunc de septis, quæ tutandi fundi causa aut partis fiant.* III. 12. *Septum venationis.* Emmeness.

35 *Ingratæ Urbi*] Quia cum alimenta civitatibus præstentur ex rusticorum labore, et in his rustici etiam deridentur a civibus, et multa perdunt, et advectarum rerum pretia iniqua suscipiunt. *Servius.*

Caseus] *Quod careat sero, quasi serreus.* Isid. XX. 2. vel ut Varr. de L. L. a *coacto lacte.* De caseo premendo Colum. VII. 8. *Pont.* Apud Pomponium in Lenone *caseum mollis*, ut Charis. I. I. et *ingratæ premeretur caseus urbi Non unquam*, sic dispungit Sanctius II. 7. p. 86. *Emmeness.*

36 *Ære gravis*] Id est, nunquam locullis probe impletis redibam; pro quo Juvenal. XIV. 282. *tenso folle reverti*, id est, tumente præ nummis marsupio. Bene *ære:* nam æs antiquissimum, quod conflatum pecore, pecore erat notatum, ut Varr. de R. R. II. 1. *Id.*

37 *Amaryllidi*] Vocativus Græcus est, qui brevis est quotiescunque nominativus in *is* terminatur: ut Amaryllis, Pieris. Horatius, *Dulcem quæ strepitum Pieri temperas.* Servius.

Amaryllidi] Quidam calamo notati libri habent Galatea, ut ad Mantuana referatur; quæ lectio sit recipienda nec ne, doctis viris judicandum relinquam. *Ursinus.*

Amaryllidi] *Galatea.* Cerda.

Quid vocares] Hoc Virgilii personæ convenit. *Mœsta Amaryllidi*] Quæ nomine lætabare poëta. *Servius.*

38 *Cui*] Id est, in cujus honorem. *Cui pendere*] Id est, tibi; quia laudari a te non meruerunt. *Idem.*

Sua poma] Id est, ipsius arboris poma propria. *Idem.*

Poma] In Rom. Cod. *mala* non *poma* legitur. Altera vero manu *poma* adscriptum est. Et in altero satis antiquo abrasa est tota dictio: et *poma*, scriptum altera manu. Utrum malueris admittere tantundem est. *Poma* tamen numerosius videtur, atque ob vocalium varietatem, et ob literæ sonoritatem gratius. *Plerius.*

39 *Tityrus*] Virgilius. *Pinus*] Roma vel Cæsar. *Servius.*

40 *Fontes*] Poëtæ; vel Senatores. *Idem.*

Arbusta] Fructeta, scholastici vocabant. *Servius.*

41 *Quid facerem*] Cum se purgatum vult quispiam, venustus hujus formulæ usus. Ut Ter. E. v. 1. 15. *Quid facerem?* Hec. iv. 1. 1. *Quid agam?* ubi Don. *figura διαπόρησις turbatis apta. τί ποιῶν*; vide *Pricæum* ad c. xvi. c. 3. *Lucæ*. Et Ecl. vii. 14. *Quid facerem?* Emmeness.

Servitio] Ab servitio. Servitium est conditionis indicium. *Licebat*] Id est, nec deesse officio poteram. *Servius.*

42 *Præsentis*] Propitios faventesque. Horat. Ep. ii. 134. *præsentia Numina.* Virg. Æn. ix. 404.

Tu Dea tu præsens nostro succurre labori.

Ad Augustum referri vult Cerda, cui viventi sacra fiebant, ut Hor. Od. iii. 5. 1.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare, præsens Divus habebitur
Augustus.

Vide Torr. *Promiscue poëta utitur* (ut Serv. ad Æn. v. 56.) *Divum et Deorum: quamquam sit discretio, ut Deos perpetuos dicamus: Divos ex hominibus factos, quasi qui diem obierint, unde Divos imperatores appellamus.* Sic Turn. xxviii. 6. *Divus imperator, qui post mortem Deus habetur.* Quod nomen, teste Servio ad Ecl. v. 56. *primus meruit Julius Cæsar, et Divus appellatus est*, ut hic nummus.

Unde Cæsar Divi F. quemadmodum videre est, in nummo pag. præcedente, et in nummorum tab. xv. n. 8. de quibus disserit Augustinus. *Emmeness.*

43 *Illum*] Non videtur abundare, *illum;* sed facere ad augendam venerationem et ampliorem reddendam majestatem. Noster Æn. x. 175.

— Ille hominum divumque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent.

Elegantem vocis, *ille*, usum luculente exponit in nov. lect. iii. 26. Gulielmus Canterus. *Idem.*

Juvenem] Cæsarem dicit Octavianum Augustum; decreverat enim Senatus ne quis eum puerum diceret, ne majestas tanti imperii minueretur. *Servius.*

44 *Bis senos cui, &c.*] Cui singulis mensibus rem divinam facio, ut magnis Diis, Junoni et Jovi, Republ. et optimates solent: non semel, ut aliis

diis quotannis. Turneb. I. 26. ad vs. 42. 43. 44. Vide Saubertum de Sacrif. c. v. p. 112. ubi ex Maximo Tyrio dissert. 38. Ἕλληνες μὲν θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς· et paulo post ex Philone, Εὐεργέτας τούτους, καὶ πόλλων αἰτίους ἀγαθῶν, ὡς θεοὺς προσεκύουν. *Emmeness.*

Dies] Id est, principia mensium. *Fumant*] Id est, sacrificant. *Servius.*

45 *Hic mihi responsum primus, &c.*] In Cod. Longobardico *primum* habetur. Sed, *primus dedit responsum*, magis Servio videtur facere satis. *Pierius.*

45 *Responsum primus dedit*] Id est, permisit libere vivere. *Primus*] Id est, ante quem nullus sit. *Servius.*

Responsum] Respondent Dii, oracula, haruspices consulentibus, deliberantibus, μαντευσαμένοις. Just. II. 6. *oraculum consuluerunt. Responsum, &c.* Cæteroquin respondere JCtorum est. Cic. de Clar. Orat. cap. 89. Q. *Scævola consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat.* Inde Venusinus lib. I. Epist. 16. 43. *quo responsore*, id est, Jurisconsulto. sic *responsa prudentium* pro quo idem poëta 41. *consulta.* Sed de his Brissonius de Form. l. III. p. 332, 333. *Emmeness.*

46 *Pascite*] Id est, ut ante eratis, o pueri, sic et modo pascite in pace. *Servius.*

Pascite] Vett. pro *pascere* fuit *pecuascere.* Vetus inscriptio: apud Gruter. p. 204.

PECVVASCERE. GENVATES.
VEITVRIOSQVE. LICEAT.

Cerda.

Pueri] *Pueri sunt impuberes*, ut Fest. et sic sæpe. Non raro etiam idem quod *filius.* Horat. Carm. I. 16. 25. *puerosque Ledæ.* vid. Torrent. Hic de mancipiis. ut Horat. Carm. I. 38. 1. *Persicos odi, puer, apparatus.* Quod, ut Cerda, perspicuum ex nominibus servorum *Marcipor*, *Publipor.* Sic et passim παῖς. *Emmeness.*

Submittite tauros] Id est, exercete terram et sobolem. *Servius.*

Submittite] Servius: (*Jugo scilicet ad arandum*). Non displicet. Sunt qui referant ad propagationem taurorum. Hanc non negem, sed hoc loco illa est parum opportuna. De ea significatione alibi. Ego Poëtam explico: *submittite*, id est, producite ad pastum tauros. Hoc enim quadrat cum superiore sententia, *pascite boves*, ut dicat, et vaccas et tauros produci posse ad pastum. Et quidem eo sensu Lucret. accipit, lib. I.

Tibi suaves Dædala tellus
Submittit flores.

Profert, producit: et Seneca in Œdip.

Lætus Cytheron pabulo semper novo
Æstiva nostro prata submittit gregi.

Quod a Græcis sumptum, nam Pind. Od. IX. Pyth.

Χθὼν ἠρινὰ φύλλ' ἀναπέμπει.
Tellus verna folia submittit.

Liban. in Progymn. pari verbo, γῆ ἀνήει τὸ ἄνθος. *Cerda.*

Submittite] Varro de re rust. II. 3. *In nutricatu hædi trimestres cum sint facti, tum submittuntur, et in grege incipiunt esse.* Id est, datur potestas cum cætero grege excurrendi ad pascua. *Emmeness.*

47 *Fortunate senex*] Non ad ætatem Virgilii refert, sed ad fortunatum futurum præsago usus est verbo. Nam apud Philosophos, *senes* dicuntur, qui spem futuri temporis habent in victu. *Servius.*

Senex] Non semper decrepitum, annis gravem, vel ætate confectum significare videtur, sed nonnunquam blandius esse nomen, honoris et reverentiæ quod sit inditum. Phædrus l. II. fab. 1. *Morem servabo senis.* Servius ad Æn. VI. 304. *Senior est virens senex.* Sic, *Senior Atticus* pro Phidia. *Senior Gargetius* pro Epicuro. Gevartius ad Stat. l. I. Silv. edit. Cruc. pag. 44. 45. 48. sic γέροντες appellati Lacedæmoniorum magistratus, de quibus Pausanias l. III. Hæc om-

nia faciunt pro Nannio. Sed illius sententiæ non subscribitur a plerisque, quibus placet. quod supra 28. 29. dictum, per senem senectute confectum servum hic intelligendum esse, quem defloccatum libertas tandem secuta est. Utitur igitur Noster hoc vocabulo pro ratione ætatis, quod monet Horat. Epist. I. 6. 54.

—— *Frater, Pater, adde,*
Ut cuique est ætas.

Emmeness.

Ergo tua] Tredecim hinc versus seqq. exemplum *Floridæ Orationis* citat Scaliger, Poët. IV. 9. *Idem.*

48 *Et tibi magna satis*] Ordo est, Magna satis pascua, subauditur *erunt.* Servius.

Quamvis lapis] Quamvis mons sit et lacus. Nam a monte usque ad lacum, et inde usque ad arborem quandam, fuerat terra ei donata. *Idem.*

Quamvis lapis omnia durus] Quamvis vitiis laboret prædium, et pars ejus, qua ad montes assurgit, sit glareosa: pars, qua ad fluvium descendit, sit palustris, et juncis hirta; sufficit tamen ad herilem victum. *Nannius.*

49 *Palus*] Id est, æquor. *Obducat*] Tegat. *Junco*] Fœno. *Limoso*] Flumine Mincii. *Servius.*

50 *Non insueta*] Quasi dicat, Felicem te, cujus gravidæ pecudes pabulo sibi adsueto vescentur, neque peregrino sanitatem corrumpent: neque etiam vicini pecoris contagio lædentur. *Taubmann.*

Non insueta] Non tantum a pabulo, sed etiam *a potu insueto cavendum* prægnantibus ovibus monet Varr. de R. R. II. 2. *Quam diu admissura sit, eadem aqua uti oportet; quod commutatio et lanam facit variam, et uterum corrumpit.* Emmeness.

Gravis] Fœtas: accusativus pluralis, quasi *graves*, id est, gravidas: scilicet non enixas. *Servius.*

Gravis] Sic et infra Æn. I. 278.

Marte gravis geminam partu dabit.

Lucret. *ingravesco*, pro in utero gestare incipio: et Ge. II. 429.

Fœtu nemus omne gravescit.

Et Æn. VI. 511.

Armatum peditem gravis attulit alvo.

De equo Durateo, quem ἔγκυον passim vocant Græci. *Germanus.*

Fœtas] Hunc locum exponit Servius Æn. I. 55. sunt qui sic dispungunt, *Non insueta graves tentabunt pabula: fœtas Nec mala, &c.* Sed interprete nobilissimo Heinsio in literis ad V. Cl. I. Georg. Grævium: *gravis*, id est, languentes, ægras: ut Ovid. Met. VII. 570. *Inde graves multi nequeunt consurgere.* pro quo Virgil. Ge. III. 95. *morbo gravis.* Emmeness.

Tentabunt] Horat. Ep. I. 18. 89. *Si tentent crimina;* ubi Torrentius docet *tentare* Virgilio esse frequens pro *invadere, vexare.* Ge. II. 94. *Tenuisque Lagæos Tentatura pedes.* Ge. III. 441. *Turpis ovis tentat scabies.* Suetonius in Aug. cap. 81. *Et initio veris præcordiorum inflatione tentabatur.* Idem.

51 *Contagia lædent*] Morbi vel pestilentiæ corrumpent; unde contingit, ut, una aliquo morbo moriente, omnes idem morbus corruptas interimat. Dicit ergo, quod nec insolita pascua tentaturæ sunt pecudes; nec ex alicujus infirmitate corrumpendæ. *Servius.*

Contagia] *Contagium* veteres magis usurpabant, teste Charisio lib. I. institut. gramm. p. 54. sed Sallustius c. 10. bell. Catil. *Contagionem* maluit dicere: *Post ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata est.* Emmeness.

Mala] Non otiosum esse, recte notat Nannius ex Horat. de art. poët. 453. *mala scabies.* sic Lucil. Sat. I. *gangræna mala.* Lucan. III. 369. *dira contagia.* Idem.

Mala contagia] Explico *noxia*, ut Ge. III. 425. *malus anguis.* et in Horat. Epod. III. 8. *malas dapes* Canidiæ veneficæ. Nam quæ venenata sunt, et inficiunt, dicuntur noxia et

mala. Æn. II. 471. *mala gramina pastus*, id est, noxia. *Cerda.*

Mala contagia] Cadere posse totum gregem, ab una ove infectum, usus docet. Hinc Juvenal. Sat. II. 78.

—— *Dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, et porrigine porci.

itaque vult noster prius curam geri, quam morbus latius grassetur. Ge. III. 468. et seqq.

Continuo ferro culpam compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia volgus.
Non tam creber, agens hiemem ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum pestes. Nec singula morbi
Corpora corripiunt: sed tota æstiva repente,
Spemque gregemque simul, cunctumque ab origine gentem.

Ideo consilium est, plures facere greges, oves enim se congregant, et condensant in unum locum: ne cum avidiores ad rem simus, eveniat, quod Gaberio equiti Romano, de quo lege Varr. de re rust. II. 2. *Emmeness.*

52 *Hic inter flumina*] Inter Padum et Mincium, ubi nutritus es vel cognitus. *Nota*] Chara. *Servius.*

Nota] Frequentata ob rus propinquum. sic Æn. VII. 491. *Limina nota.* Juvenal. Sat. I. 7.

Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis.

Sat. XI. 153.

Et casulam, et notos tristis desiderat hædos.

Phædrus lib. I. Fab. 12. *Exitus notos petunt.* et 5. *inde notis flexibus.* Hor. Ep. I. 15. 10. *diversoria nota. Prater agendus equus.* Emmeness.

53 *Fontis sacros*] Quia omnibus aquis Nymphæ sunt præsidentes. *Servius.*

Et fontis sacros] Theocr. Idyll. VI. 3. ἐπὶ κράνων. et Idyll. VII. 136. τὸ δ' ἐγγύθεν ἱερὸν ὕδωρ. et Idyll. VIII. 33. τέτραμαι θεῖον γένος. vid. Scholiast. Numina implorabant veteres fontium et amnium, tanquam Deorum numero adscripta. Homer. Iliad. Γ. 278. Ζεῦ πάτερ, &c. καὶ πέτραμοι καὶ γαῖα. Noster IV. Ge. 319. *Sacrum caput astitit amnis.* Horat. I. carm. Od. I. *Ad aquæ lene caput sacræ.* Juvenal. Sat. III. 13. *Nunc sacri fontis nemus.* Ovid. II. Metam. 464. *I procul hinc, dixit, nec sacros pollue fontes, Cynthia.* Jupiter, Deorum concilium habens, nymphas, fontium et fluviorum præsides, *humentibus evocat antris.* ut Claudian. de rapt. Proserp. in princ. lib. III. et Ovid. I. Metam. 275. de antiqua fluviorum forma Virg. Æn. VII. 792. *Emmeness.*

Frigus opacum] Quia æstivo tempore sub umbra fit frigus. *Opacum* autem, utrum pro opacis locis, incertum est; an pro valde frigidum: nam unum frigus est hyeme, alterum quo refrigeramur æstate. *Servius.*

Frigus captabis] Ecl. II. *Umbras et frigora captant.* Ita Xenophon: αὔρας θηρεύειν dixit: et *Opacum* fortasse reddit Hom. φρίκα μέλαιναν. *Taubmann.*

54 *Ab limite*] Limes, est agri terminus. *Sepes*] Subaudi, *fiet.* Servius.

Sepes] Romanus Cod. Vat. et alter oblongus *Sæpes* per æ diphthongum scribunt. Ita *Sæptum:* uti superius, *Exiret victima sæptis.* Et *sæpio*, ut *sæpsit se tectis.* Quæ ita recte scribi, ostendit adverbium *sæpe* ejusdem originationis. *Pierius.*

Sepes] Quæ prædii tui fines facit notiores et ita determinat, ut lithem ansam semper præcidat. Sepes facta ex salice, virgultis aut spinis, naturalis et viva nominatur. Varr. de re rust. I. 14. et Colum. X. 3. *Quæ radices vivæ sepis habet, ac viatoris prætereuntis lassiti non metuit facem ardentem.* ad quam alludit Ovid. II. Metam. 493.

Ut fucibus sepes ardent, quas forte viator [*reliquit.*

Vel nimis admovit, vel jam sub luce Emmeness.

55 *Hyblæis*] Hybla, vel Hyble, oppidum est Siciliæ, quod nunc Megara dicitur: vel locus in Attica, ubi optimum mel nascitur: et posuit speciem pro genere. *Servius.*

Hyblæis apibus] Sic Mart. l. IX. Epigramm. 27.

Hyblæis apibus Corsica mella dabat.

L. XI. Epigr. 43. *Mella jubes Hyblæa, fu.* Ab urbe Siciliæ Hybla, quæ a duce Hyblone sortitur nomen, ut Thucydid. l. VI. et quia plurimi erant Megarenses, qui, Græcia relicta, Siciliam petebant, *Hybla parva*, Γαλεάτις cognomine, post *Megara* pl. n. vel *Megaris* appellari cœpit. Incolæ Μεγαρεῖς Megarenses, sicut ante Ὑβλαῖοι Hyblæi. De his Strabo l. VI. p. 267. et ne confunderentur cum Megaris in Græcia, Megara in Sicilia appellata sunt, Μέγαρα Ὑβλαῖα, et cives Μεγαρεῖς Ὑβλαῖοι, ut Cluver. Sicil. ant. I. II. p. 131. et 132. et præsertim II. 8. p. 333. ex Stephano misere mutilato τρεῖς Ὕβλαι, πόλεις Σικελίας extitisse docet, nempe μείζονα, μικράν, et ἐλάττονα. *Megara Hyblæa* posita ad Alabum, et licet interierint, satis sunt mellificio nobilitata, imo mel, quod inde, Hyblæum, διὰ τὴν ἀρετὴν τῶν Ὑβλαίου μέλιτος, ut Strabo, immortale nomen iis adfert. In collibus enim Hyblæis, propter florum copiam, (nam inde Mart. lib. II. Epigr. 46. *Florida Hybla.*) et thymi abundantiam, quæ herba est apibus gratissima, teste Plin. XXI. 12. mel conficiebatur optimum, quodque propius aberat a Cecropii sive Attici mellis præstantia. Quare Mart. l. XIII. Epigr. 405.

Cum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,

Cecropios dicas tu licet esse favos.

De Cecropio melle Ovid. v. Trist. el. 4. 29.

—— *O dulcior illo*

Melle, quod in ceris Attica ponit apis.

De Hyblæo melle idem l. eodem el. 13. 22.

Et careat dulci Trinacris Hybla thymo.

Et quia apum, quæ in floridis illis campis pascebantur, examina erant innumera, ideo lib. II. de Arte Am. 517.

Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla.

Vide Serv. ad Ecl. VII. 37. *Emmeness.*

Depasta florem] Depastum florem habens. Hypallage. *Servius.*

Florem depasta] A Græcis fluit hoc locutionis genus. Ut Sanct. in Min. p. 80. sic noster Ecl. III. 106.

—— *Inscripti nomina regum*

Nascentur flores.

Et Æn. II. 215. *Implicat, et miseros morsu depascitur artus.* Ad hunc locum vide Priscian. l. VIII. p. 796. Ovid. Heroïd. ep. IV. 159.

—— *Radiis frontem vallatus acutis.* ep. V. 137.

—— *Caput pinu præcinctus acuta.* ep. VI. 26.

Lumina fixus humo.

Similia qui desiderat, adeat Vechnerum de Hellenolexia p. 149. *Depascere*, Long. l. II. past. *κατεσθίειν* interpretatur. Utrumque dici *depasco* et *depascor* in eadem notione docet Servius Ge. III. 458. sed plura eo loco. *Emmeness.*

Salicti] Virgulti genus, dictum eo quod salit et surgit cito. *Servius.*

Salicti] Pro *saliceti* contracta voce utitur Cic. de l. Agr. c. 14. *Salicta ad Minturnas.* Columell. lib. II. cap. 2. *filictum* pro *filiceto*, adeo ut toto errent cœlo, qui *saliotum* et *filictum* poëtis dici tantum asserunt. *Salictum* dicitur, ut Cic. de leg. Agr. c. 25. *Saxetum* Varr. de re rust. I. 8. *arundinetum*, *juncetum*, *vinetum*. c. 41. *ficetum*. c. 44. *olicetum*. et Columell. IV. 32. *castanetum*. et noster Ecl. II. 9. *Spinetum*. et Ecl. V. 17. *Rusetum*,

pro loco multis rosis consito. Vide erv. ad Ge. II. 112. Non absurda videtur origo (quamvis Festus eam rideat) *salix a saliendo, quod ea celeritate crescat, ut salire videatur.* in vet. gloss. *ἰτέα salix. ἰτεὼν salictum. παρὰ τὸ ἰέναι, ταχέως γὰρ αὔξεται.* Hesychio *αἰγίλιψ* et *ἀπὸ τῶν θουρίων* hæc arbor. Quod texi, et flecti possit, in sepimenta et commoditates agricolarum, Noster Ge. II. 446. *Viminibus salices fœcundæ.* ejusque præterea usum et species tradit Plinius XVI. 37. Columell. IV. 30. Theophrast. Hist. Plant. III. 13. *Emmeness.*

56. *Levi susurro*] Dulci murmure. Hic vocat rusticum ad dulcia, quæ sunt in rebus quibus delectatur. *Somnum inire*] Id est dormire, vel carpere. *Servius.*

Levi susurro, &c.] Id est, bombitatione (sic enim Festus sonum apium) ad suaviter dormiendum alliciet te sepes, cujus flores ab apibus depasti sunt. *Levi* per extenuationem, ut Horat. Od. I. 9. *Levesque sub noctem susurri.* Juvenal. Sat. IV. 110.

—— *Tenui jugulos aperire susurro.*

Pro quo Claud. in Eutrop. I. 87.

Occulto crimen mandasse susurro.

Susurrus in vett. gloss. *ψιθυρισμὸς* proprie amnium, frondium et apum est, quæ cum susurrant *βομβέειν* dicuntur Theocr. in Idyll. I. 107. De fontium murmure, quod facit ad carpendum somnum Horat. Epod. II. 27.

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leveis.

Idem Epist. I. 14. 39.

Juvat et prope rivum Somnus in herba.

Theocr. Idyll. A. 1. de arborum susurro:

Ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα,
Ἃ ποτὶ ταῖς παγαῖσι, μελίσδεται.

Aristoph. *ἐν νεφέλαις*, III. 3.

Ὁπότ' ἂν πλάτανος πτελέα ψιθυρίζῃ.

Ubi Scheliast. *τὸ δὲ ψιθυρίζει, ἀντὶ τοῦ ἀνέμου πνέοντος μαλακοῦ καὶ ἠρέμα διὰ τῶν φύλλων εἰσιόντος, ὥσπερ προσλαλεῖ τὰ δένδρα, ὅπερ ψιθυρίζειν λέγεται. καὶ Θεόκριτος· ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα. Emmeness.*

57 *Sub rupe*] Pro eo Theocr. Idyll. VIII. 55. *ὑπὸ τᾷ πέτρᾳ ἄσεται.* Contrarium est *ἐπὶ πέτρας*, in rupe, ut idem Idyll. XI. 17. *Idem.*

Frondator] Id est rusticus: vel quod animal frondibus vescitur. Nam tria genera sunt frondatorum. Frondator, qui arbores amputat, et qui frondibus manipulos facit hyemis tempore animalibus ad pastum offerendos; et qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat. Aut avis quæ in frondibus habitat, et his vescitur. Vel etiam palumbes quæ in frondibus nidificant. *Servius.*

Frondator] Idem qui *putator* Ge. II. 28. et Columell. IV. 17. recte dubitat Ursinus vocabulum *δρυτόμος* minus convenire. Catull. in carm. de nupt. Pelei et Thetidos:

Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.

Plinius XVIII. 31. *unus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die justum habet.* Sic *frondatio* pro *putatione* Columell. V. 6. ad hunc locum vide Turneb. advers. I. 26. *Emmeness.*

Ad auras] Id est, in die. *Servius.*

Ad auras] id est, sublatissima voce *νόμον*, quem Musici *ὄρθιον* vocant, rustici affectare solent. *Nannius.*

Ad auras] Sublimi voce. *Taubm.* Frigusculi captandi ergo. *Cerda.* Nam hac in ecl. pastorem, a solis æstu vehementer ferventem, reficere videtur umbra, aqua, aura, &c. *Ad auras* non male igitur est *spirantibus auris.* Non dissimile est illud Cornelii Nep. XXV. 10. *Ad adventum imperatorum*, id est, advenientibus imperatoribus. Sic ad cytharam, ad chordas saltare, locutiones sunt crebro occurrentes. Cic. de lege agrar. I. 34. *Hostiæ ad*

præcenem et tibicinem tumolubantur. Id est, præeunte voce præconis, et tibicine canente. Vel, *ad*, loci designat propinquitatem, ubi aurar commodius excipi poterant. Ut Phædr. l. I. fab. 18. *Ad fontem cervus restitit.* et l. IV. fab. 24. *Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam.* Diurnum tempus intelligendum esse, quod monet Servius, si cui fit verisimile, per nos licet. *Emmeness.*

58 *Raucæ*] Βραγχώδεις. *Servius.*

Tua cura] Tuæ deliciæ. sic Ovid. Trist. IV. El. 6. *Absunt, mea cura, sodales.* Emmeness.

Palumbes] Columbæ, quas vulgus tetas vocat : et non dicuntur Latine: sed auctorum auctoritas Latinum facit. Cicero in Elegeia, quæ Talemastis inscribitur, *Jam mare Thyrrenum longe, penitusque palumbes Relliquit.* Servius.

Raucæ, tua cura, palumbes] Duplex commendatio addita palumbibus, et quod canoræ sint, et quod illi charæ. Turturibus quoque commendationculam aspersit, a loco mutuatam, quod in alta ulmo gemitum suum faciant. Sic undecunque, e supernis gemitu palumbium et turturum, a lateribus apicularum bombis, humi fontium murmure demulcetur. Ille igitur vim beneficiorum agnoscens, immortalem animi gratitudinem repromittit. *Nannius.*

Palumbes] Non *rauci*, sed *raucæ* codices habere testatur Pierius. Ut Ecl. III. 96. *Aëriæ.* In masc. gen. Plautus in Bacch. I. 1. 17. *Duæ unum expetitis palumbem.* De utroque genere Charis. inst. I. 82. ex Sat. Lucil. XIV. Dicitur et *palumbus* et *palumba*, apud Martial. l. XIII. epigr. 67. *torquati palumbi.* A signo, quo collum cingitur. Suet. in Claud. c. 21. *Palumbum postulantibus.* Ambigua illic significatione pro gladiatore. Ut *Columbus* in Calig. c. 55. Inter columbarum genera, corpore sunt maximo, ut turtures minimo, Aristot. de hist. an. v. 18. triginta immo quadraginta annos vivunt, teste Plin. X. 35. *Palumbi, turturis, passeris*, vocabulum in obsceno sumi sensu, docet Taubm. in Bacch. I. 1. 35. Palumbulum saltem blandimentum est, et inter comissimos affatus usum habet, ut Pricæus ad Apul. met. X. 628. Palumborum possessio non abhorret a cura boni rustici, teste Columell. VIII. 8. Penes rusticorum nationem est quantivis pretii, ut Theocr. Idyll. v. 96.

Κἠγὼ μὲν δοτὸν τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν.

Et vs. 133.

Ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.

Longus in pastor. l. I. περὶ φάττης βουκολικῆς fabulam tradit, quam vult Ursinus de turture memoriæ proditam. *Emmeness.*

59 *Gemere*] Canere : proprie tamen dicitur de turture. *Servius.*

Gemere] Theocr. Idyll. v. 47. καὶ ἐπὶ δένδρῳ Ὄρνιχες λαλαγεῦντι. *Ursinus.*

Gemere] Plin. X. 35. palumbibus gemitum adscribit. Martial. et *palumbibus* et *turturibus* l. III. epigr. 58.

Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.

auctor Philomelæ :

Et castus turtur, atque columba gemunt.

Græcis στένειν. Theocr. VII. 141.

Ἄειδον κόρυδοι καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών.

Oppian. Κυνηγέτ. A. 352.

Μιγνύμεναι στομάτεσσι βαρυφθόγγοις ἀλόχοιο.

Quid *gemere* sit, exponit Rob. Tit. Contr. VII. 23. de minuritionibus, et avicularum querelis Ge. IV. 511. *Emmeness.*

Turtur] Et masculino et fœminino genere invenitur : ut hic, *Aëria turtur cessabit.* Et Plaut. in Mostel. Tu

tibi istos habeas turtures. Servius.

Turtur] De voce appellatur. Locis gaudet editioribus, silvestribus, solis, et desertis. Contra hospitia humana diligit columba, ut Isiod. XII. 3. Τρυγόνων λαλίστεροι dicuntur homines loquaces et impense garruli. Ἐπειδὴ αἱ τρυγόνες οὐ μόνον τῷ στόματι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὀπισθίοις λαλοῦσι. et Suidas Cent. 13. proverb. 95. Inde Theocr. perstringens mulieres propter futilem linguam alludit Idyll. xv. 87.

Παύσασθ', ὦ δόστανοι, ἀνάνυτα κωτίλλοισαι,
Τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατυάσδοισαι ἅπαντα.

Emmeness.

Ab ulmo] Ulmus, lignum est sub quo vinea fit. *Servius.*

Ab ulmo] Bene *aëria ulmo.* Noster Ecl. x. 67. *alta liber aret in ulmo.* Varr. de R. R. v. 6. *ulmus Atinia longe procerior, quam nostras.* Non dissimilis est Horatii locus Od. I. 2. 9.

Piscium et summa genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis.

Emmeness.

60 *In æthere cervi*] Id est, avium more ante cervi volabunt, et pisces sine aqua vivent: hoc est, ante rerum natura mutabitur, quam nos Cæsarem possimus oblivisci. *Servius.*

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi, &c.] Ea citius eventura, quæ fieri nequeunt, expromit, quam Cæsaris in se merita oblivioni tradat. Tam Græcas, quam Latinas, quibus ἀδύνατα enarrantur, congessit et coacervavit sententias Ursinus ad hunc locum, quibus adde illud Ovidianum El. I. 7.

In caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina: conversis solque recurret equis.
Terra feret stellas: cœlum findetur aratro:
Unda dabit flammas: et dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt:
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam,
Et nihil, &c.

Sic Hor. Epod. XVI. 27. *Nec conversa, &c.* Emmeness.

Æthere] *Æquore* legendum, ut sit oppositum mari. *Cerda.*

Leves cervi] Allusit fortasse πρὸς τὸ ἔτυμον: ἐλαφοὺς enim, quasi ἐλαφροὺς, dictos existimant. *Ursinus.*

Leves cervi] Κακῇ αἴσῃ cervus crurum nimiam tenuitatem vituperabat, cum postea venantum vocibus subito conterritus *cursu levi canes elusit*, ut Phædr. I. 13. Inter ἀελλόποδας numerat ἐλάφους Oppian. I. 412. Plura ad Æn. v. 253. *Emmeness.*

61 *Freta*] Maria, a fervore dicta. *Servius.*

Destituent] Id est, derelinquent. *Id.*

62 *Pererratis*] Lustratis, vel errore confusis. *Idem.*

Pererratis] Pererratis, penitus errore confusis ambarum gentium finibus, ut Tigris non jam in Parthia, sed in Germania: Araris contra non in Germania, sed in Parthia fluat, per antimetabolen. Alioqui, ut Parthus in Germaniam deveniat, et ibi ex Arari bibat, aut vicissim Germanus in Persidem profectus bibat de Tigride, impossibile non est. Sed Virgilius metonymikῶς Parthum pro Parthia, Germanum pro Germania posuit. *Nannius.*

Amborum] Id est, Germanorum et Parthorum. *Servius.*

Amborum] Apparet, *Amborum* hic esse, quod Græci ἀλλήλων dicunt: ut pererret Germanus Parthorum; Parthus Germanorum fines. Turn. I. 26. *Taubmann.*

Finibus] Non raro flumina regionum, ut etiam hoc in loco, terminos constituunt, et discriminant. Livius I. 3. *Pax ita convenerat, ut Etruscis Latinisque fluvius Albula, quem*

nunc Tiberim vocant, finis esset. Ἄραρ ὁρίζων Σηκοανούς τε καὶ Αἰδουΐους καὶ Λιγκασίους. Strabo l. IV. et paulo post ὁρίζονται Γαρουνᾷ ποταμῷ· et sic sexcenta. *Emmeness.*

Exul] Id est Parthus et Germanus, Cæsar scilicet, quo duce, Germanis et Parthis victis, milites Ararim Germaniæ flumen biberunt. *Servius.*

Exul] Pimpont. *exul* ab ἐξουλέω, *ejicio*, derivat: unde δίκη ἐξούλης, apud JCtos. *Taubmann.*

Exul] Ut ἐξούλη, ἐξουλέω, sic *sudarium* σουδάριον, *naufragium* ναυάγιον, *Lugdunum* Λούγδουνον, *exuvium* ἐξουβία, quam vocem reponit J. Gothofredus in *priore* D. Pauli ad *Corinthios* cap. XI. com. 10. pro ἐξουσία ad legem ἀξίωσις. Usque adeo nominis Romani erant observantes subacti Græculi, ut ab Attica dictione, et nativis loquendi veneribus magis ac magis deflectentes, Latina passim linguæ suæ inferserint. Apud D. Marcum c. VI. comm. 27. σπεκουλάτωρα· et quam plurima alia in lib. Basilicon, et Paraphraste Theophilo. *Emmeness.*

63 *Ararim*] Arar fluvius Galliæ, fluens in flumen Rhodanum. *Servius.*

Ararim] Arar, vel Araris, Gallis *la Saone*, primum dictus Brigulus, ut Plut. in libello περὶ ποταμῶν. Ex monte Vosego (male *Vogeso*, ut Cluver. Germ. Ant. II. 35.) vel. ex Alpibus, ut Strabo l. IV. Dividit Æduos a Sequanis, inter quos de vectigalibus ejus amnis contenditur. *Flumen est Arar, quod per fines Æduorum et Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate; ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit.* Cæsar de B. G. l. I. Plin. III. 4. *segnem Ararim* appellat. Inde Claudian. de Cons. Theod. 53.

Lentus Arar Rhodanusque celer, &c.

Et l. II. in Ruf. vs. 60.

Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.

Si in amnibus Germaniæ numerari debeat, in prima est Germania, et extrema Gallia, quæ Celtica est, ut Amm. Marcell. edit. Valles. l. XV. p. 55. Poëtas tamen sæpe in Geographicis hallucinatos esse, si docere velim, in proclivi est. Saltem rusticis hic apud nostrum confabulantibus venia danda videtur. *Emmeness.*

Tigris] Armeniæ fluvius influens Persicum sinum. Itaque per Tigrim et Ararim vult diversa loca inter se significare. Dicit enim, prius Parthum ex Arare bibiturum, et Germanum ex Tigri, quam sibi oblivionem futuram non amissi agri, Cæsaris beneficio. *Servius.*

Tigrim] Tigris et Euphrates ex Armenia descendunt, a quibus comprehenditur magna et ampla regio, quæ inde Mesopotamia dicitur, quam mediam ab utroque latere concludunt. Strabo l. II. *Iidem per Babyloniorum fines in Rubrum mare prorumpunt.* Curtius I. 5. 13. *A celeritate qua defluit Tigri nomen est inditum: quia Persica lingua Tigrim sagittam adpellant.* Curtius IV. 9. 16. Sic Lucanus III. 256.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates.

Aliam rationem nominis et de Tigride fabulam tradit Plutarchus in l. περὶ ποταμῶν. *Emmeness.*

Aut Ararim, &c.] Videtur Seneca æmulatus Virgilium in Medea:

Nil qua fuerat sede reliquit,
Pervius orbis. Indus gelidum
Potat Araxin:
Albin Persæ Rhenumque bibunt.

Est etiam aliquis sapor ad Virgilium in his Lucani l. VII.

—— *Tyris qui Gadibus hospes*
Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxin.

Et in his l. X.

—— *Ignotos miscuit amnes*
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangem.

Et in hoc Claudiani de bell. Getico:

Irriget Ægyptum Tanais, Mœotida Nilus.

Cerda.

Aut Ararim, &c.] Lucan. VIII. 213.

—— *Populosque bibentes*
Euphraten.

Emmeness.

64 *Ilius*] Id est, Augusti Cæsaris. *Labatur*] Respuatur, vel oblivioni tradatur. *Servius.*

65 *Sitientes ibimus Afros*] Tropus Synecdoche: ab Afris enim, Libyam, quæ aqua indiget, intelligi vult. Est enim calidissima regio et pene inhabitabilis. *Servius.*

Sitientis ibimus Afros] Eadem structura, quæ in Æn. I. 2.

Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Littora.

Ubi Servius: *Italiam* pro *ad Italiam.* Flor. III. 10. 16. *Britanniam transit.* Plura Berneggerus ad Just. XIV. 5. 9. et Sanct. p. 361. Non esse hanc locutionem poëticam docet Sanct. I. II. p. 79. *Emmeness.*

Sitientis Afros] Διψηροὺς Ursinus ex Herodoto nominat, propter penuriam aquæ pluviæ, rariores fontes et rivos. Hinc Mela I. 4. *Pleraque Africæ ob sitim cæli terrarumque deserta sunt.* Salust. de B. J. *cælo terraque penuria aquarum.* Sic Curt. IV. 7. et Servius ad Æn. I. 26. hanc Libyæ tradit originem ex Varr. *Libya*, quasi λιτνία *egens pluviæ.* quæ et Λιβύη ἄνυδρος dicitur. et *sicca* Nemes. Cyneg. vs. 128. describit Ov. Met. XV. 270. Africam:

Eque paludosa siccis humus aret arenis:
Quæque sitim tulerant, &c.

Oppian. IV. 110.

Ὡς δὲ μὲν ἀμφὶ χυτὴν Λιβύων πολυδίψιον αἶαν.

et vs. 320.

—— Λιβύης ἀνὰ διψάδα γαῖαν.

et seq.

——Ἀνυδρότατον κατὰ χῶρον.

Inde in Africa tot prodigia, ut ex tri-

to proverbio, cujus meminit Arist. de hist. anim. VIII. 28. Ἀεὶ φέρει τι Λιβύη καινόν. de quo Erasmus. *Emmenessius.*

66 *Scythiam*] Regio septentrionalis est frigidissima. *Servius.*

Et rapidum cretæ veniemus Oaxem] Hoc est lutulentum: quod rapiat cretam. Creta terra alba dicitur. Nam Oaxis fluvius est Mesopotamiæ: qui velocitate sua rapiens albam cretam, turbulentus efficitur. Vel Oaxis fluvius Scythiæ in Creta insula non est: sed aqua, cretei coloris est. Oaxem Philisthenes ait, Apollinis et Anthiemæ filium: hunc Oaxem in Creta oppidum condidisse, quod suo nomine nominavit, ut Varro ait, *Quos magno Anchiale partus adducta dolore, Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis Scindere dicta.* Idem.

Et rapidum, &c.] Salmasius in Plin. exercit. p. 984. docet flumen esse Scythiæ orientalis: *Cretæ* non significare insulam, sed album limum, quo turbidus fluit *Oaxus* vel *Oxus.* cujus meminit Mela III. 5. *Jaxartes et Oxos per deserta Scythiæ ex Sogdianorum regionibus in Scythicum exeunt.* Politianus Misc. c. 37. et Brodæus I. 39. negant Scythiæ amnem esse, nec Mesopotamiæ, ut videtur Servio, sed Cretæ, quæ insula hodie *Candia* et jugum Turcarum patitur. *Emmeness.*

67 *Penitus*] Id est, omnino. *Servius.*

Toto divisos orbe] Non revera, sed opinione. Et *orbis* hic non universus intelligitur, sed Romani imperii terminus. Britannia autem insula, olim etiam *alter orbis* dicta est. V. et N. Æn. VIII. *Extremique hominum Morini.* Taubmann.

Divisos] Quia olim juncta fuit orbi terrarum Britannia. Est enim insula sita in Oceano septentrionali: et a poëtis alter orbis terrarum dicitur. *Servius.*

Britannos] In libris antiquis, et re-

cens editis ANTIQUITATIS NOTITIIS Fabricius legi notat, *Britanus*: ut *Germanus, Bragmanus*, unico *n*. *Taubmannus.*

Et penitus toto, &c.] Britanni ignoti fuere Romanis. Suet. in Cæs. c. 25. ideo Hor. Od. I. 35. *Serves iturum Cæsarem in ultimos Orbis Britannos.* De iis triumphavit Claudius. Suet. in ejus vita c. 17. Altero quasi orbe claudebantur. Inde Florus III. 10. 16. *Respexit Oceanum: et quasi hic Romanus orbis non sufficeret, alterum cogitavit.* Claudian. in Paneg. Theod.

—— *Germanaque Tethys*
Paruit, et nostro diducta Britannia mundo.

Eo referuntur Victoria orbem calcans scilicet Britannicum, Arcusque ille magnificus cum inscriptione DE BRITANNIS. vide nummos. Scribendum per I, in prima, unico T, duobus NN,

libri editi plerique omnes, et lapides docent. Accuratam disputationem de scriptione hujus vocabuli invenias apud Dausq. Orthogr. vol. II. p. 62. *Emmeness.*

68 *En*] Ecce. *Unquam*] Aliquando. *En unquam*, Virgilius alio loco dividit per interpositionem: ut infra in ipso libro, *En erit unquam ille dies?* quod significat unquamne. Id est, aliquando? *Servius.*

En, unquam] Valet, *unquamne*. Serv. et Turneb. I. 26. et III. 5. *Taubmann.*

69 *Cespite*] Id est, terra cum propria herba evulsa. *Servius.*

Culmen] Eo quod culmo, id est, stipula tegitur. Hic prisca rusticanorum ætas habitabat: ideo culmina dicta sunt tecta: quia veteres ædificia de culmo contegebant, id est, paleis e messibus. *Idem.*

Tuguri] A tegendo dictum. *Idem.*

Pauperis et tuguri] Sic Horat. Sat. II. 7.

——*mus paupere fertur*
Accepisse cavo.

Emmeness.

70 *Post aliquot aristas*] Post multa tempora, et quasi rusticus per aristas numerat annos. *Servius.*

Mea regna] Id est, ubi dominatus sum. Vel senem se dicit agros suos recepturum. *Idem.*

Mea regna] Quod mihi est instar regni. Pro affectu enim possidentis intelligendum est. Huc alludit Quintilianus in Declamat. Pauperis: *Hoc mihi parvulum terræ, et humilis tugurii rusticum culmen æquitas animi REGNA fecerat; satisque divitiarum erat, Nihil amplius velle.* Ita Ge. III. *Taurus regnis excessit avitis.* item, *desertaque regna Pastorum.* Ita alias etiam homines lepide jocantes (ut notat Turneb. I. 26.) suas possessiones REGNA vocare solent. Cicero De Oratore, I. statim in initio; *Nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem.* Taubmann.

Aristas] Gradatim dictum, ex tropo metalepsi, ut per aristas, messes: per messes, æstates: per æstates, annos numeret. *Servius.*

Aristas] Rustica annorum notatio, non ex Olympiadibus, ut apud Græcos; neque ex Consulibus, ut apud Romanos: sed ex temporum annuis

qualitatibus, sicuti Claudianus inquit:

Frugibus alternis, non consule computat annum.

Joan. Lud. Vives.

71 *Impius miles*] Proprium militis epitheton. Iratus Melibœus impium militem dicit, seu quod agrum suum teneat: seu quod civile gesserit bellum, qui pro Antonio arma portavit, qui bella civilia gessit. Hic læsit Virgilius Octavianum Augustum, tamen secutus est veritatem. Dum miles portando arma, vicit alios, impius nocendo dictus est. *Servius.*

Impius miles] Hoc titulo dignus, quia, ut Lucan. x. 407.

Nulla salus pietasque viris qui castra sequuntur.

Emmeness.

Novalia] Id est, nova rura, quæ per singulos annos novantur per semina. Vel etiam novalia dicuntur unde sylva tollitur. *Servius.*

Novalia] Novalis Latinis dicta est terra primum proscissa, hoc est, prima aratione mota. Varro I. 29. dicendam putat a prima aratione, donec movetur rursus secunda. Certe toties novatur terra quoties aratur, quam Græci νεὸν, vel νειὸν vocant per omne id tempus, quo vertitur et aratur, donec conseratur. Hesiod. ἔργ. 463.

Νειὸν δὲ σπείρειν ἔτι κουφίζουσαν ἄρουραν·

Νειὸς, &c.

Non dubium autem quin novalem terram, et novale eodem sensu Latini frequentaverint, quæ Græci νεὸν et νειὸν sive νεωμένην γῆν. Perite Noster hic distinxit. Ex citato Varr. loco *seges* proprie id est *quod aratum satum est*, ἡ σπορίμη γῆ. *Novale, quod aratione novatum est, necdum satum est*, ἡ νεαλὴς. Servius exponit *Novalia, nova rura, quæ per singulos annos novantur per semina.* immo *arationibus.* Quamvis ne hoc quidem verum sit. Nec enim quotannis arantur novalia, ut nec quotannis seruntur; alterius quippe cessant. Hæc Salmasius p. 730. 731. quem uberius disputantem adeas operæ est. *Novale est*, ut Plin. XVIII. 19. *quod alternis annis seritur.* Dicitur novalis, nempe terra, novale, nempe solum, ut Sanct. l. IV. p. 341. et 346. et Servius ad Ge. I. 71.

Alternis idem tonsas cessare novales.

Ovid. de Ponto I. 13.

Quæ nunquam vacuo solita est cessare novali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.

Cum novali solo cessandi tempus datur, *fessum* dicitur, et stercoratione refoveatur necessum est, ut Columell. de cultu Hort. l. X.

Pabula nec pigeat fesso præbere novali,
Immundis quæcunque vomit latrina cloacis.

Emmeness.

Habebit] In spe ponitur. *Servius.*

72 *Barbarus*] Id est, sævus, immitis, peregrinus. Exceptis Græcis, teste Festo et Strabone l. I. omnes nationes appellabantur barbaræ. Sic Nævius poëta Latinus *barbarus* Plaut. in Mil. glor. II. 2. 56. et in prol. Asin. vs. 11. *barbare*, i. e. Latine. Quia difficulter, duriter, et aspere, pronunciabant, ut Strabo lib. XIV. Post Romani, rerum domini, barbarorum numero se exemerunt, ut hoc abunde in Romanis scriptoribus probari potest. *Emmeness.*

En, quo discordia] Ad quam miseriam? *Servius.*

En, quo discordia civis] Pacis tempore et sementem et messem facit tutissimam et felicissimam agricola. Virgil. Ge. II. 458.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas; quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Bellum contra omnibus exitiosum, ut Lucan. ex Homeri Il.

Ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν, ἐκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο.
Emmeness.

Civis] Per *i*, more Velliano, ut etiam in nummis pluribus est, meliores habent codices. *Pierius.* Vide quæ dicta sunt ad ver. 3. et Dausq. Orthograph. p. 109. et 110. *Emmeness.*

73 *Produxit*] In perveteri exposito Vaticano et in Longobardico *Perduxit* omnino legitur, ut vulgata habent exemplaria. Sed in Romano, in Mediceo, et quibusdam aliis *Produxit* habetur, id quod alii viderint. *Pierius.*

En, quis consevimus agros] Veteres quidem plerique omnes codices ita habent, ut vulgo legitur, Romano exceptò, in quo scriptum est: *His nos consevimus agris.* Quasi dicere velit, quod nescio qua natale solum dulcedine mentes afficiat. Sed enim longe acerbior querela mihi videtur magisque movere pathos, quum lamentatur hostes, et eos quidem impios et barbaros, bona quæ ipsi sibi comparaverint, habituros, labores suos perditos, messemque ipsam tam cultam, tam lætam, de manibus suis violenter abreptam. Quare Melibœus, qui dixerat: *Impius hæc:* ad infelicitatem suam miserabilius deplorandam, remque ipsam atrocius exacerbandam, causam objectat civium discordiam, quasi dicere velit ipsosmet sibi pedicas complicasse. Malum enim quod sibi quis accersit, adscribitur imprudentiæ: quod vero aliunde accidit, vel fortunæ vel fatorum inclementiæ: ubi consolationis locus a necessitate, cui neque Deos repugnare posse poëtæ veteres tradidere. *Idem.*

74 *Insere*] Sibimet ipsi imperat: et apostrophen facit ad seipsum, dolendo vel invidendo non habere se id quod Tityrus. *Servius.*

Insere nunc] Hæc particula apta est conficiendis ironiis. Ovid.

I nunc et cupidi nomen amantis habe.
Martial.

I nunc et ferrum, turba molesta, nega.
Juven. Sat. XII.

I nunc et ventis vitam committe.
Et sexcenta alia. *Cerda.*

Insere nunc] Ἀποστροφὴν facit ad seipsum. Vide et Scalig. Poët. IV. 1. et c. 12. *Taubm.*

Insere] Sic Ecl. IX. 50.

Insere, Daphni, pyros,

Horat. Epod. II. 13.

Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit.

De inserendis pyris hæc Columell. l. de Arb. c. 24. *Quæ ut sint feraces, cum jam adoleverint, alte ablaqueato, et juxta ipsam radicem truncum findito, et in fissuram cuneum pineum tedæ adjicito, et ibi relinquito: deinde, obruta laqueatione, cinerem supra terram spargito.* de insitione arborum c. 26. et Palladius l. 14. *Emmeness.*

Pone ordine vites] Quia quadrato ordine vites ponuntur. *Servius.*

Pone ordine vites] Propert. *Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles.* Vide Ge. II. *Indulge ordinibus, &c.* Vitem autem ordine positam στοιχάδα, temere et confuse ξυστάδα nominant. *Taubmann.*

Pone] Hortense verbum. Quæcunque enim a radicibus et plantis non a seminibus ortum ducunt, et succrescunt, *poni* dicuntur, ut passim Col. X. de cult. Hort. et XI. 2. *Arundineta ponere:* et nihil eo frequentius in l. de arboribus. Noster Ecl. II. 54.

Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte;
Sic positæ quoniam suavis miscetis odores.

Et Ge. I. 284.

Septima post decimam felix, et ponere vitis.

Et Ge. II. 278.

Collibus, an plano melius sit ponere vitis.

Et vs. 277.

Indulge ordinibus: nec secius omnia in unguem [*dret.*
Arboribus positis secto via limite qua-
Emmeness.

75 *Quondam fœlix pecus*] Quando manebat mihi hereditas: vel quamdiu ego fœlix fui aliquando in finibus nostris. hic videt se pastor exclusum esse: et videt se non habere illud, quo Tityrus utitur. *Servius.*

Ite meæ, quondam felix pecus] Romanus codex notæ majoris, Oblongus, Longobardicus, et aliquot alii manuscripti, versum, hoc dictionum ordine legunt, *Ite meæ, felix quondam pecus.* quod nescio quid suavius habet. *Pierius.*

76 *Projectus*] Id est, extensus, explicatis omnibus corporis artubus. Cic. de Orat. III. 59. *Brachium procerius projectum.* Vide Non. Marc. in voce *Projectus.* Emmeness.

In antro] Nannius vult speluncam pro domo pastori fuisse, ductus argumento etymi τῆς μάνδρας, quæ nunc stabulum, nunc antrum significat, unde et ἀρχιμανδρῖται pastores. Item illius in Cyclop. Theocr.

Ἅδιον ἐν τὤντρῳ παρ' ἐμῖν τὴν νύκτα διαξεῖς·
Ἐντὶ δάφναι τηνεὶ, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι.

Sed nondum adducor ut Nannio assentiar; nam et μάνδρα pro cubili, et tugurio accipitur. Et Polyphemus, qui antro contentus erat, ferinam vitam vixit, et ut cæteri Cyclopes ἄπολιν· et quia, teste Homero, et Arist. in Ethic. lib. nulla juris publici religione teneretur, ut Κυκλώπειος βίος immanis et ἄνομος dictaretur: ut mirum non sit, si se, ut feræ in lustra, illi in antra receptarent. Sed et pastores Romanos tuguria pro domiciliis habuisse liquet ex illo: *O tantum libeat mecum tibi sordida rura, Atque humiles habitare casas.* Quin et Maro Scythas pastores narrat, ut rem novam et inusitatam suo seculo, in defossis specubus secura sub alta otia agere terra. Penus autem, quam pro confirmatione suæ sententiæ memorat Nannius, non est Melibœi, quem antro pro domo usum dicit, sed Tityri amicum ad divertendum invitantis et agrestem gazam offerentis. *Germanus.*

77 *Dumosa*] Id est, rigida, spinosa. *Servius.*

Dumosa de rupe &c.] Hic etiam numerus mutatus in codicibus aliquot manuscriptis, in quibus legitur, *Dumosa pendere procul de rupe videbo.* et ita legitur apud Arusianum in elocutionum libello. In Mediceo codice uno mutato vocabulo, *Frondosa pendere procul de rupe*, scriptum est. Quod quidem ego sumptum crediderim ex Pomp. Festi paraphrasi, ita *dumosa* interpretantis: quum *spinosa* Servius velit. *Pierius.*

Dumosa] Sic Ge. II. 480.

—— *dumosis calculus arvis.*

Colum. de cult. hort.

At si dumosis positi sunt collibus horti.

Id est, vepribus et spinis plenis. *Emm.*

Pendere] Quia cum pascuntur, pendent. *Servius.*

Pendere de rupe] Martial. et Ovid. hæserunt suo quisque flexu. Ille XIII. 99.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram speres, decipit illa canes.

Hic de Ponto, I. 9.

Ipse ego pendentes, liceat modo, rupe capellas,
Ipse velim baculo pascere nixus oves.

Virgilius quoque ipse in Culice:

Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentæ, vel quæ nova nascitur alnus.

Cerda.

Pendere de rupe] De capris pascendis in montosis et præruptis locis Varro de r. r. II. 3. *Potius sylvestribus saltibus delectantur, quam pratis. Studiose enim de agrestibus fruticibus pascuntur, atque in locis cultis virgulta carpunt, itaque a carpendo capræ nominatæ.* Colum. VII. c. 6. *Caprinum pecus dumeta potius quam campestrem situm desiderat: asperisque etiam locis ac sylvestribus optime pasci-*

tur. Nam nec rubos aversatur, nec vepribus offenditur, et arbusculis frutetisque maxime gaudet. Emmeness.

78 *Carmina*] Id est, quia non libet rustico canere carenti possessione. *Servius.*

79 *Cytisum*] Genus fruticis, vel herbæ, quæ nascitur inter campos et sylvas in Cythisa civitate. *Idem.*

Florentem cytisum] V. N. Ge. II. 431. Cum autem Aristot. l. III. De Animal. *florentem cytisum* inflammare dicat, sunt qui *florentem* hic intelligant virentem. Vel, quia vis naturæ ea est in capellis, ut illis flos non noceat: vel certe, quod in Italia sit minus ille noxius. *Taubmann.*

Cytisum] De utilitate cytisi sic Colum. XV. 11. *Gallinis, apibus, capris, bubus quoque et omni generi pecudum utilissimus est, quod ex eo cito pinguescit, et lactis plurimum præbet ovibus.* Idem lib. de arb. c. 28. Theocr. Idyll. X. 30.

Ἁ αἰξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.

Noster Ecl. II. 64.

Florentem cytisum sequitur lasciva capella.

Et Ge. III. 394.

At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes [*herbas.*

Ipse manu, salsasque ferat præsepibus Emmeness.

Amaras] Ad nostrum saporem: nam capris dulces sunt. *Servius.*

80 *Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem*] In Romano codice, et in Mediceo, *poteras*, exacta specie scriptum est, quod valde placet. In Longobardico, in Mediceo, et plerisque aliis, *Hac mecum poteris requiescere nocte.* Ablativo casu habetur, ut pleraque etiam vulgaria habent exemplaria. Sed *hanc noctem* agnoscit Arusianus Messus in eodem elocutionum libello, qui falso sub alterius nomine circumfertur, cujus legitimam inscriptionem inveni in Jani Parrhasii bibliotheca. Arusianus itaque probaturus elocutionis formam, quod *requiesco illud tempus* dicimus eleganter, carmen hoc ex Virgilio citat, ubi *Hanc mecum poteris requiescere noctem* habeatur, accusativo casu: alia vero significatione ab eodem dictum esse alibi, *Et mutata suos requierunt flumina cursus.* Pierius.

81 *Mitia*] Matura: quæ non remordent cum mordentur. *Servius.*

82 *Castaneæ*] Id est, mala antiquiora. *Idem.*

Castaneæ] *Castaneas molles* exponit. Servius *maturas:* magis placet, quod Nonius Marcellus ait, *molles*, novas, vel recentiores. *Pierius.*

Molles] Id est, maturæ. *Servius.*

Et pressi] Emulcti, et in caseum coacti. *Idem.*

Pressi lactis] In caseum coacti. Ita Ovid. Met. VIII. 10. *et lactis massa coacti.* Alii etiam, *lac pressum*, lac recens emulctum exponunt: alii illud Homeri Odyss. I. ὑπερφὲς γάλα sapere putant. Turnebus tamen, V. 12. caseum exponit: qui et coagulo cogitur, et premitur ipsa manu etiam, dum figuratur. Sueton. in Octav. c. 76. *et caseum bubulum manu pressum.* Columella VII. 8. *Illa vero notissima est ratio casei faciendi, quem dicimus manu pressum.* Premitur autem, ne sit fistulosus. *Taubmann.*

83 *Villarum*] *Villicus*, inquit Varro de R. rust. I. 21. *a villa: villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, et evehuntur, cum venerunt. A quo rustici etiam nunc quoque viam, veham, appellant, propter vecturas, et vellam, non villam, quo vehunt, et unde vehunt: item dicuntur, qui vecturis vivunt, vellaturam facere. A vallo*, id est, *aggere terræ* derivatum vult vetus Grammat. apud Rigaltium p. 299. Villa ædificium est extra urbem exstructum. Talis debet esse, ut Cato de re rust. c. 3. *ne villa fundum quærat, neve fundus villam.* Triplex villa. Urbana, Rustica, Fructuaria. de his Columell. I. 6. *Emmeness.*

Fumant] Id est, ad vesperum cœna præparanda. *Servius.*

84 *Majoresque cadunt*] Duplicantur: quia dum duplicantur umbræ, nox imminet. *Idem.*

Et jam, &c. Majoresque, &c.] Descriptio est occidentis solis, quando umbræ majores fiunt et longius projiciuntur: inde noster Ecl. II. 67.

Et sol crescentis decedens duplicat umbras.

Plura ad Ecl. II. 66. *Emmenes.*

ECLOGA II.

1 *Formosum pastor Corydon*] Corydonis in persona, Virgilius intelligitur: Cæsar Alexis in persona inducitur. *Servius.*

Formosum] In Rom. Cod. *formonsum* est, litera *n* inter *o* et *s* inserta. Fuisse porro veterum morem eam literam vocalibus natura longis adscribere, plerisque veterum inscriptionibus apparet. Disputationem concertationum plenam, quam ut nimis prolixam prætermitto, tradit *Pierius.*

Corydon] Fictum nomen est ab ave: quæ Corydalus dicitur. *Servius.*

Corydon] Sub *Corydonis* persona (sententia quidem Donati) Virgilius latet: sub *Alexis*, puer sive servus Pollionis, Alexander, quem Virgilius deperibat; non, ut alii censent, Cæsar. Videatur et Apuleius, Apolog. I. *Alexin* autem nominavit de nomine illius pueri, quem Epigrammate Plato laudarat: auctore etiam Turnebo XVII. 15. Propert. lib. II. el. ult.

Felix, intactum Corydon qui tentet Alexin
Agricolæ domini carpere delitias.

Græcis κόρυδος, κορυδαλὶς, *galeritus* et *galerita* est: et hujus allusione nomen Corydoni datum Servius et Pimpontius censent. *Taubmann.*

Ardebat Alexin] Impatienter diligebat. *Servius.*

Ardebat Alexim] In verbis falso neutris Sanctius p. 147. et 157. dilucide hanc structuram expedit, et subaudiri præpositionem docet. Hor. Od. IV. 9. 18. *Non sola comptos arsit adulteri Crines.* Vide Lambinum ad Od. III. 9. Mosch. Idyll. VI. Σάτυρος φλέγετ' Ἀχῶ. Sexto utitur casu Ovid. lib. VII. Metamorph. vs. 83. *specie præsentis inarsit.* Emmen.

Alexin] Quem dicunt Alexandrum. Fuit servus Asinii Pollionis: quem Virgilius rogatus ad prandium, cum vidisset in ministerio omnium pulcherrimum, dilexit: eumque dono accepit. Cæsarem quidam acceperunt formosum in operibus et gloria. Alii puerum Cæsaris, quem si quis laudasset, gratam rem Cæsari fecisset. Nam Virgilius dicitur in pueros habuisse amorem: nec enim turpiter eum diligebat. Alii Corydonem Asinii Pollionis puerum adamatum a Virgilio ferunt: eumque a domino ipsi datum Corydonem a Virgilio ficto nomine nuncupari, ex eo genere avis, quæ Corydalus dicitur, dulce canens. Alexin vero puerum, quasi sine responsione ac superbum: hunc autem dilectum fuisse Pollionis; et Virgilium gratum se futurum existimasse, si eum laudaret, cujus forma Pollio delectabatur: qui eo tempore Transpadanam Italiæ partem tenebat, et agris præerat dividendis. *Servius.*

2 *Delicias domini*] Hoc est, qui suo domino Cæsari, vel Pollioni, in deliciis erat. *Idem.*

Delicias domini] Usu inolevit ut *delitias* per *t* secunda a fine syllaba scribatur fere passim. In his tamen codicibus antiquis *delicias* per *c* scriptum plurimum observavi: et ita recte scribi ostendit, quod est eadem ex originatione, *delicatus*. Pierius.

Delicias] Per *c* scribit Dausq. in Orthogr. p. 107. *delicium* et in pl. *delicia* et *deliciæ:* pro quovis oblectamento, ut Catull. Ep. II. *Passer deliciæ meæ puellæ*. Sæpe significat pueros, qui in deliciis herorum sunt, Græce παίγνια. Plutarch. in Antonio παιδάρια παιγνίων, ἃ Ῥωμαῖοι Δελίκια καλοῦσι· etiam παιδισκὰ, de quibus Suidas. Cicer. pro Cœlio c. 19. *amores autem, et hæ deliciæ quæ vocantur, nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt*. Petron. *Chiramaxio in quo deliciæ ejus ferebantur, puer vetulus*, &c. Sen. Ep. XII. *Ego sum Philesiti villici filius, deliciolum tuum*. Plaut. in Most. IV. 2. 32. *puer es nimium delicatus*, id est, catamitus. Delicati etiam pueri dicuntur, qui et facie et garrulitate amabiles sunt: ut Casaub. ad Suet. in Ang. c. 83. Ad locum Virgil. alludit Prop. l. II. el. ult.

Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin,
Agricolæ domini carpere delicias.

Emmeness.

Nec quid speraret] Id est, nec spem potiundi habebat. *Servius*.

3 *Tantum*] Tantummodo. *Idem*.

4 *Assidue*] Id est, sæpius. *Idem*.

Incondita] Incomposita: subito dicta, agrestia, vel insanæ mentis dicta verba. Vel incondita, id est, inconscripta: ut Sallustius in Jugurthino: *At illi quibus vires aderant ruere cuncti ad portas, incondita tenere*. Idem.

Incondita] Ἀνάρμοστα, ἀσύνταχτα. Nulla arte aut studio facta. Plin. VIII. 2. de elephantis: *inconditos motus edidere:* de iisdem c. 5. *blanditiæ inconditæ:* et lib. IX. de vitulis marinis: *populum salutant fremitu inconcito*. Ammian. l. XXXI. *Barbari clamoribus stridebant inconditis*. Liv. l. VII. *inconditis versibus*. Cerda.

Incondite] Turn. XII. 7. sic declarandum existimo, ut non condita versu ea profudisse Corydonem dicat, quæ postea in versum incluserit. Etsi enim Corydon versus jactat suos, tamen per illam amoris insaniam et querelam ex tempore carmina non effundebat. Itaque Maro quæ ipse condiderit versibus postea, tum eum sine numero querentem declamasse. *Turneb*.

5 *Montibus*] Qui amorem ei præstabant. *Servius*.

Montibus et silvis] Adagii formam habet, *queri ad montes, ad silvas, ad rupes*, sive, *inclamare montes*, aut quid simile ad explicandum studium quoddam inane, et nihil proficiens. Hoc multa aperiunt. Hesiod. in Theogon. Ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν, ἢ περὶ πέτρην; *sed quo mihi hæc ad quercum, aut ad petram?* A Theocrito in Epitaphio Adonidis, Venus inducitur clamans ἀνὰ δρυμούς, *per silvas*, cum videlicet jam nulla spes. Huc pertinet locus Eunapii Sardiani in vita Ædesii. Cum enim hic pararet amicos fugere, urbem relinquere, et pastoris vitam agere inter rupes et saxa, obstitere amici, Διασπάσασθαι ἀπειλοῦντες, εἰ τοσαύτην καὶ τηλικαύτην σοφίαν ἐπὶ τὰ ὄρη, καὶ τοὺς κρημνοὺς, καὶ τὰ δένδρα τρέποι. *Minabantur se illum laniaturos, si tantam tamque reconditam eruditionem montibus, rupibus, arbustisque transcriberet*. Quia videlicet in consortio rupium et arborum nulla utilitas, et inane studium. Hanc rem salse, ut solet, attigit Plaut. in Mercat.

Non ego idem facio, ut alios in Comœdiis
Vidi facere amatores, qui aut nocti, aut die,
Aut Soli, aut Lunæ miserias narrant suas.

Et in Asinar. lepide: *loquens lacerat diem.* Stich. *ego hunc lacero diem.* Ab hoc non abit illud Ennii in Medea, ore nutricis:

Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Cœlo atque terræ Medeæ miserias.

A multis abstineo. Itaque, *quereris ad lapides, montes, arbores,* eandem vim proverbialiter habebit, atque illa, *Asinum tondes, Æthiopem lavas, mortuum flagellas,* et plura alia. *Cerda.*

Jactabat] Id est, fundebat incassum. *Servius.*

Jactabat] Iterum atque iterum repetebat. Cæs. de bell. Gall. I. 18. *sed, quod pluribus præsentibus, eas res jactari nolebat, celeriter concilium dimittit.* Virg. Æn. II. 588.

Talia jactabam, et furiata mente ferebar.

Phædr. I. 23.

Et meritum inane jactant.

Emmeness.

6 *Crudelis*] Inexorabilis: qui non flecteris meo amore: nec te potiundum præbes. Vel allegoricôs, Crudelis Cæsar, qui non flecteris meis scriptis, et non das ereptos agros. *Servius.*

Alexi] Id est, Cæsar. *Idem.*

Nihil mea, &c.] Theocrito debetur. Idyll. II. 61.

—— Ὁ δὲ μὲν λόγον οὐδένα ποιεῖ.

Ursinus.

Crudelis Alexi] Doloris exclamatio. Horat. Od. IV. *O crudelis!* Theocr. Idyll. II. 112. vertitur δύστροργος, et III. 18. τὸ πᾶν λίθος. *Emmeness.*

7 *Mori*] Pro contemtu. *Servius.*

Mori me denique coges] Theocr. Idyll. III. 6. ὦ χαρίεσσ' Ἀμαρύλλι, hanc invocationem excipit querela, et paulo post vs. 9. Ἀπάγξασθαί με ποιησεῖς. Ideo *coges*, ut Pierius, ex Rom. cod. *Emmeness.*

8 *Frigora*] Non aprica loca. *Serv.*

Frigora] Tempus meridianum designat, ut perspicuum ex seqq. Pers. Sat. III. 7.

—— *Patula pecus omne sub ulmo est.*

Emmeness.

9 *Lacertos*] Genus serpentis. *Servius.*

Viridis lacertos] Ita Horat. Carm. I.

—— *Virides rubum*
Dimovere lacertæ.

Est etiam attributum hoc omnium serpentium in genere. Idem Carm. I. *Virides colubros.* Stat. Theb. II.

—— *Viridemque draconem*
Lucentes a fronte jubas.

Nicand. de Dracone, χλοάοντα. Videntur mihi poëtæ Latini hoc epitheto solvisse Græcorum χλωροσαίρας. *Cerda.*

10 *Thestylis*] Nomen rusticæ mulieris: quæ messoribus æstu fatigatis, diversa genera herbarum contundens, pulmentarium his parat: vel concubina Corydonis. Vel Thestylis, id est, fictilis, rusticum nomen: ut ab eo quod ponat cibum rusticis. *Servius.*

Thestylis] Veneficæ nomen apud Theocr. Idyll. II. *Emmeness.*

Fessis] Vel labore, vel æstu. Vel *fessis,* id est ferventibus, vehementi ardore fatigatis, vel laboris instantia. *Servius.*

Rapido æstu] Vehementi et ferventi. Fessis autem vel æstu, vel labore. *Idem.*

Rapido æstu] *Medio in æstu:* ut Ovid. Met. VII. 811. i. e. circa meridiem, cum solis radii fervent maxime. Cum rustici, propter æstum, laborantes, abjectis messoriis falcibus, et mundo operæ messoriæ projecto, corpus curare, et reficere cibo instituunt, ut Apul. Met. VI. *Rapido,* proprie de igne omnia conficiente. Claud. de Bell. Get.

—— *Rapidis ambusta favillis.*

Et alio in loco:

Et cum se rapido forsan projecerat æstu.

Emmeness.

11 *Altia, serpullumque*] Herbas calidas, quæ æstum repellunt. Nam ut

etiam Plinius dicit in Naturali Historia, *Omnis medicina, aut a contrario, aut a simili quæritur.* Unde etiam calor potest aut frigore, aut alio calore depelli. Hinc est quod in ultima ecloga, cum amator remedium quærit ardori, dicit se iturum aut ad Scythiam, aut ad Æthiopiam: ut, *Æthiopum versemus oves sub sydere cancri:* quarum regionum altera est frigidissima, altera fervens calore. Sane serpillus herba est, quæ in Græco aspirationem habet, quam Græci ἕρπυλλον dicunt. In multis enim nominibus, quæ in Græco aspirationem habent, nos pro aspiratione, *s* ponimus. Inde est quod pro herpillo, serpillum: pro ἕξ, sex: pro ἑπτὰ, septem. *Servius.*

Allia] *Alliato* enim, qui cibus est allio conditus, ut *moretum*, rustici vescuntur. Turneb. XIX. 13. Vide et *Argumentum*, et me in *Moretum*. Taubm.

Allia] Rusticorum ventriculi [illegible]erendo sunt allio: inde Horat. [illegible]l. III.

O dura messorum ilia.

Emmeness.

Serpullum] De serpillo Plin. l. XXII. Dioscorides l. XXX. Theophr. l. VI. Hist. Plant. Sed quod genus cibi hic indicatur? Turn. Moretum accipit, quod genus eduli rusticis ea tempestate in pretio erat, ut facile colligas ex Virgiliano Moreto. *Cerda.*

Serpullumque] V. N. Ge. IV. 31. Et tradit Jo. Scoppa, messores ideo etiam serpillo et allio vesci, quod venenis adversentur: ne in umbra dormientes a serpentibus infestentur. Vel, quia vim habent desiccandi humores nimio aquæ potu in corpus diffusos. *Taubmann.*

Allia serpullumque herbas, &c.] Id est, parat alliatum, intritum, moretum, quod *herbosum* appellat Ovid. Fast. IV. 367. et seqq. Cibus est rusticus ex allio, cæpis, caseo, herbisque olentibus confectus, de quo Salmas. Plinian. Exercitat. p. 378. Donatus ad Ter. Phorm. II. 2. 4. *Tute hoc intristi, &c.* Plin. XIX. 6. *Allium ad multa rusticis* (Dalecampius *rusticis* legit) *præcipue medicamenta prodesse creditur, &c. Cyprium celebratum inter pulmentaria rusticis.* Facit mentionem *cibi intriti* et Col. l. X. de cultu Hort.

Alliaque infractis spicis, et olentia late
Ulpica, quæque fabis habilis fabrilis misceri.

Phædr. I. 27. Græce τρίμμα μάττουσι, de quo Pollux VI. 10. p. 287. et Aristoph. in Equit. ubi Scholiast. ad II. 3. Ἔστι ἐνάτριμμα διὰ σκορόδου. Κατασκευάζεται δὲ ἀπὸ τυροῦ, καὶ σκορόδου, καὶ ὠοῦ, καὶ ἁλὸς, καὶ ὀρδοῦ. Qui olet allium, *alliatus* Latine. Plaut. I. 1. 45. vid. Turneb. ad locum Plauti XVI. 17. et XIX. 13. ad locum hunc Virgil. XII. 7. *Emmeness.*

12 *At mecum raucis, tua dum vestigia lustro, &c.*] *At*, si per *d* fuerit, erit hyperbaton: ut sit, Dum tua lustro vestigia, ad me arbusta resonant, cum raucis cicadis. Sed melius est ut *At*, conjunctio sit: et ita intelligamus, Thestylis herbas tritas messoribus parat: Verum mecum resonant arbusta, cum raucis cicadis. *Servius.*

Vestigia lustro] Sophocl. ἐιχνοσκοπεῖσθαι, et Æschyl. ἰχνοσκοπεῖν et ἀνιχνεύειν. Germanus.

13 *Sole sub ardenti*] Catull. quoque,

Sole sub ardenti flaventia demetit arva.

Pontanus.

Resonant arbusta cicadis] E cicadarum cantu maximum æstum insinuat, perinde ac si diceret: At nunc meridiano tempore solis vapore omnia torrentur, quod arbusta cicadis resonantia demonstrant. Per æstum enim cicadæ vehementius canunt. Ge. III.

Inde ubi quarta sitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

Idem

t arbusta cicadis] Hesiodus

—— ἤχετα τέττιξ
ἐφεζόμενος λιγυρὴν κατα-
ετ' ἀοιδήν.
dyll. VIII.
τοτὶ σκιεραῖς ὀροδαμνίσιν αἰθα-
νες
λαλαγεῦντες ἔχον πόνον.

lis Amaryllidis iras] Bene
s; plerumque enim, ut ait
amantium iræ, amoris redin-
t: ut veram iram ostende-
n fictam illam, quæ aliquid
bere consuevit. Unde Ho-
t grata protervitas. Servius.
Amaryllidis iras] Iræ sunt
quæ ex causa nascuntur:
contra perpetuum est vi-
ncertus Auctor de differen-
: *tristes iras*, id est, simul-
as tolerare. Non raro sic
discordiæ, apud Latinos.
. I. 16.
t iræ: quas neque Noricus
ensis.
II. 3. 20.
inter Glycerium et gnatum.
lores sunt, amoris instaura-
omittunt: juxta illud Te-
:
m iræ, amoris integratio est.
.
rba fastidia] Ex fastidio
omnis superbia. *Servius*.
fastidia] Non ferendum
m fastum animi maximum,
e solent, quæ forma præ
nt. Ovid. Amor. II. 17.
es animos. Facies violenta
orinnæ
iserum!) cur est tam bene
ta sibi?
n speculi sumuntur imagine
stus; [*det*.
si compositam se prius illa vi-
419.
est pulcris, sequiturque su-
ia formam.

Irrisum vultu despicit illa suo.
Et Petron. *Quia nosti Venerem tuam, superbiam captas, vendisque amplexus, non commodas*. Emmeness.

Fastidia] Amantium vocabulum: Horat. Epod. XII.

Vel mea cum cœvis agitat fastidia verbis.

Ovid. Heroid. Epist. XVI. 97.

At mihi cunctarum subeunt fastidia.

Noster inferius, vs. 73.

Invenies alium si te hic fastidit Alexim.

Petron. *Fastidis fœminam ornatam*. Pro quo Idem alio in loco: *Fastum facere, Contubernalis mea mihi fastum facit*. Idem.

Nonne Menalcam] Tres dicitur amasse Virgilius, Alexandrum, quem donavit ei Pollio: et Cebetem puerum, cum Leria puella, quos a Mecœnate dicitur accepisse. Unde volunt quidam per Amaryllida, Leriam: per Menalcam, Cebetem intelligi. *Servius*.

Menalcam] Antiqui omnes codices, quos viderim, Longobardico excepto, *Menalcan*, per *n*, scriptum habent: quæ suavior est pronuntiatio. *Pierius*.

17 *O formose puer*] Bene dicit Donatus suspendendum O, et sic dicendum, *Formose puer*: ut intelligamus per ironiam eum aliud voluisse dicere: sed in hæc verba, ne Alexin offenderet, amoris necessitate compulsum. *Servius*.

Ne crede] Ne confide. Sallustius, *Virtuti satis credebant*, id est confidebant. *Idem*.

Nimium ne crede colori] Formam non mediocriter commendat color, si sit verus: de quo Ter. E. II. 3. 26. Quemadmodum rosarum, violarum, liliorum pulchritudo marcescit, ita, venuste Theocr. Idyll. XXIII. 32. opinione citius formam immutari monet:

Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παίδικον,
ἀλλ' ὀλίγον ζῇ.

Ovid. de Art. Am. II. 113.

Forma bonum fragile est. Quantumque accedit ad annos,

Fit minor; et spatio carpitur ipsa suo.
Nec violæ semper, nec hiantia lilia florent;
Et riget amissa spina relicta rosa.

Senec. in Hipp. vs. 758.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox ceteri pede laberis.

Et in Herc. Œt. II. 380.

Ut alta silvas, &c.

Ubi similem cum floribus formæ comparationem instituit. *Emmeness.*

18 *Alba ligustra cadunt*] Et rustice et amatorie ex floribus facit comparationem. Ligustrum autem flos est candidus, sed vilissimus. Vaccinia vero sunt violæ, quas purpurei coloris esse manifestum est: vel ligustra flores papaverum sunt, vel arborum. *Servius.*

Alba] Mart. I. 116.

Quædam me cupit, invide Procille,
Toto candidior puella cygno,
Argento, nive, lilio, ligustro.

VIII. 28.

Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.

IX. 17.

Cana ligustra.

Emmeness.

Ligustra] Botanicorum filii ligustrum λασίωνη, vulgo majorem convolvulum, vocant, cujus meminit Theophr. I. 6. Flore quidem ligustra sunt albissimo, sed simul abjectissimo. Ideo *cadere* dicuntur et nemini placere, cum arrideant vaccinia, quæ colore sunt nigro. *Idem.*

Vaccinia] Veterum codicum testimonio et Adamantii auctoritate *vaccinia* duplicato *cc* scribendum contenderim: et ita inferius corrigendum,

Mollia luteola pingit vaccinia Caltha.

A baccis *baccinia*, nonnulli legunt. *Pierius.*

Vaccinia nigra] Hyacinthum et vaccinium idem esse plerique contendunt. Sed de his postea. Nigri licet coloris sint vaccinia, impense tamen expetuntur. Noster Ecl. X.

—— *Quid tum si fuscus Amyntas?*
Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra.

Idem probat Theocr. Idyll. X. 28.

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.
Ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις καὶ πρῶτα λέγονται.

Ex vaccinii purpuram factam, ad tingenda servitiorum vestimenta, docet Plin. XVI. 26. et Vitruv. de Architect. VII. 14. *Emmeness.*

Leguntur] Id est, decerpuntur. Ecl. II. 51.

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Et Ecl. III. 72.

Qui legitis flores, et humi nascentia fraga.

Et vs. 70.

Quod potui puero silvestri ex arbore lecta.

Et Ge. III. 282.

Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ.

Idem.

19 *Nec qui sim*] In Mediceo et antiquis aliquot aliis codicibus legere est, ut testatur Pierius, *nec qui sim*. Distinctionem, inter *quis* et *qui*, traditam a grammaticis, minime servari ab auctoribus, ostendimus Ecl. I. 19. *Idem.*

20 *Quam dives nivei pecoris*] Tria sunt quibus amatores possunt placere, Divitiis, Pulchritudine, Cantilena, quibus omnibus se valere commemorat. Et multi secundum Homerum, qui ait καὶ γάλα λευκὸν, legunt *nivei quam lactis*. Sed melius est, *Quam dives pecoris nivei*. Nam candidæ oves, in ingenti sunt pretio. Unde in Georgicis legimus, *Continuoque greges villis lege mollibus albos*. Item alibi, *Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est*. Servius.

Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans] Sic interpungendum, ut ex

Mss. codd. Non de ovium multitudine duntaxat sermo est, sed de omnigeni pecoris copia. Commendantur quidem tanquam notæ melioris oves agnique coloris albi, ut demonstrabitur Ge. III. 386. sed, ut recte Ursinus, *nivei*, hoc loco referendum ad *lactis*. Tibull. III. 2.

Mox etiam niveo fundere lucte parent.

Et el. 5.

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mista mero.

Theocr. Idyll. I. 58.

—— λευκοῖο γάλακτος.

Athen. II. 6. Κλέαρχος φησὶ τὸ μὲν ὕδωρ ἔαρος καὶ τὸ γάλα λευκὸν λέγεσθαι. *Emmeness.*

21 *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ*] Theocritus, ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βότα χίλια βόσκω. *Servius.*

Errant] Cum securitate pascuntur. Et quod ait *agnæ*, et a sexu et ab ætate laudavit: nam ex fœmineo sexu in pecoribus copiosior possessio provenit. *Idem.*

Siculis in montibus] Sicilia ob pecoris copiam nobilitatur. Pind. Olymp. Od. I. testatur Hieronem sceptrum tenere ἐν πολυμήλῳ Σικελίᾳ, in divite pecoris Sicilia, in qua scripsit Idyllia Theocritus. Horat. Od. II. 16.

Te greges centum, Siculæque circum
Mugiunt vaccæ.

Emmeness.

22 *Lac mihi non æstate novum, non frigore defit*] Multo melius quam Theocritus: ille enim ait, τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θάρει οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ, Οὐ χειμῶνος ὕκρον. Sed quia caseus servari potest, non mirum est, si quovis tempore quis habeat caseum. Hoc vero laudabile est, si quis habeat lac novum, id est colostrum, quod neutri generis est: nam fœminini esse penitus non potest. Sane hunc versum male distinguens Virgiliomastix, vituperat: *Lac mihi non æstate novum, non frigore: defit.* Id est, semper mihi deest. *Servius.*

24 *Amphion Dircæus in actæo Aracyntho*] Amphion et Zetus fratres fuerunt ex Jove et Antiopa: sed Zetus, rusticus fuit; Amphion vero musicæ artis peritus. Sane Aracynthus, mons est Thebanus. Unde *actæo*, littorali debemus accipere, (ut, *At procul in sola secretæ Troades acta*) non Atheniensi: licet Athenæ primo ἀκταὶ dictæ sint: quanquam plerique, Actæo Aracyntho, Atheniensi accipiant, non quod Aracynthus apud Athenas est; sed ut ostendatur rustici imperitia. Nam Theocritus ad exprimendam rusticam simplicitatem, multa aliter quam res habeat, dicit. Hac ratione potest et Oaxis, Cretæ fluvius accipi: cum sit, ut diximus, Scythiæ. *Idem.*

Amphion] Zethus et Amphion, filii sunt Antiopæ, quæ Nyctei filia, ex compressu Jovis (qui in Satyri formam commutatus erat) gemellos enixa est: ut Ovid. Met. VI. 110.

Addidit, ut Satyri celatus imagine pulcram
Jupiter implerit gemino Nycteida fœtu.

Ut Apollod. l. III. Ἀντιόπη δύο γεννᾷ παῖδας, καὶ τὸν μὲν καλεῖ Ζῆθον, τὸν δὲ Ἀμφίονα. Ζῆθος μὲν οὖν ἐπεμελεῖτο βουφορβίων. Ἀμφίων δὲ κιθαρῳδίαν ἤσκει, δόντος αὐτῷ λύραν Ἑρμοῦ. Unde Horat. Ep. I. 18.

Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque
Zethi dissiluit; donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion.

Dicitur fuisse Thebarum conditor, et testudinis sono movisse et duxisse saxa quo vellet, ut citatus Apollod. l. III. et Horat. de Art. Poët. vs. 394. Quod sic interpretatur factum Solin. c. 7. *Thebas condidit Amphion, non quod lyra saxa duxerit, neque enim par est ita gestum videri, sed quod adfatus suavitate homines rupium incolas, et incultis moribus rudes, ad obsequii civilis pellexerit disciplinam.* Plura de Amphione Eu-

ripides, Pausanias in Bœoticis, et Palæphatus c. 42. *Emmeness.*

Dircæus] A Dirce, quæ uxor erat Thebani regis Licii, quæ postea a filiis Antiopæ, ob perpetratam in matrem sævitiam, crinibus religata, de tauro interfecta, et in fontem conjecta est, qui ab ea Dirce postea nominatus est. Apollod. in Biblioth. l. III. De Dirce, de Antiopa ejusque sobole, multa Propert. III. 14. De Dirce, qui fons est circa Thebas, Solin. c. 7. *Idem.*

Actæo Aracynthe] Aracynthum montem Acarnaniæ Plinius agnoscit IV. 27. Stephanus Bœotiæ, Vibius Sequester Atticæ, Servius Thebarum, Eustathius in Dionys. Ætoliæ: sunt etiam qui Arcadiæ, sed falso: nam in Vibio legendum *Acarnaniæ*, non Arcadiæ, ex nota Brodæi Mis. II. 8. Inde mire variatum ab interpretibus in explicatione hujus loci: nam qui dici Aracynthus potest mons Actæus, cum hic mons in Attica non sit? Vibii enim opinio cum nullo consonat veterum Geographorum. Inde lapsus videtur Joan. Scopas Collectan. I. 21. qui omissis omnibus Historicis, et Geographis, uni tantum adhæsit Vibio. Ergo in hac tanta varietate adhæreamus Stephano, et Servio, qui Bœotiæ, et Thebarum montem faciunt, hoc enim quadrat cum superioribus. Nam qui Dircæus, id est, Bœotius, aut Thebanus, canebat in monte Bœotiæ, aut Thebarum. Roges, si huic hæreas opinioni, quid de epitheto dices sumpto Attica? Placet duplex solutio aut Fulvii, aut Germani: tu, quam velis, eligas. Ait prior, *actæum* hic sumi pro παραθαλασσίῳ, id est, *littorali.* Nam sicut Æn. v. *actam* posuit pro littore proximo mari. Posterior accipit, *actæum*, pro saxoso et petricoso, Græcorum imitatione, qui ἀκτὴν non solum vocant littoralem oram, sed τρόπον πετρόδη, *locum saxosum.* Nam et Homero ἀκτὴ προβλὶς est, promontorium, seu scopulus. Et ἀκταὶ Ammonio sunt loca maris petricosa, sicut ὄφεις arenosa. Addo ego Oppian. l. III. Venat. qui dixit: ταύρου ὑφοβλήτρου ὑπὲρ ἀκτὰς: *Tauri nivosa supra juga.* Ergo mons actæus erit, qui Catullo, *præruptus*, et Ovidio, *scopulus adeus, pendensque.*

Prior:

Ac tum præruptos tristem consendere montes.

Posterior:

Nunc scopulus raucis pendet adeus aquis.

Demum hanc rem firmat Propertii auctoritas, qui Virgilium interpretans, dixit lib. III.

—— *Victorque canebat*
Pœana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

Cerda.

25 *Nec eum adeo informis*] Verecunde suam commemorat pulchritudinem. Sic Cicero in Cæliana: *Ut eum paniteat non deformem esse natum.* Nam pulcherrimum voluit dicere. *Serv.*

In littore vidi, Cum placidum staret ventis mare] Negatur hoc per rerum naturam fieri posse: sed Theocritum secutus est, qui hoc dicit de Cyclope, ἦ γὰρ πρὰν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦν δὲ γαλάνα. Sed illi est excusatio, vel quia ingentem habet oculum Cyclops: vel quia filius Neptuni est. Unde quia ait, *in littore*: volunt quidam in aqua a fluctibus derelicta, id est, in lacuna littoris eum se videre potuisse; quam rem illud excludit, *Cum placidum ventis staret mare.* Sed ideo in mari imago non cernitur, quia non stat: quod si stet, non potest etiam nobis imaginem reddere. *Idem.*

In littore vidi, Cum placidum ventis staret mare] Virgilium imitatur Calpurnius Ecl. II. 88.

Fontibus in liquidis quoties me conspicor, ipse
Admiror toties.

Nemesian. Ecl. II. 74.

Quin etiam fontis speculo me mane notavi.

Theocr. Idyll. VI. 10.

—— Ἁ δὲ βαΰσδει
Εἰς ἅλα δερκομένα· τὰ δέ νιν καλὰ κύματα φαίνει
Ἄσυχα καχλάζοντα, ἐπ' αἰγιαλοῖο θέοισαν.

Call. in Pall. Lavac. vs. 19.

——οὐδὲ Σιμοῦντος
Ἔβλεψεν δίναν ἐς διαφαινομέναν.

Phæd. Fab. I. 4.

Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.

Emmeness.

26 *Staret*] Sic apud Horat. Sat. II. 68. Jus, quod incoctum herbis fervere desiit, *stare* dicitur. *Idem.*

Non ego Daphnin] Daphnis filius fuit Mercurii, formosissimus puer; qui primus dicitur pastor fuisse. *Servius.*

Non ego Daphnim] In multis *Daphnin* per *n* finali litera scriptum invenias, quod ita esse debere ostendit versus ille,

—— *Daphnin ad astra feremus.*

Nam si per *m* esset, collisioni locus foret. *Pierius.*

27 *Judice te metuam*] Ac si diceret, Qui meam despicis pulchritudinem. *Servius.*

Si nunquam fallit imago] Nulla enim res ita decipit, quemadmodum imago. Nam et in speculo contraria ostendit universa: et in aqua, remum integrum quasi fractum videmus. quod etiam Cicero in Tusculanis plenius docet. *Idem.*

Sin nunquam fallat imago] In Romano codice, in Mediceo, in Longobardico, in Oblongo Vaticano, et plerisque aliis *fallat*, scriptum, Subjunctivi modi declinatu. *Pierius.*

28 *Tibi sordida rura*] Utinam libeat tibi mecum habitare rura tibi sordida, id est, quæ tu putas sordida. nam bis accipimus *Tibi*. Servius.

29 *Atque humiles habitare casas*] Sane melius, habito illam rem, quam, habito in illa re, dicimus. Nam etiam principalitas hujus verbi frequentativi, accusativum regit: ut, habeo illam rem. Inde fit, habito illam rem: non, in illa re: ut, habitare casas. *Idem.*

Atque humilis habitare casas] Apud Poëtam nostrum crebro cum accusativo invenitur, ut hac ecl. vs. 60.

—— *Habitarunt Di quoque silvas.*

Ecl. VI. vers. 2.

Nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.

Æn. III. 106.

Centum urbes habitant magnas.

Sic in passiva terminatione Ge. III. 340.

—— *habitata mapalia tectis.*

Teste Salmasio ad Tertullianum de pallio, p. 250. Latine dicitur: *domus habetur* et *habitatur*. Emmeness.

Casas] Quæ mapalia dicuntur. *Servius.*

Figere cervos] Aut furcas, quæ figuntur ad casæ sustentationem: quæ dictæ sunt *cervi*, ad similitudinem cornuum cervinorum. Aut (quod melius est) *figere cervos*, id est venari et jaculari, intelligamus: ut magis ad voluptatem eum, quam ad laborem invitare videatur. *Idem.*

Figere cervos] Poëta ipse Ge. I. *Figere damas.* Qui locus mire facit pro posteriore explicatione, quam elegi. Seneca etiam in Furent. *Tutosque fuga figere cervos.* Et in Hippolyt. *Figis damas leviore manu.* Græci passim in re venatoria, βάλλειν ἐλάφους *cervos figere.* πτῶκας βάλλειν. Theocr. Idyll. I. 110. Propert. Eleg. II. 19. *Figere avem.* Cerda.

Cervos] A *gerendo*, juxta Varronem de L. L. l. IV. *Cervi*, inquit, *quod magna cornua gerunt, mutato G in C ut in multis, quasi gervi.* Verum hæc si res caussam nomini præbuit, magis verisimile fit, quod Festus tradit, ἀπὸ τῶν κεράτων dici cervos, quasi κεραούς. Præsertim cum Homerus eo epitheto utatur, Iliad. Γ.

Εὐρὺν ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα.

Quomodo et ὑψίκερως alibi, et Oppiano εὐκέραος appellatur. *Cervi* pro furcis, quæ figuntur ad sustentationem casarum, ita dicti a similitudine cornuum cervinorum: ut scribit Varro de L. L. lib. IV.; et Servius ad illud Ecl. II.

—— *et figere cervos.*

Idem confirmat istud Silii Italici, lib. X.

Cervorum ambustis imitantes cornua ramis.

Eandem ob causam semel iterumque *brachia* appellat Lucanus, ut docuit Scaliger in conjectaneis. *Vossius.*

30 *Viridi hibisco*] Ad hibiscum compellere, scilicet a lacte depulsos. Hibiscus autem, genus est herbæ: et sic dixit *hibisco*, ad hibiscum: ut, *It clamor cælo*, id est ad cælum. *Servius.*

Viridi hibisco] *Hibiscus*, qui et *Ibiscus*, et *Ebiscus*, herba, quam Veneti *Nalbavischio*, sive rectius *Malbavischio*, contracto vocabulo ex *malva* et *hibisco*, quoniam harum semen et gustus caulium similis. *Erythræus.*

Hibisco] *Ibiscus*, *Ebiscus* a libris et auctoribus recipit Erythræus. Dioscorides l. III. Ἀλθαία, ἔνιοι δὲ Ἰβίσκον καλοῦσιν: *Althæa, quam Ibiscum vocant nonnulli.* Idem l. VI. Ἀλθαία, ἣν Ἔβισκον καλοῦσιν οἱ Ῥωμαῖοι: *Althæa, quam Ebiscum Romani nominant.* Non exeamus Virgilii sæpta, quibus est:

Hædorumque gregem viridi compescere hibisco.

Dausquius.

31 *Imitabere Pana canendo*] Exemplo numinis, in agris mecum poteris canere. Nam Pan, deus est rusticus, in naturæ similitudinem formatus. Unde et Pan dictus est, id est omne. Habet enim cornua, in radiorum Solis et cornuum Lunæ similitudinem. Rubet ejus facies, ad ætheris imitationem: in pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem: pars ejus inferior hispida est, propter arbores, virgulta, feras: caprinos pedes habet, ut ostendat terræ soliditatem: fistulam septem calamorum habet, propter harmoniam cæli, in qua septem soni sunt, ut diximus in Æneide, *Septem discrimina vocum*: καλαύροπα habet, id est pedum, hoc est baculum recurvum, propter annum, qui in se recurrit: quia hic totius naturæ deus est. Poëtis fingitur cum Amore luctatus, et ab eo victus: quia ut legimus, *Omnia vincit amor.* Ergo Pan, secundum fabulas, amasse Syringam nympham dicitur: quam cum sequeretur, illa, implorato Terræ auxilio, in calamum conversa est: quem Pan, ad solatium amoris incidit, et sibi fistulam fecit. Sane sciendum, Pana, *pa*, habere accentum. Græca enim monosyllaba quæ ad nos transeunt, crescunt in obliquis casibus: et in genitivo et dativo tantum singularibus, ultimæ syllabæ accentum dant, ut, Panos pani, Lyncos lynci. Plurales etiam isti duo habent accentum: licet ad nos transire non possint. *Servius.*

32 *Pan primus*] In Romano codice *primum* legitur adverbialiter. Sed *primus* omnino melius, ut in aliis habetur. Est et illud *pluris*, et *ovis* per i Velliano more. *Pierius.*

Pan] Deus rusticus. Depingit eum Lucian. in concilio Deorum: cornutus est dimidiaque corporis inferiore parte capram referens. Inde in dialogo Panos et Mercurii: κερασφόρος καὶ τραγοσκελὴς dicitur. Simmias Rhodius Scholiastes εἰς τὴν σύριγγα· τὰ μὲν γὰρ κάτω ὁ Πὰν τράγος, τὰ δ' ἄνω ἄνθρωπος. ejus ἄγαλμα describit Longus past. II. p. 52. et Junius de Pictura vet. c. 8. *Emmeness.*

Pan primus calamos] *Pan*, i. e. Natura omnium rerum, inventor est fistulæ. *Pan* pastoralis Deus; per cornu, solem significat, et lunam: per fistulam, septem planetas stellas: per pellem maculosam, cœli sidera:

per cannam, ventos: per ungulas caprinas soliditatem terræ: villosus est, quia vestitis gaudet terra. Hic autem natus est Mercurio in arietem converso, et Penelope uxore Ulyssis. *Philarg.*

Calamos cera conjungere plures] Hic locus, et qui sequetur statim:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula:

pendent necessario ab his, quæ nunc dicturus. Ergo plures calami septem, aut cicutæ septem, et utraque locutio veterem fistulam signat, quæ compacta erat e septem cicutis, vel avenis conjunctis cera: ideo Æschylus fistulam κηρύλαστον vocat. et Pollux de fistula, κηρῷ συνδεθεῖα. et Theocr. Idyll. I. φέρ' εὐθύκτοιο μελίσσιον Ἐκ κηροῦ σύριγγα καλάν. Habebat unaquæque cicuta sonum suum ab aliis discrepantem. Verba Scaligeri in Historico figuram fistulæ apprime signant: *Proportione certa ad alæ figuram. In summo, qua inflabantur, æquales; inæquales, qua exit spiritus.* Forsitan in hac figura explicanda respexit Vir doctus ad versus Ovid. qui Met. VIII. de pennis Dædali:

—— ponit in ordine pennas
A minima cœptas, longam breviore sequente,
Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.

Itaque ordo fistularum semper decrescebat, juxta hanc Tibulli descriptionem:

Fistula cui semper decrescit arundinis ordo,
Nam calamus cera jungitur usque minor.

Formam veteris fistulæ multis persequitur Achilles Tatius Alexand. l. VIII. Meminit Calpur. Ecl. IV.

——Septena modularer sibila canna.

Sidonius Apoll. epist. II. 2. *Cui concentui licebit adjungas fistulæ septiforis armentalem camænam.* Pind. Pyth. Od. II. ἑπταετήτου dixit, non quidem fistulæ, sed φόρμιγγος, *septisonæ citharæ.* Theocritus ab his discrepat, quæ docuimus; nam Idyll. VIII. sic ait: Σύριγγ' ἂν ἐτοίησα καλὰν ἐγὼ ἐννεάφωνον, *fistulam ego pulcram feci novem vocum.* Oritur igitur, vel audaciter hoc, quod vult Scaliger: vel per novem voces tantum signat multitudinem vocum. Porro nihil magis aperiet formam antiquæ fistulæ, quam ipsissima typo expressa: eam igitur hic tibi subjicio ex marmoribus.





Cerda.

Pan primus calamos] Sic Ecl. VIII. 24. *Panaque, qui primus calamos non passus inertis.*

Fistulæ auctorem Pana nominat, qui Syringam nympham deperiit; quam cum sequeretur, illa, in auxilium vocata terra, in calamum conversa est. Fabulam hanc attingit Longus Past. l. II. Apul. Met. l. v. ubi de *Pane Deo rustico*, de *Canna Dea*, ad quem locum vide Pricæum. His versibus complectitur Ovid. Met. I. 705.

Panaque, cum prensam sibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ calamos tenuisse palustres:
Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem, similemque querenti:

Arte nova vocisque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi concilium tecum, dixisse, manebit:
Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.

Sunt, qui fistulam hanc πολυκάλαμον inventam esse a Marsya, de quo disserit Salmasius in Plin. exercitat. 832. ubi etiam quid calamus significet disputat. Græcis κάλαμος et arundinem significat et stipulam sive avenam, hoc est, τὸν τοῦ σίτου καυλὸν, nunc ex cicutis et avenis stipulisque compactam fistulam interpretantur, nunc ex arundinibus, calamis et cannis. ibi plura. *Emmeness.*

34 *Nec te pœniteat calamo trivisse labellum*] Non tibi parum videatur. Terentius: *At enim quantum hic operis fiat, pœnitet.* Id est parum videtur. Et notandum *pœniteat trivisse*, præteritum pro præsenti positum, usurpative est: quod in defectivis licenter fit, ubi præsens non invenitur. Ut, *Quanquam animus meminisse horret.* Servius.

Labellum] Parvum labrum. Hinc inanissimam quidam tentant facere discretionem: ut virorum labra, mulierum labia dicantur. *Idem.*

Nec te pœniteat calamo trivisse labellum] In Romano codice et aliquot aliis manuscriptis, *pœniteat* per æ diphthongum primam habetur. Sed *o*, ei formæ insitum est ex etymo: quum *pœnitentia* dicta sit, quod pone teneat. Sane vero præteritum a tero teris, *tervisse* esse debuit: ait Vel. Longus: maluisse tamen Virgilium *trivisse* dicere. *Pierius.*

Calamo trivisse labellum] Cum septem essent calami, necessario, ut sonus ederetur, omnes percurrebantur: unde fiebat, ut plerumque labrum læderetur, et veluti attereretur. Inde Lucret. l. IV.

Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

Et l. V.

—— *calamos unco percurrere labro.*

Cerda.

35 *Quid non faciebat Amyntas?*] Quemadmodum mihi non obsequebatur? Et ex affectu alterius hunc cogit. *Servius.*

36 *Disparibus septem compacta cicutis*] Inæqualibus cannis. Nam et harmonia inæqualis est. Cicuta autem est spatium, quod est inter cannarum nodos. *Compacta*] Conjuncta. ut, *Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse.* Servius.

37 *Damœtas dono mihi quam dedit olim*] Fistula inter dona pastoralia, qua familiares prosequebantur, cum supremam horam adesse sentiebant vel abitum meditabantur. Longus Past. l. I. χαρίζομαι δὲ καὶ τὴν σύριγγα αὐτήν. Theocr. Idyll. IV. 29.

——ἐπεὶ ποτὶ Πῖσαν ἀφέρπων,
Δῶρόν ἐμὶν νιν ἔλειπεν.

Emmeness.

38 *Te nunc habet ista secundum*] Commendat munus: et ex eo quod ei hæreditarium datum est: et ex eo quod invidiam meruit. Nam res optimæ, et difficile donantur a vivis: et acceptæ, facile merentur invidiam. *Servius.*

40 *Nec tuta mihi valle reperti Capreoli*] Commendat a difficultate. Sic in Æn. VII. 244. *Relliquias Troja ex ardente receptas.* Idem.

41 *Sparsis pellibus albo*] Qui habent adhuc maculas a prima ætate venientes. Accessu enim temporis, mutant colorem: et eorum maculæ esse gratiæ minoris incipiunt. Ergo hoc dicit, Servo tibi capreolos, qui adhuc sint pellibus albo sparsis. *Idem.*

Sparsis etiam nunc pellibus albo] Antiquissimus ille codex majoris notæ membrum unum ita distinguit, *sparsis etiam nunc pellibus.* Inde ultimam ex versu dictionem cum subsequenti jungit hoc pacto, *ambo bina die siccant ovis uberâ.* quam forte lectionem ele-

gantia ingenia non aspernabantur. *Pierius.*

42 *Quos etiam nunc tibi servo*] Id est, quos adhuc tibi servo: licet roger a Thestyli amica, quæ hos a me cupit abducere. *Siccant*] Sugunt. *Servius.*

Quos tibi servo] In Romano codice *quod* habetur: ut non tantum capreolos, verum etiam et fistulam uno eodemque munere complectatur. *Pierius.*

43 *Orat abducere*] Orat ut abducat. figuratum est: ut, *donat habere*, id est, donat ut habeat. *Servius.*

44 *Et faciet*] Noluit dicere *et faciam:* ne quem amabat offenderet, si se velle alteri dare munus diceret, quod ei paraverat. *Servius.*

Quoniam sordent tibi munera nostra] Quia munera mea tibi tanquam abjecta et vilia videntur. Cic. in epistola ad Antonium: *Cui sordebat Macedonia provincia, quam victor sibi sumserat Cæsar.* Horat. ep. I. 11. 4.

Cunctane præ campo et Tyberino flumine sordent?

Plaut. Truculent. II. 4. 30.

Cum inter nos sorderemus unus alteri.

Mart. epigr. IX. 72.

——*tua quod tibi tempora sordent.*

Lycen, tam intractabilem et difficilem, quam neque munera, neque preces curvabant, perstringit Horat. od. III. 10. *Emmeness.*

45 *Huc ades, o formose puer. Tibi lilia plenis, &c.*] Tantum honoris habet puero, ut ei dicat etiam numina obsecutura. Sane *calathus* Græcum est: nam Latine *quasillum* dicitur. Cicero in Philipp. l. III. *At vero hujus domi inter quasilla appendebatur aurum?* Servius.

Tibi lilia plenis, &c.] Non absimilis Columellæ in l. X. de cult. hort. locus:

Candida leucoia, et flaventia lumina calthæ,
Narcissique comas, et hiantis sæva leonis
Ora feri, calathisque virentia lilia canis,
Nec non vel niveos, vel cæruleos hyacinthos.
Tu quæ pallet humi, quæ frondem purpurat auro.

et paulo post:

Sic ubi odoratas pratexit amaracus umbras,
Carpite, narcissique comas, sterilisque Balausi.
Et tu, ne Corydonis opes desperne Alexis,
Formosa Nais puero formosior ipsa
Fer calathis violam: et nigro perimista ligustro.

Cum tot florum mentionem facit, et paullo ante fistulæ tam eleganter compactæ, ornat verbis munera sua. *Emmeness.*

Lilia] Lilium rosæ nobilitate proximum est, Plin. XXI. 5. cum rosis etiam mixtum venustissimum efficit colorem, ut Virg. Æn. XII. 68.

Si quis ebur aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: talis virgo dabat ore colores.

κρίνον Dioscor. III. 116. Κρίνον βασιλικόν· τούτου τὸ ἄνθος στεφανωματικὸν ἐστι. *Emmeness.*

Calathis] Videtur Calathus genus quoddam canistri fuisse apud veteres servandis floribus destinatum, quod colligas ex crebra hujus rei mentione. Præter Virgilium hoc loco, Ovid, Met. XIV.

——*sparsosque sine ordine flores*
Secernunt calathis.

Cerda.

46 *Tibi candida Nais*] Vel pulchra, vel dea. Nam dii umbris contrarii sunt, quas nigras esse constat. hinc est, *Candidus insuetum miratur limen olympi.* Servius.

47 *Pallentis violas*] Amantium tinctas colore. Horatius, *Et tinctus viola pallor amantium* Unde non præter affectionem amantis, eos flores nymphas dicit offerre, qui sunt amantibus similes. *Papavera carpens, Narcissum et florem bene olentis Anethi*] Sane Pa-

paver, Narcissus, Anethus, pulcherrimi pueri fuerunt, qui in flores suorum nominum versi sunt: quos ei offerendo, quasi admonet, nequid etiam tale aliquid unquam ex amore patiatur. *Servius.*

Pallentis violas] Teste Plinio *plura* violarum *genera* sunt: *Purpureæ, luteæ, albæ.* Laudat Longus Past. l. II. τὰς ἀμφοτέρας, nigri nempe et albi coloris. Theocr. Idyll. VII. 64. Albas violas λευκόϊα appellat. Col. de cult. hort. l. X. *Candida leucoia.* Horat. od. III. 10. astruit sententiam Servii,

Nec tinctus viola pallor amantium.

Emmeness.

Summa papavera] Lilia et papaver conjungit Theocr. Idyll. XI. 56.

——ἤφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκὰ,
Ἢ μήκωνα ἁπαλὰν, ἐρυθρὰ πλαταγώνι'
ἔχουσαν.

Fuit in honore apud Romanos semper (verbis utor Plinii XIX. 8.) *indicio est Tarquinius Superbus, qui legatis a filio missis decutiendo papavera in horto altissima, sanguinarium illud responsum hac facti ambage reddidit. Summa,* id est, summa capita papaverum. Papaveris quoque genera plura notantur a Theophrast. IX. 13. *Emmeness.*

48 *Narcissum*] *Narcissum* παρὰ τὸ ναρκᾶν, a *torpore*, quod caput gravet, dici Plinius ait XXI. 19. Dioscorid. l. IV. *Flos albus, intus croceus, in quibusdam purpureus.* Notat autem Servius, *Papaverem, Narcissum,* et *Anethum,* pulcherrimos fuisse pueros, qui in flores suorum nominum versi sint. Atque his oblatis, Alexidem admoneri, ne ipse etiam tale aliquid unquam ex amore patiatur. De Narcisso Ovid. Met. III. 8. Narcissenroßlein Merkenblumen. Et quia (auctore Theophrasto) utroque æquinoctio floret, Virg. Ge. IV. 123. *sero comantem,* dixit. *Taubm.*

Florem jungit bene olentis anethi] Columel. *Et bene odorati flores spargantur anethi.* Idem.

49 *Tum casia*] Herba suavissimi odoris: ut sequentia indicant: quam Græci casiam dicunt. Et sic dictum est, *Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis:* ut in Sallustio, *Leonem, atque alias feras.* Servius.

Casia] Sitne herba, frutex, an cortex, obscure satis expediunt, qui Botanica persequuntur. Salmas. in Plinian. exercit. p. 401. de casia Arabico frutice et de herba prolixius agit. Odoratis adscribendam esse *casiam* constat, ex quibus sumptuosissima unguenta conficiuntur. Theophr. de Plant. VI. 2. et IX. 7. Ubi Bodæus erroris arguit Servium, quod κασία Græce corticem significet, non herbam, et *casia* Latine herbam, quæ Græcis κνέωρος et κνέωρον, de qua Plin. XXI. 9. *Casiæ* meminit Dioscor. I. 12. et Noster Ge. II. 213.

Vix humilis apibus casias roremque ministrat.

Et l. IV. 182.

——*casiam crocumque rubentem.*

Et ut hac in Ecl. sic in Ciri vs. 368. herbæ appellatione venit:

At nutrix patula componens sulfura testa,
Narcissum casiamque herbas incendit olentis.

Emmeness.

50 *Mollia luteola pingit vaccinia caltha*] Mollia vaccinia pingit, id est, componit, de caltha luteola. Nam nisi *luteola* septimus sit casus, non stat versus. Mollia autem, tactus plumei scilicet. Hoc dicens, ex colorum diversitate quærit ornatum. *Servius.*

Luteola caltha] Caltham Turneb. XIX. 22. docet buphthalmon nominari. de quo Dioscor. III. 147. Hujus flos est luteus. Plin. XXI. 6. violis annumerat. *Proxima violæ marinæ* (quæ colore est luteo) *caltha est concolori amplitudine, &c. Flores ejus non olent sed folia.* Alium esse, ac amellum, de quo Noster Ge. IV. 270. docet Bodæus ad Theophr. p. 822. *Emmeness.*

Luteola] Utitur hoc diminutivo Colum. IX. 4. *At in hortensi lira consita nitent candida lilia, nec his sordidiora leucoia, tum punicæ rosæ luteolæque et Sarranæ violæ, &c.* Quam noster *luteolam*, Col. l. X. de cult. hort. *flammeolam* vocat. Quod, teste Salmasio, in Plin. exercitat. p. 1155. idem, quod *luteola*. De luteo colore sic Gellius II. 26. *Rubidus autem est rufus atrore et nigrore multo mixtus, luteus contra rufus color est dilucidior, unde ejus quoque nomen factum esse videtur.* Vel ut Nonius Marcell. p. 794. *Luteus color proprie croceus est*, quod ex Ecl. IV. 44. et aliis probat locis. Nuptiis consecratus, ut Plin. XXI. 8. *Lutei video honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis totum feminis concessum.* Lucanus II. 360.

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Catul. in nuptias Juliæ et Manl. epig. LXIII.

Flammeum cape. Lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum.

Vidè etiam Turneb. advers. XXIX. 32. *Emmeness.*

Pingit] I. e. per flores insertos distinguit herbas. Quando flores versicolorem varietatem inducunt, dicuntur *pingere*. Noster Ecl. VI. 22.

——jamque videnti
Sanguineis frontem moris, et tempora pingit.

Plurimum de humo in Culice vs. 69.

Florida cum tellus gemmantis picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva.

Familiare est Lucretio l. II.

Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris.

Et post,

—— Pingantque rosarum
Floribus.

Plaut. in Stich. II. 2. 30. *Age tu ocius pinge humum, conperge ante ædis.* Et Mart. epigr. II. 46.

Florida per varios ut pingitur Hybla colores.

Col. de cult. hort. l. X.

Verum ubi jam puro discrimine gaudia tellus,
Deposito squallore nitens sua semina poscit,
Pingit et in varios terrestria sydera flores.

Emmeness.

51 *Cana legam tenera lanugine mala*] Mala dicit cydonea, quæ lanuginis plena sunt: sed non præter obliquitatem. Nam in Æneide diximus, apud Cretenses, infamiæ genus juvenibus fuerat, non amatos fuisse. Et verecunde rem inhonestam supprimit, quam Theocritus aperte commemorat. *Servius.*

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala] Qui Servii sententiam firmatam cupit adeat Lipsium l. III. antiq. lect. honestiorem quoque interpretationem hic locus non respuere videtur. Lanuginem saltem inesse pomis cydoneis verissimum est ex Col. XII. 45. *Cydonia in lagena nova, quæ sit patentissimi oris, detersa lanugine quæ malis inest, componuntur leviter.* Calpurn. Ecl. II. 91.

Cerea sub tenui lucere Cydonia mala.

Mala lanugine obducta *lanata* appellat Plin. XV. 14. *Emmeness.*

52 *Castaneasque nuces*] Bene speciem addidit: dicens castaneas. Nam *Nuces*, generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore: ut avellanæ, amygdalæ, juglandes, castaneæ; sicut contra dicuntur poma, omnia molliora. *Servius.*

Castaneasque nuces] Imitantur Maronem aliquo modo Ovidius et Alcimus. Prior de Arte II.

Afferat aut uvas, aut quas Amaryllis amabat
Et nunc castaneas, nunc amat illa nuces.

Posterior inter Fragmenta Petronii:

Sordent velleribus hirsuta cidonia canis,
Sordent hirsutæ munera castaneæ.
Nolo nuces Amarylli tuas, nec cerea pruna:
Rusticus hæc Corydon munera magna putet.

Cerda.

Castaneasque nuces] Ἁπλῶς sæpe castanea, avellanea, pina, &c. in quibus Sanctius p. 325. subaudiendum esse notat *nux*. Castanea a Castanide terra nomen habet. Nicander in Alex.

—— τὸ καστανὶς ἔτρεφεν αἶα.

Ubi Scholiast. Πόλις θεσσαλίας ὅθεν τὰ καστάνια ἀπὸ τῆς καστανίδος γῆς, ἢ καστανὶς πόλις ποντικὴ ὅπου πλεονάζει τὸ κάστανον. Sortitur nomen ab aliis etiam regionibus. Hesychius: Κάστανα, Δύο βάλανοι, εὔβοια κάρυα. Ab Eubœa ut Theophr. IV. 6. Vocatur et Heracleotica ut Macrob. II. 14. *Emmeness.*

Mea quas Amaryllis amabat] Ne eas viles existimes, quas Amaryllis est amare dignata, nam apud illam in ingenti fuerunt honore. *Servius.*

53 *Cerea pruna*] Aut cerei coloris: aut mollia. Horatius,

—— *Cerea Telephi*
Laudas brachia.

Idem.

Cerea pruna] In maximo erant pretio, et quo magis cereo flavebant colore, eo erant gratiora. Plin. XV. 13. *Sunt et nigra, at laudatiora cerina atque purpurea.* Auctor carminis in Priapum Carm. XXXII.

Magisque cera luteum nova prunum.

Ovid. Met. XIII. 817.

Prunaque non solum nigro liventia succo,
Verum etiam generosa, novasque imitantia ceras.

Colum. de cult. hort. l. X.

Armeniisque, et cereolis, prunisque Damasci
Stipantur calathi.

Emmeness.

Addam cerea pruna et honos erit huic quoque pomo] Licet hinc eorum obscuram diligentiam deprehendere, qui quum passim in veteribus exemplaribus legerent *Addam cerea pruna honos erit*, absque particula conjunctiva, eam ne versus infirmus esset, inseruerunt. Quare quum neque præter rationem sit legere *pruna honos*, tot venerandæ antiquitatis codicibus adstipulantibus, *et* particulam, ab aliis intrusam, audacter ego sustulerim. *Pierius.*

Honos erit huic quoque pomo] Si a te dilectum fuerit: sicut castaneæ in honore fuerunt amatæ Amaryllidi. *Servius.*

54 *O lauri*] Licet Horatius dixerit, *Depone sub lauru mea*: melius tamen est juxta secundam formam inflectere: nam melius sonat. *Idem.*

Proxima myrte] Vel vicina lauro: vel ad odorem proxima. potest enim utrumque intelligi. *Idem.*

Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte] Duæ hæ arbores cur sæpe conjungantur docet Acron ad Horat. III. 4. 19.

—— *ut premerer sacra*
Lauroque, collataque Myrto.

Uno in loco invenias apud Theocr. Epigr. Δ.

Δάφναις καὶ μύρτοισι καὶ εὐώδει κυπαρίσσῳ.

Antiqui myrti laurique ramum solebant dare accumbentibus, per vices, super quo pulsarent loco barbiti, ut Hesychius in voce Μυρρίνης. Calpurn. Ecl. IV. 91.

Laurus fructificat vicinaque nascitur arbos.

Per quam nonnulli *myrtum* intelligunt. Vide Nemes. Ecl. II. 46. Laurus in præsidio Phœbi, ut ex Fab. Daphnes Ovid. Met. I. 557.

At conjux quoniam mea non potes esse,
Arbor eris certe, dixit, mea, &c.

Idem Noster Ecl. III. 63. Myrtus Veneri dicata, ut Phædr. III. 17. Sed de his latius alio in loco.

55 *Sic positæ quoniam suavis miscetis*

odores] Quondam permistione vestra suavem odorem creatis. *Servius.*

56 *Rusticus es Corydon*] Arguit se stultitiæ, quod eum se sperat placare muneribus, qui potest habere meliora; nam supra ait, *Delicias domini.* Idem.

Rusticus es Corydon nec munera curat Alexis] *Es* quidem secunda persona passim legitur, præterquam in Romano codice: ubi *est* habetur persona tertia. Ut duo dicat, quæ maxime obsint, nec quicquam proficiat, Alexim esse rusticum, nec munera curare. Et apud Ovidium, in hujusmodi significatu, Helena loquitur in epistolis:

Nec dubito quin hæc, quum sit tam justa, vocetur
Rustica judicio nostra querela tuo.
Rustica sim sane, dum non oblita pudoris.

Neque tamen displicet, ut Corydon jam resipiscens, semetipsum rusticitatis arguat: quod pro stultitia et rerum imperitia ponitur. *Pierius.*

Rusticus es Corydon nec munera curat Alexis] Pro quo Ovid. epist. Heroid. VII. 27.

Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus.

Emmeness.

57 *Nec si muneribus certes, concedat Iolas*] In Romano codice *certat* legitur, quod non placet. Illud non improbarim quod mihi videtur eleganter dictum *concedat*, in eodem codice. *Pierius.*

Iolas] Vel ditior amator: vel ejus dominus. *Servius.*

Iolas] Vult Nann. Miscell. VI. per *Iolam* Augustum intelligi deflexione quadam ab Iulo, a quo originem Augustus ducebat. Nam sic solent poëtæ voces deflectere pari ferme numero syllabarum. Clodia enim a Catullo dicta est Lesbia, Hostia a Propertio Cynthia, Plania a Tibullo Delia, Gratidia ab Horatio Canidia. *Cerda.*

58 *Eheu, quid volui misero mihi*] Quomodo eum discedere dicit, quem supra cum eo diximus non fuisse? Nam ait, solus montibus et sylvis: sed ratione non caret. Epicurei enim dicunt (quod etiam Cicero tractat) geminam esse voluptatem: unam quæ percipitur: et alteram imaginariam, scilicet eam quæ nascitur ex cogitatione. Unde ita debemus accipere hunc versum per cogitationem, illa imaginaria voluptate: qua et cernere et alloqui videbatur absentem. Sed postquam objurgatione sua in naturalem prudentiam est reversus, caruit utique illa imaginaria voluptate, ubi nunc sibi se obfuisse dicit per hanc ratiocinationem. *Rusticus es Corydon: nec munera curat Alexis. Nec si muneribus certes, concedat Iolas.*] *Floribus austrum.* Quo facilius arescunt. *Servius.*

Eheu, quid volui] In singulis pene codicibus varie scriptam invenias interjectionem hanc *eheu*, de qua loco alio plura. Hoc mihi non displicet, quod in Romano codice integra interjectio duplicata est, *heu heu.* Ut apud Theocr. non semel *al al.* Quamvis Valerius Probus *heu* et *eheu* utramque simplicem agnoscit. *Pierius.*

Eheu, quid volui misero mihi] Se ipse arguit verbo scriptoribus optimis in eo significatu decantato. Ter. Eun. III. 5. 11. *Quid tibi vis? satin' sanus?* Vide Donat. Sic Phædr. II. 19.

Quidnam voluisti tibi infelix?

Emmeness.

Floribus austrum, &c.] *Auster* sive *Notus*, humidus et calidus est, ejusque aura æstuosa flores statim languescunt. Zephyro contra flores nascuntur. Val. Flaccus, Argon. VI.

——*fuscis etiam Notus imminet alis*
Floribus——

Vide Argument. et Turnebum XII. 7. Annotat Nannius, Austrum floribus hic noxium dici, quod ille Italis et Græcis transmarinus sit. Secus apud Palæstinos: unde Salomon, *Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, &c.* Huic enim mare ab Occidente. *Taubmann.*

59 *Fontibus apros*] Qui puros fon-

tes, cœnosos efficiunt. *Servius.*

Perditus, et liquidis] In Romano codice *perditos* per *os* scriptum habetur. Antiqui *o* et *u* confusas literas habuere. Id ex eo apparet, quod *consol* per o ultima syllaba quondam scribi solitum. *Pierius.*

60 *Quem fugis ah demens*] Iterum per Phantasiam quasi ad præsentem loquitur; et quasi ille dixisset sylvas, hic infert, *Habitarunt dii quoque sylvas, Dardaniusque Paris.* Et Paris habitavit sylvas, qui de dearum pulchritudine judicavit. *Servius.*

61 *Pallas, quas condidit arces, Ipsa colat*] Ideo dea arcium Minerva dicitur, quia de capite Iovis nata est: sed quia dea est artium, et ingenii, ideo ista finguntur. Nihil enim est excellentius ingenio: quippe quo reguntur universa. *Idem.*

Pallas, quas condidit, arces Ipsa colat] In Romano codice, *quæ condidit*, legitur, nempe ad homœoteleuton evitandum, *Pallas quas.* Habet præterea nescio quid poëticæ venustatis dicendi modus, Pallas colat arces, quæ condidit: sive velis, quas res: sive, ipsa, quæ condidit: intelligere. Non tamen abradenda est vulgata lectio, *Quas condidit arces.* Est præterea in Romano codice, *colant*, una plus littera temere adjectitia. *Pierius.*

Pallas, quas condidit, arces] Nam ἀκροπόλεις Minervæ sacratæ. Et hinc nata ἀκρίας, et ἐπιπυργιδίας cognomina. Catullus de ea Carm. LX. *retinens in summis urbibus arces.* Videatur Hugo Grotius in Capellam, et Turn. XII. 7. *Taubmann.*

63 *Torva leæna lupum*] Theocriti sunt isti versus. Et bene se revocat ad rusticas comparationes: pene enim fuerat lapsus, dicendo, *Pallas, quas condidit arces.* Leæna autem dictum est, sicut dracæna. Et quod ait, *Torva leæna lupum sequitur*, verum est: nam necesse est, ut veniente lupo, adventus agnoscatur leonis. *Servius.*

Torva leæna] Hoc nomen licet veteres Latinum negent, auctoritate tamen valet. Dicebant enim leonem masculum et fœminam, ut Plaut. in Vidul. *Nam audivi fœminam ego leonem semel parire.* Cic. de gloria l. II. sic ait: *Statuerunt gloria leænæ.* Leam vero Varro ad Ciceronem dicit l. III. *Sicut nocet panthera et lea.* Philargyrius.

Torva leæna] Epitheton ab oculorum sævitia, quæ summa in hac fera est. ex quo et Aristoteles leonem χαροπὸν vocat: quem Catullus *cæsium* appellavit, i. e. glaucum, quia glaucis oculis apparet horribilis. quales et Bellonæ oculi sunt, quæ ideo perpetuo epitheto γλαυκῶπις Ἀθήνη ab Hom. dicitur. Hinc et Hercules mortalium ferocissimus, *Charops* dictus est, quasi iracunde intuens. Χαρὰ enim *ira* est. quo epitheto, ut militibus congruo, *Torvus Abas* Virgilio (Æn. X.) dicitur; *torvisque Procustes* Nasoni. Ex eodem horrore et *Charybdis*, et *Charon*, cæsius iste senex, et dirus, appellatus est: de quo noster, Æn. VI.

—— *stant lumina flamma.*

Ita Polyphemi oculus, Æn. III.

—— *torva sub fronte latebat, &c.*

Taubmann.

Torva leæna lupum sequitur] Admodum jucunda gradatio e Theocriti Idyll. X. sumpta,

Ἁ αἶξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,

Ἁ γέρανος τέρετρον, ἐγὼ δ' ἐπὶ τὰν μεμάνημαι.

Torva leæna βλοσυρὸν λέων, Homero, et χαροπός. *Ursinus.*

64 *Cythisus*] Herba est. *Lascivæ*] Voluptuosa et desidiosa. *Servius.*

65 *Te Corydon, o Alexi*] *Don o A*, antibacchius est: sed *o* brevis fit: quia vocalis vocalem sequitur. sic Homerus πλάγχθη ἐπεὶ τροίης ἱερὸν. *Idem.*

Trahit sua quemque voluptas] Notabatur a Criticis, quod hanc sententiam dederit rustico, supra bucolici carminis legem, aut possibilitatem. *Id.*

Trahit sua quemque voluptas] *Quot homines*, ut Ter. in Phorm. II. 4. 14. *tot sententiæ*. Quisque id expetit, idque probat, quo ejus potissimum animus oblectatur. Alia aliis placent. Pers. sat. I. 52.

Mille hominum species, et rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Horat. Sat. II. 1. 27.

—— *Quot capitum vivunt totidem studiorum*
Millia.

Idem Epist. II. 2. 58.

Denique non omnes eadem mirantur amantque.

Homer. in Odyss. Ξ.

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.

De nimia sublimitate, pastorali carmine indigna, de qua Servius, vide Scalig. Poët. v. 5. et Wouwer. polymath. c. 17. *Emmeness.*

66 *Aratra jugo referunt suspensa juvenci*] Horatius: *Videre fessos vomerem versum boves, Collo trahentes languido.* Et hoc vult dicere, Omnia, excepto amore, finiuntur. *Servius.*

67 *Et sol crescentis decedens duplicat umbras*] Variavit: nam ait supra, *Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.* Duplicat autem, auget: Sallustius, *Et Marius victus duplicaverat bellum.* Idem.

Aratra jugo referunt suspensa, &c.] Hoc et sequente versu advesperascentis cœli descriptio traditur, ut Ecl. I. 84. Nemesian. Ecl. I. 86. Calpurn. Ecl. II. 83. Imo in omnium fere Eclogarum clausulis. Horat. od. III. 6.

—— *sol ubi montium*
Mutaret umbras et juga demeret
Bobus fatigatis.

Homer. Odyss. I. 58.

Ἦμος δ' ἠέλιος μετανίσσετο βουλυτόνδε.

Vide Scliol. Βουλυτὸν est illa diei hora, qua jugo liberantur boves, ut Hesych. Βουλυτὸν, τὴν δειλίνην ὥραν ἐν ᾗ τὸ ἄροτρον λύεται τῶν βοῶν. Cic. ad Att. l. XV. ep. 27. *Cum hæc scriberem, adventabat autem βουλύσει cœnantibus nobis.* Emmeness.

Et sol crescentis decedens duplicat umbras] In antiquis aliquot codicibus *discedens* legi: sed *decedens* lectio cautior. Est et *crescentis* in Romano codice, quæ scriptura ibi plurimum reperitur. Quid vero *duplicat*, pp, geminato in codicibus nonnullis manuscriptis? nempe isti veriti sunt, mutam et liquidam non satis esse, ad syllabam producendam, nisi ad ejusmodi parenthesin confugerent. *Pierius.*

68 *Me tamen urit amor*] Cum jam calor sit Solis exhaustus. *Servius.*

Me tamen urit amor] Reliquis mortalibus corpori quietem dantibus, et somno necessario instaurantibus vires, ingratiis vigilare coguntur, qui amant: ut Phædria ille Terentianus. Inde Ibico ἔρως dicitur οἰδεμίαν κατάκοιτος ὥραν. Ut de infelici Didone Maro Æn. IV. 4.

—— *Hærent infixi pectore vultus,*
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.

Et vs. 80.

Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sydera somnos:
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat: illum absens absentem auditque videtque.

Theocr. Idyll. VII. 56.

—— Θερμὸς γὰρ ἔρως αὐτῷ με καταλθεῖ.

Sappho apud Hephæstionem:

Δέδυκε μὲν ἀ σελάννα,
Καὶ Πλειάδες, μέσαι δὲ
Νύκτες, παρὰ δ' ἔρχεσθ' ὥρα,
Ἐγὼ δὲ μόνα καθεύδω
Παρὰ τῷ αὐτῷ·
Ἔρως δὲ αὖτέ μ' ὀλομελὴς δονεῖ,
Γλυκύπικρον ἀμάχανον ἑρπετόν.

Hæc et plura e Græcis congessit ex-

empla Ursinus. Vide R. Titium controvers. v. 6. ad verba Horatii *amori dare ludum*. Quam ob causam nequeant amantes somnum capere prolixius docet Ach. Tatius l. 1. p. 21. et 23. *Emmeness.*

Quis enim modus adsit amori] Noverat hoc Terentianus Parmeno, domino Phædria sapientior, in Eun. 1. 1. 12. *Here, quæ res in se neque consilium, neque modum Habet ullum, eam consilio regere non potes. In amore hæc omnia insunt vitia, &c.* Imo post querelas, magis amore ardere videntur, qui amant. Dido apud Ovid. Heroid. ep. VII. 29.

Non tamen Æneæ, quamvis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, questaque pejus amo.

Idem.

69 *Ah Corydon, Corydon*] Dictum jam ex Probi Grammatici sententia, e sine aspiratione, affectum significare: et eo modo scriptum in antiquis codicibus plurimum haberi. Sumpta vero figura est e Theocrito ὦ Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκτετόρασαι; Hinc in Mediceo codice scriptum est per o adverbium: *O Corydon, Corydon*, quod Theocritianæ dictioni proximius est. Sed enim quum Fab. Quintilianus dicat: geminationem hoc loco esse miserandi caussa factam, mihi minime dubium relinquitur, eum lectionem, quæ vulgata est: *A Corydon*, agnovisse. *Pierius.*

Ah Corydon, Corydon] Juven. Sat. IX. 102.

O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas?

Id est, stulte, ut *Scholiast.* Emmeness.

Quæ te dementia cepit] Id est, cur amoribus vacas, cum multa sint quæ debes in agro perficere? *Servius.*

70 *Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est*] Plus est, quam si *imputata* diceret. tolerabilius est enim non incipere aliquid, quam incepta deserere. Hinc est illud in primo, *Mene incepto desistere victam?* Item in Georgicis, *Atque opere in medio defixa reliquit aratra.* Sane geminam arguit negligentiam: et quod semiputata vitis sit, et quod frondosa ulmus: nam utrumque obest. Unde est in Georgicis, *Bis vitibus ingruit umbra.* Et aut simpliciter intelligimus hunc locum, ut suam arguat negligentiam: aut certe illud est, Non mirum me esse dementem, qui habeo vites semiputatas. Nam in sacris dicitur quod corripiatur furore, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus imputatis. *Idem.*

Semiputata tibi frondosa vitis] Frondosa vitis, id est, de qua si quis biberit, insanit, &c. Hæc Philargyrius. Non de *frondosa* vite, sed de *semiputata*, sermo est. Id arguit metri ratio. Majus suum dispendium deplorat Corydon, arvis et possessionibus suis destitutus: quoniam messem spe conceperat uberiorem, et laboris jam fere profligati fructum non spernendum se laturum prævidebat. *Emmeness.*

71 *Quin tu*] Quin immo, hortantis est. *Servius.*

Quin tu] Id est, quo minus, et tunc indicativo gaudet. Ter. in An. II. 2. 4. *Quin tu bono animo es?* Persius Sat. II. 71. *Quin damus id superis?* Emmeness.

Quorum indiget usus] Id est, quæ usus rusticus requirit. Sane et eget illa re, dicimus: ut eget ille Senatu: et eget illius rei. inde est indiget. Nam et hoc utrique jungitur casui. *Servius.*

Aliquid quorum indiget usus] Ἀκαταλληλίαν hoc loco esse affirmat Vlitius in curis secundis ad Nemesianum p. 41. et plura ejus structuræ exempla ex Manilio *quodcunque venalia, &c.* Quin hoc loco subaudimus aliquid eorum, quorum indiget usus. *Emmeness.*

72 *Viminibus*] Ut nassas, crates, corbes conficiat. *Nannius.*

Detexere] Perficere, finire, multum texere. nam *de*, modo non minuentis est, sed augentis. *Servius.*

Parus detexere] Ut se præparet et adornet ad hæc opera, nondum laboret: deinde opera, quæ difficultatem non habent, sed potius oblectationem. ut et ibi:

Dum sedet, et gracili fiscellam texit hibisco.

Ita omnibus modis justissimam fecit sui adhortationem ad aliquid operis, saltem ad necessarios usus sine molestia corporis capessendum. Theocritus:

Αἴκ' ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοις, καὶ θαλλὸν ἁμάσας

Τοῖς ἔρνεσι φέροις, τάχα κὴν πολὺ μᾶλλον ἔχες νοῦν·

Τὰν παρεοῦσαν ἁμελγε, τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

Nannius.

Junco] Sirpus a *sirpo*, id est, *ligo*, *vincio*, *colligando implico*. Unde *sirpus* μετωνυμικῶς πλέγμα. At *juncus* eam ad rem utilissimus. Virg. Ecl. II.

—— *Quorum indiget usus*

Viminibus, mollique parus detexere junco.

Et Germanis *scirpus* sive *juncus* dicitur *bintz* a *binden*, quod est, *ligare*, *vincire*. Vossius.

73 *Invenies alium, si te hic fastidit Alexim*] Alium Alexim, alium puerum formosissimum, qui te minime spernat. Et volunt quidam, in hoc loco esse allegoriam antiqnam, in Augustum: ut intelligamus, Invenies alium imperatorem, si te Augustus contemnit, pro agris rogantem. Sed melius simplieiter accipimus hunc locum. Nam nihil habet, quod possit ad Cæsarem trahi: illud vero paulo post, pene aperte dicetur in Augustum Cæsarem, *Quoniam sors omnia versat.* Servius.

Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim] Hoc versu tria sunt, quæ Romanus codex aliter legit, quam vulgata habeant exemplaria. Primo quidem *invenies*, cum nota syllabam esse longam denotante, quod multi legunt *inveniens* participii voce. Alterum, quod nonnullis negotium facessit, est verbum *fastidat* per syncopam, pro *fastidiat*, quod jam antiquatum est. Elocutionem vero ejusmodi figuræ No. Marcellus apud Ennium observavit. Tertium est *Alexin* quarto casu, quod ideo probandum videtur, quia recipitur a Servio. In Longobardico abrasa est littera, quæ post i succedebat. In Oblongo i et s ultimæ litteræ alieno sunt atramento, et manu. In Romano vero *Alexim* per m, Latino declinatu scriptum est. *Pierius.*

Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim] Versum hunc e Theocrito sumptum quis non videt? ejus versus e Cyclope est,

Εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον, ἄλλαν.

Rufinus in epigrammate,

—— μὴ κλαῖε τέκνον, χ' εὑρήσομεν ἄλλον,

Μηκέτι τὸν βλάπτειν εἰδότα, μηδὲ δέρειν.

Ursinus.

ECLOGA III.

1 *Dic mihi Damœta*] Transit in Eclogam plenam litigii, et pastoralium convitiorum. Qui enim Bucolica scribit, curare debet ante omnia, ne similes sibi sint eclogæ: quod etiam Virgilius fecit. Nam prima, habet unius otium: et alterius, qui de suo agro pellitur, conquestionem. Secunda, amantem exprimit rusticum. Hæc vero, lites habet et altercationem. Unde etiam dramatico charactere scripta est. nam nusquam poëta loquitur: sed introductæ tantum personæ. Novimus autem tres esse characteres dicendi: Unum exegematicum, in quo tantum poëta loquitur: alterum dramaticum, ut est in comœdiis et tragœdiis. Tertium mistum, ut est in Æneide: nam et poëta illic, et introductæ personæ loquuntur. Hos autem omnes characteres in Bucolico esse convenit carmine: sicut liber etiam iste demonstrat. Nam habet illum exegematicum, in quo tantum poëta loquitur: *at, Sicelides Musæ, paulo majora canamus.* Habet mistum, ut, *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Nam etiam Gallum illic inducit loquentem. Habet dramaticum, ut in prima Ecloga: item in hac, quam miro ordine, ex rebus communibus veniente, composuit. Habet enim, in ipso quasi primo occursu, lites et jurgia: inde quæritur judex, quo præsente, habeant conflictum et disceptationem. Sequitur inde sententia, quæ universa concludit. *Servius.*

Dic mihi, Damœta] Locus hic translatus est ex illo Theocriti in Idyll. IV.

Εἰπέ μοι, ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες; ἢ ῥὰ Φιλώνδα;
Οὐκ, ἀλλ' Αἴγωνος. βόσκεν δέ μοι αὐτὰς ὄπωπεν.

Totius autem eclogæ argumentum videri potest sumptum e Theocriti Batto, et Bucoliastis. *Ursinus.*

Dic mihi, &c.] Semper τὸ *Dic mihi*, injuriosum est, ait Donatus ad Andr. act. IV, 1. aut curiosius interrogantis, ut idem in Hecyra. Igitur malignis oculis et vultuosa fronte gregem emaciatum notans, hoc dicit. De versus autem hujus simplicitate, quæ perfectionis quædam pars est, videatur Scalig. Poët. II. 29. *Taubmann.*

Cujum pecus] Ab amaritudine cœpit. Nam dicendo, cujum pecus, ostendit eum esse mercenarium. Est autem Theocriti carmen, εἰπέ μοι, ὦ Κορυδών, τίνος αἱ βόες; ἢ ῥὰ Φιλώνδα; Οὐκ, ἀλλ' Αἴγωνος. Cujum autem antique ait, vitans ὁμοιοτέλευτον, ne diceret cujus pecus: quod modo trium est generum. Antiqui dicebant sicut meus, mea, meum, sic cujus, cuja, cujum. Terentius, *Quid virgo, cuja est?* Servius.

Cujum pecus] Dixerunt veteres, *cujus, cuja, cujum.* Ter. Eun. *Virgo cuja est?* Plaut. Curc. *Cujam vocem audio?* In Rud. *Argentum pro istis ambabus, cujæ erant, domino dedi.* Ibid. ex emendatione Jani Guilel. *Cuja ad aures vox mi advolavit?* Posteriore quoque ævo. Arnob. l. I. *Nonne cogitatio vos subit considerare, disquirere, in cuja possessione versemini? cuja in re sitis?* Cerda.

An Melibœi] Quia dubitat de domino, videtur sentire, Damœtam vulgarem esse mercenarium, et qui quibusvis suam operam locet. Damœtas vero, ut contra ægre faceret: Non, inquit, Melibœi, sed Ægonis: nomen rivalis ad odium subjiciens, ut illum ejus opulentia remorderet. Deinde, ut se a calumnia emacerati gregis eximeret, tempore se defendit. *Nannius.*

An Mèlibœi? D. *Non: verum Ægo-*

nis] Hoc rivalis nomen prolatum Menalcæ animum percussit. Gnathonis erat consilium Ter. Eun. III. 1. 5. *Continuo, &c. Denique par pari referto.* Emmeness.

2 *Non: verum Ægonis*] Amare etiam hæc rivalis ejus pecora esse dicit: et ut divitias illius ostendat: et dicat duras esse hujus partes, si quidem rivalis ejus, traditis ovibus, solus amicæ communis amoribus vacet. *Servius.*

Mihi tradidit] Meæ fidei commisit, et credidit. *Idem.*

Nuper mihi tradidit Ægon] Ut in tantam brevitatem temporis ea culpa cadere non posset. *Nuper*] Hic *jam, jam.* Nannius.

Tradidit] Vel simpliciter transtulit, vel mihi commendavit. Horatius,

—— *Ut sibi te laudare et tradere coner.*

Idem.

3 *Infelix o semper ovis pecus*] Ordo est, o infelix pecus semper ovis: id est semper futurum imbecille. *Servius.*

Infelix o semper ovis pecus] In Romano codice *oves* scriptum est: et ita prius erat in Longobardico: postea *e* abrasum fuit, quod adhuc discernitur, et appositum *i* alio atramento. Habet porro nescio quid venustius oratio hæc, *o oves*, per appositionem, *infelix pecus.* Quod si, *ovis*, pro *ovium*, cuipiam magis placuerit, suo unusquisque arbitratu faciat. *Pierius.*

Infelix o semper ovis pecus] Theocr. Idyl. IV.

Δειλαῖαί γ' αἶγες, τὸν βουκόλον ὃς κακὸν εὗρον.

Ursinus.

Neæram] Amicam communem suam et Menalcæ. *Servius.*

Neæram] Hom. Odyss. M. Δῖα Νέαιρα. Timoclis Neæram citat Athenæus l. XIII. quam forte C. Licinius Imbrex imitatus est in ea comœdia, quam Neæram inscripsit. ejus autem meminit A. Gellius. *Ursinus.*

4 *Dum fovet*] Dum amplectitur. *Servius.*

Ipse Neæram Dum fovet] Neæra hic communis amica, qua cum frui vellet, gregem Damœtæ commendavit. Sic etiam alibi Tityro tutelam gregis committit, dum ad Amaryllida comeatum proficiscitur:

Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas.

Nannius.

Dum fovet] Cum blanditiis aliquem delinimus, fovere dicimur hominem. Cicero ad Q. Fratr. *Puto per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium.* Idem ep. ad P. Lent. I. 9. *Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me præsente osculabantur.* Virg. Æn. I. 695.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, et fotum gremio Dea tollit in altos.

Ovid. ep. Heroïd. IV. 16.

Adsit, et, ut nostras avido fovet igne medullas,
Figat sic animos in mea vota tuos.

Amantibus hoc curæ, qui nullum officii genus intermittentes, amplexibus fatigant insinuantque se, ut amoribus expetitis potiantur. Ducta metaphora ad similitudinem avium pullos alis foventium, aut ovis incubantium. Virg. Æn. I. 721.

—— *Hæc oculis, hæc pectore toto*
Hæret, et interdum gremio fovet inscia Dido.

et VIII. 387.

—— *Et niveis hinc atque hinc Diva lacertis*
Cunctantem amplexu molli fovet.

Emmeness.

Præferat illa, veretur] Ac si diceret, ideo timet ab illa discedere: quia scit me præferri, si ipse discesserit. *Servius.*

Ne me sibi præferat illa veretur] Accipienda hæc de rivalitate: quo pertinent verba illa Senecæ Tragici: *Nec*

magna sociam ferre, nec tedæ valent. Cerda.

5 *Hic alienus ovis custos bis mulget in hora*] Contemptim, et averso vultu, quasi ad alium loquatur, personam mutat, et a secunda ad tertiam transit, quasi cum ipso dedignatus loqui. *Nannius.*

Hic alienus ovis custos bis mulget in hora] Quod eadem dictione *oves* Longobardico legitur, accusativum esse casum *ovis* vel *oveis* indicat. Non enim dicendum, *Custos ovis*, sed bis mulget oves. *Pierius.*

Bis mulget in hora] Quod vix per totum diem potest in ovibus fœcundis fieri. Nam pro laude in Georgicis posuit, bis ad diem mulgeri oves: dicens, *Quod surgente die mulsere horisque diurnis, Nocte premunt: quod jam tenebris et sole cadente, Sub lucem exportant calathis.* Quid autem sit, bis mulget in hora, ipse dicit. *Servius.*

Bis mulget in hora] Servi nequam peculium suum amplificaturi, clam dominis mulgebant pecus. Ideo Corydon apud Theocr. Idyll. IV. 3. (quod idem, ac nostra ecloga, habet principium) Corydontem Battus rogat,

Ἦ ῥά νύ τοι κρύβδαν τὰ ποθέοντερα πᾶσαν ἀμέλγες;

Servi insciis dominis mulgentes pecus, ut Justinianus docet, et lac vendentes, verberibus excepti, mercede insuper excidebant. Hunc Maronis versum citat Scal. ad Festum in voce catillatio. *Emmeness.*

6 *Et succus pecori, et lac subducitur agnis. Parcius*] Melius hic distinguitur: licet possit dici etiam, parcius ista. Sensus autem est, Noli valde hæc objicere, tamen scias viris fortibus objiciendas rapinas. Ipse enim ait in nono Æn. 613. *Convectare juvat prædas, et vivere rapto.* Servius.

Et succus pecori, et lac subducitur agnis] Passim inolevit ut *succus* duplici *c c* scribatur. In antiquis tamen his codicibus omnibus, et ils ipsis, qui litteras geminare, etiam sine delectu, gaudent, *succus* unico *c* scribitur: quod et ipsa analogia exposcere videtur, nisi quis non a sugo, sed a suctu *succum* deduci velit, et propterea geminari *c c* contendat. Notat vero versum hunc Val. Probus, in quo nulla fiat synalœphe, quum plerunque vocales inter se concurrant, neque tamen ulla elidatur. *Pierius.*

Lac subducitur] Id est, furtim subtrahitur, ut Donat. ad Ter. Eun. IV. 7. 25. *Et cum eo clam te subduxti mihi?* Plaut. Curcul. II. 3. 81. *Caput deposuit: condormiscit. Ego ei subduco amicum.* Mart. Epigr. X. 29.

Nuper cum Myrino peteretur missile læso:
Subduxit mappas quatuor Hermogenes.

Cic. Tusc. quæst. II. 17. *Subduc cibum athletæ, ferre non poterit.* Emmeness.

Viris] Quemadmodum *impudici* appellantur, qui consueverunt cum viris, ut Torrent. ad Suet. in August. c. 34. Sic *viri* dicuntur, qui ab ista impudicitiæ infamia abhorrent. Idem in Vesp. c. 13. *Ego tamen vir sum.* Cic. pro Cælio c. 5. *De ejus fama, ac pudicitia, cum is jam se corroboravisset, ac vir inter viros esset.* Sæpe pro viro forti, ut, Ter. Eun. I. 2. 74. *En noster! laudo: tandem perdoluit: vir es:* ubi Donatus: *Non puer, sed jam vir, qui meretricem contemnis.* In Ad. IV. 2. 25. *Laudo, Ctesipho; patrissas: abi, virum te judico.* Emmeness.

8 *Novimus et qui te*] Subaudi corruperunt, quod oppressit verecunde: licet Theocritus aperte ipsam turpitudinem ponat et exprimat. Ἦ οὐ μέμν' ὅτ' ἐγὼν τὸ κατήλασα, καὶ τὸ σεσαρὼς Εὐ πόκα κιγκλίζεν. *Servius.*

Qui te] Turpitudinem noster suppressit, quam Theocrit. Idyll. v. expressit. *Taubmannus.*

Transversa tuentibus hircis] Hircos, id est, capros, libidinosa constat esse animalia. Unde Horatius, *Libidinosis*

immolabitur caper, et agna tempestatibus. Quod etiam Plinius Secundus dicit, *Hirci si casu aliquos coëuntes vident, adeo indignantur, ut in eos pene impetum faciant.* Hinc est, *Transversa tuentibus hircis*, id est vestram turpitudinem indignantibus. Alii hoc improbant, et legunt *hirquis*. Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum, in vitiis corporalibus; ut sit sensus, Novimus, qui te corruperit, hirquis transversa tuentibus: et est Hypallage, pro oculis in hirquos retortis: quem rem solet libido perficere. Unde Juvenalis, *Oculosque in fine trementes.* Persius: *Patranti fractus ocello.* Servius.

Transversa tuentibus hircis] Id est, oculis libidinosis, Venereis. Pro quo Ter. in Eun. III. 5. 53. *Limis oculis.* Ovid. Am. III. 37. *Limis ocellis.* Plaut. in Bacch. v. 2. 12. *Limulis.* Quales solent esse amatorum, qui libidinem profitentur, vel ut Ovid. de art. am. I. 573.

—— *Oculis spectare fatentibus ignem.* Petron. *Petulantibus.* Horat. od. I. 36. *Putribus.* Vetus Poëta: *Patrantibus.* Apul. l. x. *Commorsicantibus.* et l. III. *Tremulis, et prona libidine marcidis.* Pro quo Ovid. de art. am. l. II. *Tremulo fulgore micantibus*, qui κυμαίνοντες Græce, quales εὐαφρόδιτον ἄνδρα δηλοῦσιν. Nihil notius est, quam Venerem *petis oculis* depingi, de quibus Plin. I. 37. *Emmeness.*

Hircis] Antiquioribus *hirquis*, quod se in Oblongo codice invenisse testatur Pierius, et a nonnullis receptum ait Servius. Romanus vero, et alter perantiquus cum Mediceo: *hircis*, atque ita in Longobardico. *Ircis* olim spiritu defectum fuit. *Firquis* Fabio, l. I. et Varroni de L. L. l. IV. *Idem.*

9 *Sed faciles Nymphæ risere*] Ideo (inquit) indulsere Nymphæ, quia mites sunt et exorabiles. Sic in Georgicis, *Et faciles venerare Napæas.* Servius.

Faciles risere] Ἵλαιοι καὶ εὐμένεες Theocr. Idyll. v. 18. *hirquitillare* vocat Vossius, Græce τραγίζειν. Benigni et concedentis animi indicium est in Diis risus. Martial. Epigr. I. 14.

Riserunt faciles, et tribuere Dei.

Faciles Nymphæ sunt propitiæ, quæ, cum sit violatus lucus libidine Menalcæ, tam violento id animo non ferunt. Ovid. Trist. I. 5. 15.

Di tibi sint faciles, et opis nullius egentem
Fortunam præstent, dissimilemque meæ.

Juven. sat. x. 7.

Evertere domos totas optantibus ipsis
Dii faciles.

Ter. in Heaut. II. 1. 5. *Mihi si unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre.* Idem in Hec. v. 1. 34. *Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit.* Distinguit in Ad. v. 4. 7. Donatus inter facilitatem et clementiam: *Facilis est, cujus ira cito solvitur: Clemens, qui non irascitur.* Emmeness.

Sacello] Id est in loco sacro. nam diminutive dictum est. *Servius.*

10 *Tum, credo*] Et rustice et naturaliter respondet. non enim ante purgat objecta, sed alia objicit. Ita enim irati facere consueverunt, cum aut non potuerint, aut noluerint objecta dissolvere. *Idem.*

Tum, credo] Per ironiam et rustice et naturaliter respondet. Non enim ante purgat objecta, sed alia objicit; ut solent irati, qui non tam sui defensionem quærunt, quam infamationem alterius. Tum, inquit, (ut credo) risere Nymphæ, cum te viderunt arbusta et vineam Myconis nefario ausu vastare. *Lex* x. Virorum: Qui *injuria arbores alienas ceciderit, in singulas* XXV. *æris luito.* de quo Plinius l. XVII. Ita Justinianus: οἱ δένδρα, καὶ μάλιστα ἀμπέλους, τέμνοντες, ὡς λῃσταὶ κολάζονται. Etiam Serv. notat, Capitale fuisse, arbores alienas incidere. *Taubmann.*

11 *Mala falce*] Quia tu male ute-

ris. Et dictum est ex affectu utentis. sicut, *Inutile ferrum cingitur*. In hoc autem maximum nefas est, quod ait, *vites novellas*. Nam vetulæ et cum utilitate inciduntur. Fuerat autem capitale supplicium, arbores alienas incidere. *Servius.*

Et arbustum] Quidam locum in quo arbores sunt, volunt accipere; sicut salictum. *Idem.*

Incidere] Arbores alienas incidere capitale olim fuit, quod monet Servius. Cujacius quoque Observ. IX. 12. de arboribus furtim cæsis ait: actione coërceri latrones, qui arbores, et maximè vites, ceciderint. Additque actionem esse legitimam in eos, qui arbores *cædunt, cingunt, secant*. Has voces ille explicat. adi. Quadrant verba hæc Justiniani ab Urs. adducta, οἱ δένδρα, καὶ μάλιστα ἡμερίλους, τέμνοντες, ὡς χροναὶ κολάζονται. *Qui arbores et vites maxime incidunt, subeunt latronum pœnas.* Plin. etiam XVII. 1. *Fuit et arborum cura legibus priscis, cautumque est* 12. *tabulis, ut qui injuria cecidisset alienas, lueret in singulas æris* 25. De eadem re exstat lex lata veterum apud Albericum: *Sciendum est autem eos, qui arbores, et maxime vites, ceciderint, etiam tanquam latrones puniri.* Idem legem aliam profert, ubi signatur pœna, ἐὰν τις κόψῃ ἡμερλον, ἢ ἄλλο δένδρον, χειροκοπείσθω: *si quis ceciderit vitem, aut aliam arborem, abscindantur huic manus.* Cerda.

12 *Cum Daphnidis arcum*] Val. Prob. legit *Daphnidos* Græca declinatione. *Pierius.*

Arcum et calamos] Nam habent arma pastores: ut in Georgicis docuit, *Armaque, Amycleumque canem, Cressamque pharetram.* Servius.

13 *Calamos*] Id est, sagittas. Juven. Sat. XI. 80.

Per calamos venatricis pharetramque Minervæ.

Ovid. Met. VIII. 30.

Imposito patulos calamo sinuaverat arcus.

Propert. El. II. 19.

Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, et stricto figere aves calamo.

Emmeness.

Perverse Menalcæ] Aut converse ad turpitudinem. aut intelligamus quendam fuisse Menalcam nobilem: ut istum perversum Menalcam dixerit illius comparatione. Sic Sallust. *Scævus iste Romulus.* Servius.

Perverse] Qui aversis oculis, et iniquis intuebare Daphnidem, ut qui invidus esses, et libidinosus. Certe Cic. Nat. I. *Oculi perversi ut Strabonum*, dixit. Apollon. l. II. δίμματα λοξά. Atqui perversitas oculorum nota est invidi et libidinosi, quæ duo vitia hic Menalcæ objiciuntur. De invido Horat. epist. I. 14. 37.

—— *obliquo oculo mea commoda quisquam*
Limat.

De libidinosis exemplum est apud Ovid. Art. I. de Pasiphaë irata in vaccam, quæ taurum suum amabat:

Ah quoties vultu vaccam spectavit iniquo;
Et dixit: domino cur placet ista meo!

Dido quoque Æn. IV. inducitur intuens *aversa*. Cerda.

Perverse] Ad animum videtur etiam referri posse. Theocr. Idyll. v. 12. κακὸν appellat. Valla v. 31. *Perversus est*, inquit, *qui in malo versatur, et a bono versus est.* Plaut. in Truc. I. 1. 51. *Cum et hic et illic pervorsus es.* In Pers. III. 1. 30. *Si quid fieri pervorse videt.* id est, male. *Emmeness.*

Dolebas] Excarnificat dolor, ex invidia contractus, nec ullo gemitu delinitur, ut Phædr. in præfat. III. 60. Cui contra, cum factum est satis, nihil vindicta amœnius, ut Juven. sat. XIII. 178.

—— *Sed corpore trunco*
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
At vindicta, bonum vitæ jucundius ipsa.

De acerbissimo isto tormento, quo βασκαίνοντες τήκονται, ut Theocr. Idyll. VI. 12. Horat. Epist. I. 2. 57.

Invidus alterius macrescit rebus opimis.
Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

Docent idem verba sequentia:

Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

Emmeness.

15 *Aliqua nocuisses*] Id est aliquatenus, aliqua ratione. *Servius.*

Aliqua] Scil. via, aut ratione; aliquatenus. Ovid. De Ponto, III. 4. *Juvissent aliqua forsitan illud opus.* Frequentissimum Comicis. *Taubmann.*

16 *Quid domini faciant, audent cum talia fures*] Plerunque personæ suis nominibus exprimuntur; plerunque per officia designantur. Ut si dicas, philosophus: nomen ipsum ponis. Si autem velis dicere, sapientiæ operam dans: personam exprimis per officium, sicut hoc loco fecit: nam pro servo, furem posuit. Furta enim specialiter servorum sunt. Sic Plautus de servo, *Tu trium literarum homo, vituperas me?* Id est, fur. *Servius.*

Quid domini facient] Romanus, et alter pervetus codex *faciant* habent. In Oblongo, et in Mediceo *a* littera superinducta. In Longobardico abrasa dictio est. *Pierius.*

Fures] Sic servi, ut Ter. in Eu. IV. 7. 6. *Manipulus furum.* Plaut. Asin. II. 4. 16. *Cui nunquam unam rem me licet semel præcipere furi.* Emmeness.

17 *Non ego te vidi*] Manifeste eum furti arguit, dicendo, vidi. *Servius.*

Non ego te vidi] Est aliqua in respondendo figura, ut Quintilianus ait, quum aliud interroganti, ad aliud, quia sic utilius videatur, occurritur, tum augendi criminis gratia, ut testis rogatus, *an ab reo vapulasset*, respondit, *innocens.* Tum declinandi, ut quæro *an occideris hominem*, respondetur, *latronem.* Et in Buc. dicenti, *Non ego te vidi*, respondetur, *An mihi cantando victus.* Pierius.

18 *Excipere*] Dolo capere: ut, *Excipit incautum insidiis.* Servius.

Excipere insidiis] Id est, fraude circumvenire, quod Apollod. II. 969. λοχᾶσθαι. Eleganter Cic. ep. ad Att. VIII. 11. *Admoniti sumus, ut caveremus ne exciperemur a Cæsare.* Emmeness.

Latrante Lycisca] Lyciscæ sunt, ut etiam Plinius dicit, canes nati ex lupis et canibus, cum inter se forte miscentur. *Servius.*

Multum latrante Lycisca] Id est, vehementer pro re domini latrante, et ingentem strepitum excitante. Lycisca, an sit canis ex lupo et cane natus, ut vult Nannius, nihil moror. Ex lupo canes concipere verum est ex Plin. VIII. 40. ubi plura de fidelitate hujus bestiæ, ad quem locum vide Vlitium ad Gratii Cyneg. p. 201. et 202. *Nape* vocatur canis e lupo genita, ut Ovid. Met. III. 214. et 220.

Et Thous, et Cyprio velox cum fratre Lycisce.

Emmeness.

19 *Proripit*] Ingerit, immittit. *Servius.*

Ille] Fur. *Idem.*

20 *Tityre*] Alius pastor. *Idem.*

Coge] Id est, collige, et in unum redige. *Idem.*

Tityre, coge pecus] Ne in dispersis idem patiatur, quod Damon quasi communis prædo intervenerit. *Nannius.*

Post carecta latebas] Loca caricis plena. Carex autem, herba est acuta, et durissima, spartho similis. Alibi, *Et carice pastus acuta.* Sane hoc loco, superfluam volunt esse allegoriam, dicentes rem nusquam lectam de Virgilio. Ajunt enim hoc, Varus, tragœdiarum scriptor, habuit uxorem literatissimam, cum qua Virgilius adulterium solebat admittere: cui etiam dedit scriptam tragœdiam, quam illa marito dedit, tanquam a se scriptam.

Hanc recitavit pro sua Varus: quam rem Virgilius dicit per allegoriam: nam tragœdiæ præmium caper fuerat: Horatius, *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Sed melius simpliciter accipimus; refutandæ enim sunt allegoriæ in bucolico certamine: nisi, ut supra diximus, ex aliqua agrorum perditorum necessitate descendunt. *An*, pro ergo, ut Comminianus dicit. *Servius.*

Post carecta latebas] Non scribendum per duplex *r*, ut in quibusdam glossis. *Carectum* dicitur, ut *frutectum* apud Solin. c. 30. pro *fruticeto*, ut *salictum* pro *saliceto*. Vide Ecl. I. 50. et Salmas. ad Solin. p. 405. Carex a nostratibus teste Dodonæo *Helm*, Gallis *Jonc de dunes*. Emmen.

23 *Meus caper*] Debitus, merito victoriæ. *Servius.*

24 *Reddere posse*] Scilicet ne suo judicio videretur esse superatus. *Idem.*

25 *Cantando tu illum*] Imperitus peritum. *Idem.*

Cantando tu illum] Tu, qui ἄμουσος es, sustines me provocare musices peritissimum? Non fas est, vel ut verbis utar Theocriti Idyl. v. 136.

Οὐ θεμιτὸν Λάκων ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδεν,
Οὐδ' ἔποπας κύνεσσι, τὺ δ' ὦ τάλαν ἐσσὶ φιλεχθής.

Inest huic ἐρωτήσει emphasis et aculeus, qui præter gestum et pronuntiationem, non leviter pungit adversarium. Vide quæ dicuntur ad vs. 28. *Emmeness.*

Cera Juncta fuit] Supra, *Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit.* Servius.

Aut unquam tibi fistula cera Juncta fuit] In Romano codice et in aliquot aliis legere est *vincta fuit*. Placet tamen *juncta* multo magis; ut, *Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit.* In Mediceo autem codice sententia per *haud* adverbium negandi est: ut interrogatio sit per reticentiam, *Cantando tu illum?* Inde adversario adnuente subjungat, *Haud unquam tibi fistula cera Juncta fuit.* Inde per alteram interrogationem, *Non tu in triviis*, argumentetur, minime fieri potuisse, ut cantando vinceret. *Pierius.*

26 *Juncta fuit*] Recte *juncta*. Nemesian. Ecl. I. 58.

Tu calamos aptare labris et jungere cera.

Ecl. III. 14.

Quas ego Mœnaliis cera conjungo sub antris.

Exprobrans Laconi imperitiam Comatas apud Theocr. Idyll. v. 5. his in adversarium invehitur: τὺ γὰρ πόκα δᾶλε Συβάρτα Ἐκτάδων σύριγγα. *Emm.*

In triviis] Consuetudo enim fuerat, ut per trivia et quadrivia ulularent, et flebile quiddam in honorem Dianæ canerent rustici, ad reddendam Cereris imitationem, quæ raptam Proserpinam in triviis clamore requirebat. Novimus autem eandem esse Proserpinam, quam Dianam. Sic in Æneide, *Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes.* Servius.

In triviis] Trivia et quadrivia sunt spatia, in quibus ad tres quatuorve vias deflectimus. Juven. Sat. VI. 410.

Quocunque in trivio, cuicunque est obvia narrat.

Præerat triviis Diana, quæ *Trivia* Catull. Epigr. XXXV. *Tu potens Trivia.* Rationem reddit Varro de L. L. l. VI. Dedicata fuerunt rusticorum sacris, in iis oves cædebantur, et serta suspendebantur. Inde Noster hoc loco: *in triviis*, id est, in rusticorum cœtu. Tibull. l. IV.

Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Canis apud Phædrum Fab. I. 28. *conceptus* dicitur *in trivio*, quod eleganter ad homines humiles et abjectos. Inde *carmen triviale*, quod tenue et invenustum est, Juvenali Sat. VII. 55. quale solet proficisci a rudioribus, qui artis musicæ expertes sunt. *Emmeness.*

27 *Miserum carmen*] Triste, flebile, quale canunt stipulæ: et quod congruit ad imitationem matris orbatæ. *Servius.*

Miserum] Quasi Musicæ tam male tractatæ vicem doleat. *Taubmann.*

Miserum] Stillantes voces, *male singultantia verba:* ut Calpurn. Ecl. VI. 24. *Emmeness.*

Stridenti stipula] Id est, offendente aures insuavi et incondito sono. Nemes. Ecl. III. 11.

Tum Pan excussus sonitu stridentis avenæ.

Et Calpurn. Ecl. III. 60.

—— *acerbæ stridor avenæ.*

Emmeness.

Disperdere] Id est, non scienter tibia canere, inconcinne modulari: sic Propert. el. II. 33.

—— *Duro perdere verba sono.*

Ovid. Heroid. ep. VII. 5.

Sed merita et famam, corpusque animumque pudicum
Cum mala perdiderim; perdere verba leve est.

Qualiscumque sit sonus fistulæ, imperito placet rustico. Talia *pastoria sibila* videtur arundine excitasse Lacon apud Theocr. Idyll. v. 6.

—— τί δ'; οὐκέτι σὺν Κορύδωνι
Ἀρκεῖ τοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι.

Inde Panos *Fistula garrula* dicitur Tibull. el. II. 5. *Emmeness.*

28 *Vis ergo inter nos*] Aut nostri comparatione, aut quod melius est, nullo judice præsente. Postea enim ex improviso Palæmon adveniet. *Servius.*

Vis ergo] Donat. ad illud Ter. Ad. IV. 2. *Dic ergo locum;* notat: *Ergo* semper addimus, ut reprehendamus, aut hortemur tarde quid facientes. Virg. Æn. II. *ergo age, care pater, cervici imponere nostræ.* Idem ad Hecyr. I. 1. *Taubmann.*

Vicissim Experiamur] Id est, amœbæo carmine. Amœbæum autem est, quoties ii qui canunt et æquali numero versuum utuntur, et ita se habet ipsa responsio, ut aut majus aut contrarium aliquid dicat, sicut hic sequentia indicabunt. *Servius.*

Vicissim] Ἀμοιβαίῳ carmine. *Taubm.*

Vicissim Experiamur] Ad superiores versus et hunc *Vis ergo, &c.* allusit Calpurn. Ecl. VI. 19.

Vis conferre manus? veniat licet arbiter Alcon.
Vincere tu quemquam? vel te certamine quisquam
Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces
Rumpis, et expellis male singultantia verba?

Sic inauspicato Menalcas Daphnidem provocat apud Theocr. Idyll. VIII. 6.

—— λῇς μοι ἀεῖσαι;

et vs. 11.

Χρῄσδεις δ' ἂν ἐσιδεῖν; χρῄσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;
Δάφνις.
Χρῄσδω τοῦτ' ἐσιδεῖν, χρῄσδω καταθεῖναι ἄεθλον.

Emmeness.

29 *Ego hanc vitulam*] Subdistingue, ut ita intelligamus, Ne eam vilem existimes. *Servius.*

Vitulam] Theocr. Idyll. VIII. 14.

Μόσχον ἐγὼ θησῶ, τὺ δὲ θὲς γ' ἰσομάτορα ἀμνόν.

Notat Vossius etiam vitulæ nomen manere post partum. De origine hujus vocabuli in Etymologico plura. *Emmeness.*

30 *Bis venit ad mulctram; binos alit ubere fœtus*] Ut eam laudare ex fœtu, et ex ætate videatur. Male enim quidam quæstionem movent, dicentes, vitulam parvam esse: nec congruere ut eam jam enixam esse dicamus: sed debere nos juvencam subaudire; ut sit, *Ego hanc juvencam depono, vitulam ne forte recuses.* Nam et vitula, a viridiore ætate dicta est, sicut virgo: ut paulo post ipse dicturus est, *Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.* Item, *Et vitula tu dignus, et hic.* Unde et juvencam subaudire

non possumus: sed secundum superiorem sensum intelligamus. Vitula enim est nomen ætatis: non quod tantum ante partum vaccæ possideant. *Servius.*

Mulctrum] Græce πέλλα, ἀμολγεὺς, γαυλὸς, quod, teste Suida, ποιμενικὸν ἀγγεῖον, ὃ δέχεται τὸ γάλα. Idem Scholiast. Hom. Odyss. I. 223. Præter *mulctrale* dicitur et *mulctrum*, ut Horat. Epod. vi.

Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ.

Similis huic Maronis loco est Theocriti Idyll. I. 25.

Αἶγά τέ τοι δωσῶ διδυματόκον ἐς τρὶς ἀμέλξαι,
Ἃ δύ' ἔχοισ' ἐρίφως, ποταμέλγεται ἐς δύο πέλλας,

Et Idyll. VIII. 86.

Τήνῳ τὰν μιτύλαν δωσῶ τὰ δίδακτρά τοι αἶγα,
Ἅτις ὑπὲρ κεφαλᾶς αἰεὶ τὸν ἀμολγέα πληροῖ.

Emmeness.

Binos alit ubere fœtus] Si vitula est adhuc, quare *binos alit ubere fœtus?* Sed, ut apud Terentium, virgo dicitur quæ peperit, ut in Adelphis, *Puer natus: nihil habet virgo.* Sic virgo quæ parit. Ideo ad secundum partum virgo dicitur, postmodum mulier. hic post partum *vitula* dicitur pro vacca. *Philargyrius.*

31 *Depono*] In sponsione colloco, sequestro. *Servius.*

Depono] Qui inter se contendunt pignus aliquod deponunt, quod, finito certamine, victoris est. Cic. in Verr. *Inventum tamen esse fortem amicum, qui H. S. quingentis millibus depositis, id se perfecturum, polliceretur.* Emmeness.

Quo pignore] Qua sponsione, quia pignus sponsioni est. *Servius.*

32 *De grege non ausim quicquam deponere tecum*] Supra enim eum aliena pascere dixit animalia: ut, *Dic mihi Damœta, cujum pecus?* Idem.

De grege non ausim quicquam deponere tecum] Iisdem hoc verbis Theocr. Idyll. VIII. 15.

Οὐ θησῶ ποκα ἀμνόν.

Emmeness.

33 *Est mihi namque domi pater, est injusta noverca: Bisque die numerant, &c.*] Et hoc debetur Theocrito Idyll. VIII. 15.

——*ἐπεὶ χαλεπός θ' ὁ πατήρ μευ,*
Χἀ μάτηρ, τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι.

Id moris erat pastoribus, ad pascua exeuntem et stabulis reducem gregem numerare: quamvis se hoc indignum affirmet Polyphemus, Ovid. Met. XIII. 824.

Injusta noverca] Epitheton generale novercarum. *Servius.*

Injusta noverca] Si ne bonæ quidem novercæ ulli constiterint parvo, sed magno, ut Senec. ad Helv. c. 2. quid de sævis et injustis sperari potest? quæ natæ ferreo sunt sæculo, ut Ovid. Met. I. 147.

Lurida terribiles miscent aconita novercæ.

Injusta igitur, id est, dura, quæque privignos præter jus et æquum exercet. Vide Ge. III. 346. *Emmeness.*

34 *Bisque die numerant ambo pecus*] Et dum vadit ad pascua, et dum inde revertitur. *Servius.*

Alter et hædos] Male quidam privignum accipiunt: *alter* enim, de duobus dicimus, non de tribus; unde alter, de noverca intelligamus. Nec nos moveat quod *Alter* dixit de fœmina: nam et in subauditione ponuntur ea, quæ non possumus dicere et scimus: quia quoties hæc duo genera junguntur, masculinum præponderat fœminino. *Idem.*

36 *Insanire libet quoniam tibi*] Vel sub sponsione contendere; vel, quod melius est, carmina componere. Nam insani dicuntur poëtæ. *Idem.*

Insanire libet quoniam tibi] Hoc totum omnes fere per interpositionem legunt, et ad Damœtam referri volunt: qui sub sponsione certare velit

cum præstantiore. In Longobardico tria tantum verba parenthesi includuntur (*Insanire libet quoniam*). Inde est alterum membrum dimetrum anapæsticum hypercatalecticum, *tibi pocula ponam*. In Mediceo una coma claudantur verba duo tantum, *Insanire libet*: eadem sententia. Quare Menalcas, si lectionem hanc admittamus, *insanire* de se dixit, qui depositurus est contra vitulam id quod adversarius ipse multo majus esse fateatur. Unde Damœtæ locus est argumenti a comparatione, quod ejusdem artificis, et ejusdem pene operis et precii habeat pocula, nihil ea tamen ad vitulam. Reliquum est, Menalcam non nisi existimatione sua precium poculis facere potuisse. *Pierius.*

Insanire libet] Sine afflatu divino nullum carmen, quod sit sani coloris, proficiscitur a poëtis. Quare Democritus eos poëtarum numero eximit, qui Bacchico illo furore destituti sunt. Horat. de Art. Poët. vs. 206.

—— *Et excludit sanos Helicone poëtas*
Democritus.

Qui insaniunt, contigisse thyrsum dicuntur. Juven. Sat. VII. 60. Alludit Statius Sylv. l. II. in Genethliaco Lucani:

Docto pectora concitatus æstro.

Et post:

Et docti furor arduus Lucreti.

Emmeness.

Pocula Fagina] Quasi rem maximam. *Servius.*

Pocula Fagina] Fuit pastorum et pauperum uti vasis ligneis. Senec. in Oct.

Pectora pauper secura gerit,
Tenet e patula pocula fago.

Ovid. Fast. l. v.

Terra rubens crater, pocula fagus erat.

Tibull.

Fagineus astabat cum scyphus ante dapes.
Cerda.

Cælatum] *Cælatum* dixit pro *sculptum*. *Cælator* in Glossis Phil. exponitur, τορευτής. Nempe τορεύειν est *cælare*, ut τόρευμα *aurum* vel *argentum cælatum*. Usi *cælatoris* voce Fab. I. XI. et Juven. Sat. IX. *Cælatura* est apud Senecam, Epist. V. In Glossis exponitur τόρευσις. *Vossius.*

Divini opus Alcimedontis] Laus ab artifice. Cicero, *Polycleti esse dicebant*. Servius.

Divini Alcimedontis] Ab artifice commendat. Juven. Sat. XII. 43.

—— *Lances*
Parthenio factas.

Apud Phædr. in præfat. v. 26. *Marmori adscribitur Praxiteles, argento Miro. Divini*, id est, propter artem excellentis, humani quasi fastigium excedentis. *Divinos, θείους*, appellabant Lacones, ut Aristot. VII. 11. quos admirabantur. Cic. de Orat. I. 10. *Homo Divinus in dicendo*. Et ad Q. Frat. Ep. I. 2. *Quendam de cœlo Divinum hominem esse in provinciam delapsum putent*. Emmeness.

38 *Quibus torno facilis*] Donatus sic legit. Legitur tamen et *torno facili*: ad excludenda duo epitheta: quod est in Latinitate vitiosum, si sit, lenta facilis vitis. *Servius.*

Quibus torno facili] *Facili* quidem in veteribus omnibus exemplaribus uno excepto Romano scriptum est. In eo enim *fragilis* habetur, corrupte satis: nam viti epitheton hujusmodi non convenit, quare *facili torno* legas. *Pierius.*

Lenta quibus torno facili superaddita vitis] Τῶν ἐλύτρων est inquit vitem et ederæ corymbos in poculo per tornum exprimi vel imprimi posse. Sed γλυφάνῳ, id est, cælo factum est κισσίβιον, de quo Theocr. Idyll. I. 27. Est operæ, si legatur ad Plinian. exercitat. p. 1044. et 1049. *Salmasius.*

39 *Edera*] Juxta Pandectas Florentinas spiritus lenis est. Eodem modo scribit Festus, sine diphthongo, quem multi sequuntur, ut docet

Densquius exemplo Maronis Ecl. VIII. 13.

Inter victrices ederam tibi serpere lauros.

Qui deducunt ab *hæreo* diphthongum retinent: sed male. *Emmeness.*

Corymbos] Uvas hederarum. *Serv.*

Corymbos] Id est, uvas ederæ, ut recte Servius, edera enim sacra est Baccho, qui inde *Corymbifer* appellatur. Ovid. Fast. I. 393.

Festa corymbiferi celebrabas Græcia Bacchi.

Emmeness.

40 *Conon*] Dux fuit: cujus nomen dicit, quia in omnium ore versatur. nam philosophi tacent, quod non facile potest ad rusticum pervenire: et bene ea dicit philosophi quæ ad rusticum pertinent: ut, *Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.* Serv.

Conon] *Cononem* ducem interpretatur Servius, quum de Samio astrologo sit capiendum, ut Salmasius. V. etiam ad hunc locum R. Titium. II. 17. *Emm.*

Et, quis fuit alter] Dubitatio oblivionem confitentis decora in rustico. Innuit autem insignem aliqnem Cosmographum et Astronomum: quem alii alium aliumque suspicati sunt. Sed Jos. Scalig. De Emendat. temporum lib. I. cap. de Periodo Syracusana, *Archimedem* significari ait; et interpretes hic nugari. *Taubmann.*

41 *Descripsit*] Est mathematicorum vocabulum, qui in pulvere demensiones suas partiebantur Æn. VI. 849.

—— *cælique meatus*
Describent radio.

V. Torr. ad Hor. Od. II. 13. 23. *Emm.*

Radio] Id est, virga philosophorum, qua geometræ lineas indicant. Inventa autem hæc est ars, tempore quo Nilus plus æquo crescens confudit terminos possessionum: ad quos innovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis diviserunt agros: inde geometria dicitur: cum non tantum terræ, sed et maris, et cœli, et aëris spatia metiri consueverit. Significat autem aut Aratum, aut Ptolemæum, aut Eudoxum. *Servius.*

Totum orbem] Poëta de cœlo dixit, ut alibi:

Necdum orbem medium nox horis acta subibat,

id est, cœlum medium. *Medium cæli orbem* alio loco:

Sol medium cæli conscenderat igneus orbem.

Et *tener mundi orbis*, de cœlo in Eclogis. Archimedes *totum orbem radio descripsit*, qui totum cœlum descripsit, qui descriptus radio possit indicari. Nec enim hic *radius* dioptricum organum, sed radius mathematicus. Fusius illa tractat in exercitat. Plinian. p. 821. et seqq. *Salmasius.*

42 *Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet*] Id est, descripsit anni tempestatem ὥρας ἔτους, cum vario signorum ortu et obitu, ex quibus de semente et messe constaret agricolæ. De temporibus arandi et junctione boum Plinius XVIII. 19. *Emmeness.*

Curvus arator] Plin. XVIII. 19. *Arator, nisi incurvus, prævaricatur.* Lucianus in Timone σκάπτει ἐγκεκυφώς. et paullo post: ἔσκαψεν ἐγκεκυφώς. Apul. I. IX. *At dum fodiens, dum irrigans, ceteroque incurvus labore deseruit.* Sidonius Carm. V.

—— *Sic quondam consule curvo*
Vertebas terram.

Idem.

43 *Necdum illis labra admovi*] Hypallage, pocula enim labris adhibemus: ut *Dare classibus austros.* Et tantam in eis dicit venerationem, ut necdum illis usus fuerit. *Servius.*

44 *Idem Alcimedon*] Irrisio est facta iteratione verborum: et mire omnia in vituperationem trahit, quæ ille laudavit. *Servius.*

Et nobis fecit] Ac si diceret, Putas te solum habere pocula: cui enim Alcimedon non fecit? tu pro reverentia ea non tangis: ego ideo quia vilia esse existimo. *Idem.*

Et nobis, &c.] Irrisio est facta itera-

tione verborum. Et mire omnia in vituperationem trahit, quæ ille laudavit. Q. d. Putas te solum habere pocula? Cui enim Alcimedon non fecit? Tu præ reverentia, ea non tangis; ego ideo, quia vilia esse existimo: Servius: qui et Æn. x. versum hunc ironicum esse annotavit. *Taubmann.*

45 *Molli acantho*] Genus est floris: quia ille dixerat, *lenta vitis*. Servius.

Molli acantho] De acantho Ge. II. 119. *Molli*, vel quia mollibus est spinis, vel quod spinis careat, vel quod lenta, et in opere topiario facile flectatur, quod Theocr. Idyll. I. 55.

Παντᾶ δ' ἀμφὶ δένας περιπέπταται ὑγρὸς ἄκανθος.

ubi Scholiast. πανταχοῦ δὲ περὶ τὸ ποτήριον περιπέπταται καὶ περιέχυται ὑγρός τις ἄκανθος καὶ μαλακός. Salmasius in Plinian. exercitat. p. 535. *Mollem acanthum* dicit esse lentum, et in opere topiario flecti facilem. Virg. Ge. III. 77.

—— *Mollia crura reponit.*

Sic Æn. XI. 622.

—— *Mollia colla reflectunt.*

De acantho Plin. XXII. 22. et Vitruvius IV. 1. *Emmeness.*

46 *Silvasque sequentes*] Non secutas: sed quasi adhuc sequentes: ut peritiam artificis laudet. *Servius.*

Silvasque sequentis] Orphei Fab. Ovid. X. et Met. XI. 1. 2. et sqq.

Carmina dum tali silvas animosque ferarum
Threicius vates et saxa sequentia ducit.

Phædr. in præfat. l. III.

Linoque Apollo sit parens; Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit, et domuit feras
Hebrique tenuit impetus dulci mora.

Ovid. Trist. El. IV. 1. 17.

Cum traheret silvas Orpheus et dura canendo
Saxa, &c.

Vide Lambinum ad Horat. Od. I. 12. *Emmeness.*

48 *Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes*] Et *spectes* et *laudes*, conjunctivo modo in omnibus fere legitur exemplaribus; in Longobardico vero *spectas*, et *laudas*. Fatendi forma quippe, nihil est quod laudas pocula, id est, quas conditiones, quasve dotes in poculis enumeras. In Mediceo *spectas* tantum ea forma est. *Pierius.*

Si ad vitulam spectas, nihil est quod] Pro quo minus Latine, *non opus est*. Rectius cum Terentio E. v. 8. 34. *Si te in platea offendero hac post unquam, nihil est, quod dicas mihi.* Sexcenta collegit hujusmodi exempla Hadrian. Card. in elegantissimo libello de Lat. Serm. *Emmeness.*

49 *Nunquam hodie effugies*] Ac si diceret, Ne contendas: excusationes requiris: non quia æstimas vilia pocula. *Veniam*] Descendam. *Servius.*

50 *Audiat hæc tantum*] Subaudi aliquis. *Tantum* autem, quia suspicatur cum victum non posse cedere, qui ita etiam ante certamen est contumax. *Servius.*

Vel qui] Quasi requirentis est, cum subito venit Palæmon. Alii distinguunt: vel qui venit. Bene autem dubitat, ne eum ipse immisisse videatur, et sit credibile quod ad ejus judicet gratiam. Hoc etiam Damœtas sentiens, dicit,

Nec quenquam fugio] Id est, consentio ad eum judicem, quem tu eligis. *Servius.*

Vel qui] Venustas mira inest huic particulæ, pro *etiam*. Cic. Epist. ad fam. VII. 15. *quam sint morosi qui amant, vel ex hoc intelligi potest.* Ter. Eu. v. 8. 51. *Quod ego vel primum puto.* Plura apud Hadr. Cardinalem. *Emmenens.*

51 *Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas*] Haud alia est comminatio apud Ter. in Eu. IV. 7. 31. *Faciam ut hujus loci, dicique, meique semper meminerit.* Et in Phorm. v. 8.

38. *Age age nunc, Phormionem qui volet, lacessito. Fuco tali eum mactatum.*

52 *Quin age, si quid habes*] Ad cantum accingere, amputantes moras, in musicis periculum faciamus. Properantium formula est. Plaut. Stich. v. 4. 32. *Age, si quid agis.* et vs. 21. *Bibe, si bibis. I, si is.* Sed quid his notius? *Emmeness.*

In me mora non erit ulla] Plaut. Stich. v. 4. 28. *Non mora erit apud me.* Ter. in And. II. 5. 9. *Neque istic, neque alibi usquam tibi erit in me mora.* Emmeness.

Nec quemquam fugio] i. consentio etiam ad ediditium judicem. Est autem *Ediditius judex*, apud Ciceronem, quem una tantum pars edit, et eligit: ut contra *Arbiter*, quem ambæ. *Taubmann.*

Vicine Palæmon] Benevolum reddit ex vicinitatis commemoratione. Terentius, *Vel virtus me tua, vel vicinitas, quod ego in propinqua parte amicitiæ puto.* Servius.

54 *Sensibus hæc imis reponas*] Apud animum diligenter et recte recolito. Quo quid ad animum revocatur attentius, eo id perspicitur penitius. Virg. Æn. III. 388.

—— *Condita mente teneto.*

Sensibus reponere Græcis est, *βάλλειν φρεσὶ, γράφειν ἐν φρεσί.* Unde Ter. Andr. I. 5. 47. *O Mysis, Mysis, etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis.* Τίθεσθαι ἐπὶ φρεσὶ inquit Hom. Iliad. A. 55. Dubitat Torrentius ad Horat. Epod. XIV. quid sit *imis sensibus oblivionem diffundere.* Emmeness.

Res est non parva] Digna res est, ubi tu nervos intendas tuos. Extenuatio elegantis usus. Simili utitur Apuleius Met. l. III. *Neque parva res est, sed præcipue pacem civitatis cunctæ respiciens.* Pro quo Ter. in Phor. II. 4. 14. *Ego amplius deliberandum censeo, res magna est.* Emmeness.

55 *Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba*] Ita quidem absque *in* particula præpositiva in exemplaribus aliquot habetur: in nonnullis autem antiquissimis legere est: *Quandoquidem in molli:* qui numerus videtur prurire lascivius. *Pierius.*

56 *Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos*] Ipse alibi, *Parturit almus ager.* Sane bene subdidit,

Nunc frondent sylvæ, referens ad arbores steriles: nam *Parturiunt* de pomiferis dicimus. Vult autem tempus exprimere, quo et deliciæ sunt in agris, et rustici minus laborant: ut sit duplex ad cantilenam invitatio *Servius.*

Nunc formosissimus annus] *Annus*, pro parte anni. Horat. Epod. II.

At, cum tonantis annus hibernus Jovis
Imbreis, niveisque comparat.

Describit Noster horam verni temporis, ut Horat. de Art. Poët. vs. 302. Quod ὡραῖον formosum, ab ὥρα, quod κατ' ἐξοχὴν ver significat, ut Theophrastus de Causis IV. 9. ὥρα μαλακωτέρα καὶ γονιμωτέρα τῆς χειμερινῆς. Bioni Idyll. VI. præ ceteris anni horis vel tempestatibus καλὸν ἔαρ πλέον εὔαδεν· qui sic canit:

Εἶαρ ἐμοὶ τριπόθητον ὅλῳ λυκάβαντι παρείη,
Ἁνίκα μήτε κρύος, μήθ' ἅλιος ἄμμε βαρύνει.
Εἴαρι πάντα κύει, πάντ' εἴαρος ἁδέα βλαστεῖ,
Χ' ἁ νὺξ ἀνθρώποισιν ἴσα, καὶ ὁμοίιος ἀώς.

Emmeness.

58 *Incipe, Damœta: tu deinde sequere, Menalca*] Theocriti versus, expressus est ex Idyll. IX. Ὠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος, ἐφεψάσθω δὲ Μενάλκας. *Ursin.*

59 *Alternis dicetis*] Quia quasi iratus fuerat, quod Damœtæ prior locus dabatur: idcirco ait, *alternis dicetis.* In Amœbæo enim carmine difficilior pars respondentis est: qui non pro suo arbitrio aliquid dicit, sed aut majorem aut contrariam format responsionem: ut diximus supra. *Camœnæ*]

Musæ, quibus a cantu nomen est inditum. *Servius.*

Alternis dicetis] Vicissim, ut vs. 28. Idem Ecl. VII. 18.

Alternis igitur contendere versibus ambo

Capere: alternos Musæ meminisse volebant.

Theocr. Idyll. VIII. 61. ἀμοιβαῖον ἀείδειν. et vs. 81. ἀμοιβαῖον ὑπολαμβάνειν ἀοιδάν. *Alternis*, subaudi igitur, versibus, vicibus. Sic simpliciter Statius Theb. l. I.

—— *Paulum alternis in verba minasque.*

Conjungit utrumque Seneca: *Alternæ inter cupiditatem et pœnitentiam nostram vices sunt.* Emmeness.

60 *Ab Jove principium Musæ*] Vel Musæ meæ ab Jove est principium: vel, O Musæ, sumamus ab Jove principium. Est autem Arati, qui ait, Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐ δέ ποτ' ἄνδρες ἐῶμεν Ἄρρητον. μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα, Καὶ λιμένες. πάντῃ δὲ Διὸς περιναίομεθα πάντες. *Servius.*

Ab Jove principium Musæ] Sumptum ex Arato in principio Astronom. ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα: *Ab Jove incipiamus.* Theocr. Id. XVII. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε Μοῖσαι: *Ab Jove incipiamus, et in Jovem desinite Musæ.* Calpurn. Ecl. IV. iisdem hæsit,

Ab Jove principium, si quis amat æthera, sumat.

Ovid. Met. X.

Ab Jove Musa parens (cedunt Jovis omnia regno)

Carmina nostra move.

Potuerunt etiam Latini imitari Pind. qui in Nemæis,

Αἱ δὲ πρότιστον μὲν ὕμνησαν,
Διὸς ἀρχόμεναι.
Hæ autem imprimis canebant,
Incipientes ab Jove.

Cic. II. Legum: *Ab Jove Musarum primordia, sicut in Arati carmine, orsi sumus.* Cerda.

Ab Jove principium Musæ] De hoc solenni principio Turneb. XXIX. 26. et Macrob. I. 17. *Emmeness.*

Jovis omnia plena] Lucan. *Iuppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.* Ipse alibi, *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem.* Ipse enim est spiritus, sine quo nihil movetur aut regitur. *Servius.*

Jovis omnia plena] Hæc noster plenius Æn. VI. Ita Lucanus: *Iuppiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.* Nescio autem an huic affine sit illud Manilii, I. I. *Inque Deum Deus ipse tulit*, i. Deus ipse Deum in ipsos sacerdotes immisit: Θεὸς ἐνθεάζει αὐτούς. Vide et Cœl. Rhodig. XX. 10. *Taubmann.*

61 *Colit terras*] Amat. Cæterum superior colitur: non colit inferiorem. Sic alibi, *Unam posthabita coluisse Samo*, id est, amasse. Nec mirum si rusticus sumpsit ab Jove principium; quem amare terras constat, et habere carminum curam. *Servius.*

62 *Et me Phœbus amat*] Aut simile est quod dicit, quia unicuique deus is quem colit, summus videtur: ut, *Summe deum sancti custos Soractis Apollo:* ut Apollinem exæquaverit Jovi. Aut certe ordo sit talis, Me et Phœbus amat: ut et plus dicat, nec Jovi videatur Apollinem comparare. *Idem.*

Et me Phœbus amat] Id est, Cæsar: aut originem genituræ ex isto versu comprendit. Nam mater Virgilii fertur Maja, cum eundem paritura gravis esset, somniasse lauri fructum variis floribus ornatum genuisse. *Philargyrius.*

Sua Munera] Ipsi grata. Id est laurus et hyacinthus. Nam sciamus Daphnem Ladonis fluminis Arcadiæ filiam, dilectam ab Apolline, et Terræ miseratione in laurum conversam. Et Hyacinthum amatum, tam a Borea, quam ab Apolline: qui cum magis Apollinis amore lætaretur, dum exerceretur disco, ab irato Borea co-

dem disco est interemptus, et mutatus in florem nominis sui. *Servius.*

63 *Suave rubens hyacinthus*] Id est, pulchre, suaviter. In Ciri: *suave rubens narcissus.* Ecl. IV.

—— *Suave rubenti*
Murice.

Pro quo Papin. Sylv. II. dixit:

—— *Dulce rubenti*
Murice. Et Nemesian. Ecl. II.

—— *Dulce rubens hyacinthus.*

Cerda.

Suave rubens hyacinthus] De forma et colore hyacinthi fusius Salmas. in Plin. exercit. p. 1223. *Emmeness.*

Malo me Galatea petit lasciva puella] Sic nugantur amantes, cum se mutuo ad amorem incendunt, lacessunt, provocant. Quod Scholiast. ad Aristoph. de nub. III. 3. μηλοβολεῖν γὰρ ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν. Ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον Ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερόν. Pomo decepta est Cydippe, nec non Atalanta. De hac Theocr. Idyll. III. 40. De illa Ovid. Heroid. Ep. XXI. 107. et 123.

Cydippen pomum, pomum Schœneida
cepit.

Attingit etiam hunc ritum Theocr. Idyll. v. 88.

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα.

et Idyll. VI. 6.

Βάλλει τοι Πολύφαμε τὸ ποίμνιον ἁ Γαλάτεια

Μάλοισιν.—Sic Longus Pastoral. l. I. Ἤδη ποτὲ καὶ μήλοις ἀλλήλους ἔβαλον. *Emmeness.*

65 *Et fugit ad salices, et se cupit ante videri*] Attingit Poëta ingenium fœminarum, et amantium. Ita fugiunt, ut velint videri: ita puguant, ut velint vinci: ita odia exercent, ut tunc ament maxime. Ovid. Art. I.

Pugnando vinci se tamen illa volet.

Alibi:

Quæ cum ita pugnaret, tanquam quæ
vincere nollet.

Petron. *male pugnanti gaudium extorsi.* Cerda.

Ante videri] A me, antequam lateat. Horatius, *Nunc et latentis proditor intimo Gratus puellæ risus ab angulo.* Serv.

66 *Offert ultro*] Iste plus dicit lege Amœbæi carminis. *Idem.*

Meus ignis] Id est, qui me amore inflammatum tenet. Horat. Epod. XIV. *Pulchrior ignis* pro Helena. Thais apud Ter. in Eun. *Accede ad ignem hunc, calesces plus satis.* vide Donatum. Horat. Od. III. 7. *Et miseram tuis Dicens ignibus uri.* Nemes. Ecl. IV. 4.

Nam Mopso Meroë, Lycidæ crinitus
Iolas,
Ignis erat.

Emmeness.

67 *Delia nostris*] Deliam alii amicam priorem volunt: alii Dianam, quæ est a Delo: et est canibus nota, per quos venamur, quasi dea venationis. Nam si ad amicam referas, hoc dicit: Sic frequenter ad me Amyntas venit, ut canibus meis notior sit, quam amica Delia. *Servius.*

68 *Parta*] Præparata. *Servius.*

Meæ Veneri] Meæ amicæ. *Idem.*

Meæ Veneri] Id est, amicæ. Theocr. Idyll. v. 96. παρθένῳ. Plauto nihil eo familiarius, Curc. I. 3. 36. *Tun' meam Venerem vituperas?* Bacch. I. 2. 39. *Ni nactus Venerem essem, hanc Junonem dicerem.* Horat. Od. I. 27. *Quæ te cunque domat Venus.* Apul. Met. III. *Ac jam perfice, ut meæ Veneri Cupido pinnatus assistam tibi.* Emmen.

69 *Aëriæ*] Aërii coloris. *Servius.*

Congessere] Nidificavere. *Idem.*

Congessere] Nidulatæ sunt, *nidamenta congessere*, ut Plaut. in Rud. III. 5. 51. Inde avium congestus, ut Turnebus v. 19. et XXVI. 2. Nidamenta sunt flocci, pinnæ, muscus, tomentum, pili, acus, cæteraque unde nidos aves parant. Quæ dicuntur construentes nidos, συμφοροῦμενοι Aristoteli et Luciano. *Emmeness.*

70 *Quod potui*] Duplex lectio. habent quidam libri, *Quod:* ut sit, Quod potui, quantum potui. Quidam, *Quot*

potui: id est, quam multa potui. *Nam.*

71 *Aurea mala decem misi*] Plus dicit. Nam cum ille dixisset se esse missurum: iste jam misisse confirmat. Aurea autem, aurei coloris. Et volunt quidam hoc loco esse allegoriam ad Augustum de decem eclogis: quod superfluum est; quæ enim necessitas hoc loco allegoriæ? *Servius.*

Aurea mala decem misi] In Romano codice familiari quadam mutatione ex *e* in *i* atque ita vicissim ex *i* in *e* scriptum est *decim* per *i* ultima syllaba: quod quidem nomen hoc eodem modo scriptum apud Asprum Grammaticum, cujus antiquissimum codicem in manibus habui, pluribus locis observavi, ut puta, *decim* verborum modi, et ita reliqua. Et ita in veteri Liviano Codice, *decim* scribitur. Ætas tamen nostra maluit *decem* enuntiare per *e* utramque syllabam. *Pierius.*

Aurea mala] Theocr. Idyll. III.

Ἤτι δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω τηνῶθε καθεῖλον,
Ὥ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τό. καὶ αὔριον ἄλλα τοι οἰσῶ.

Ecce mala decem affero tibi, ex eo loco decerpta
Unde me jussisti decerpere: cras alia afferam.

Leviter libabo. Græcus *fero*, Latinus *misi*, quod efficacius: *mala* simpliciter, Latinus elogium addit, *aurea*; et studium, *lecta*. Cerda.

Altera] Pro, *alia*. Vide et Scalig. De Causs. L. L. I. 28. et Notas nostras ad Plaut. Trucul. I. 2. *Taubmann.*

Cras altera] Horat. ep. I. 6.

Mille talenta rotundentur: totidem altera porro et
Tertia succedant.

Emmeness.

72 *O quoties, et quæ*] Jam usu inolevit, *quoties* veluti *milies, decies*, absque *n* litera scribatur. In omnibus tamen codicibus antiquis, quos evolverim, *quotiens* per *ns* scriptum observavi: quibus adstipulatur Caper Grammaticus, ubi dicit, sine *n* scribenda sunt millies, centies, decies: *totiens*, et *quotiens* quum scribuntur, per *n* scribenda sunt. In cujus sententiam Victorinus etiam descendit, dum ait, adverbia vero cum *n* scribenda sunt, ut totiens, quotiens. *Pier.*

73 *Divum referatis ad aures*] Ita, inquit, mecum dulce locuta est Galatea, ut deorum auditu ejus digna sint verba. *Servius.*

Venti, divum referatis ad auris] Venti antiquis habiti sunt pro interpretibus et internunciis, qui preces et vota ad Deorum aures referebant. Eruditam hac de re disputationem tradit Turnebus I. 28. *Emmeness.*

74 *Animo non spernis*] Id est, libentissime amas. Et est Liptotes figura. sicut, *Munera nec sperno*. Et multi hunc locum allegoricôs accipiunt: ut videatur Augusto dicere; Quid prodest, quia me diligis: si ad capiendos hostes pergens, in otio me relinquis? Dicitur enim Virgilium sequi voluisse Augustum, contra Antonium ad Actiaca bella properantem. *Servius.*

Amynta] Vocativus Græcus est. Et sciendum, Græca nomina in *As* exeuntia, sive crescant sive non crescant in genitivo, vocativum in *A* mittere: ut Æneas, Æneæ, o Ænea: Pallas, Pallantis, o Palla: ut, *non hæc o Palla dederas promissa parenti*. Idem.

75 *Retia servo*] Quæ res in venatione minus possidet voluptatis. *Idem.*

76 *Phyllida mitte mihi*] Amicam communem, caussa natalis diei: in cujus tantum sacrificio licebat voluptatibus operam dare. Nam in aliis sacrificiis erat castitatis observatio: quod etiam sequentia indicant. *Serv.*

Natalis] Apud majores plenum nomen: posteritas *Natalis dies* dicere cœpit. Nam cum Horatius dixerit, *Natalis grate numeras*: Juvenalis ait, *Natali Corvine die mihi dulcior hæc lux. Ipse venito*: cum sacrificavero. Et figurate, faciam vitula ait: ut faciam thure: ut faciam agna. Horat. *Seu poscat agna, sive malit hædo.* Dicitur

autem hoc sacrificium Ambarvale: quod arva ambiat victima. Sic et ipsa in Georgicis, *Terque novas circum felix eat hostia fruges.* Sicut amburbale, vel amburbium dicitur sacrificium, quo urbem circuit, et ambit victima. *Idem.*

Meus est natalis] Docet Sanctius pluribus exemplis, subaudiendum esse *dies*, l. IV. p. 296. Natali die veteres convivia instituebant lautiora; imo lasciviora, ut Saubertus de sacrificiis c. 4. quæ sacra eo die celebrata ἀναίμακτα nominat. Quod Cic. Phil. II. 6. *Natalitia dare* appellat. Similem tradit invitationem ad epulas natalitias Horat. Od. IV. 11. ad Phyllidem. Pers. Sat. II. 1. Juven. Sat. XI. 84.

Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.

Emmeness.

77 *Cum faciam vitula pro frugibus*] Id est, cum pro frugibus sacrificare cœpero, et tu tantummodo venito. *Servius.*

Cum faciam vitula] In antiquis aliquot exemplaribus, *vitula* quidem est ablativo casu. In Romano tamen et Mediceo *vitulam.* In Longobardico altera manu et atramento apex, *a* litteræ superadditus. *Vitula* vero legendum ablativo casu recte Servius admonet. Ambarvalem vero bestiam ait Verrius, quæ rei divinæ caussa circum arva ducitur: ab iis, qui pro frugibus faciunt. Hujus sacrificii meminit inferius Poëta: ubi dicit, *Et quam lustrabimus agros.* De Ambarvali vero sacrificio plura apud Macrobium legas. *Pierius.*

Cum faciam vitula] Cum sacrificavero: scilicet in *sacris* (ut Servius ait). *Ambarvalibus*, de quibus Ge. I. Alii tamen *Fordicidia* hic innui putant. Festus: *Ambarvalis hostia est, quæ rei divinæ caussa circum arva ducitur ab iis, qui PRO FRUGIBUS FACIUNT.* Nam qui sacrificabant, *FACERE* dicebantur, sicut Græci τὸ θύειν non tantum ἔρδειν καὶ ῥέζειν, sed et δρῷν, dicebant. Varro l. v. *Agna Jovi facit.* Censorinus, *Facere hostia.* Colum. l. II. c. ult. *nisi prius catulo feceris.* Sic idem Varro, *Manibus lacte fieri, non vino.* Vide Macrob. Saturn. III. 2. et Barnab. Brisson. JC. Form. l. I. *Taubmann.*

79 *Longum vale*] Ita, *Longum valere*, dicebant. Supra, *suave rubens.* Horat. *Perfidum ridens Venus.* Idem.

Vale, vale, inquit, Iola] Hic pastor, aut habuit duo nomina (nam supra eum Menalcam dixit) aut certe Iolam eum, quasi pastorem optimum appellavit, a quodam pastore nobilissimo: sicut virum fortem plerunque Achillem: adulterum, Parim vocamus. Sane *Longum vale* ita ait, ut torvum clamat: pro adverbio nomen posuit. Vale, vale inquit, *Le* corripit sequens vocalis, ut, *Te Corydon o Alexi.* Servius.

Longum vale] Græce μακρὰν χαίρειν, quod, ut Lucianus, μηκέτι φροντίζειν significat. In rebus tristibus locum habet, quas amplius curæ nobis esse aut non volumus, aut in perpetuum et æternum ereptas dolemus. Cic. ep. ad Att. VIII. 8. *At ille tibi*, πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens, pergit Brundisium.* Hippolytus apud Eurip. act. I.

Τὴν σὴν δὲ Κύπριν πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω.

Plura Robert. Titius VI. 16. et Nos Æn. XI. 97. *Emmeness.*

80 *Triste*] Tristis res.

Triste lupus stabulis] Eadem figura dixit Menander, καλόν γε βασιλεύς. est autem locus sumptus e Theocrito pene ad verbum, cujus versus in Idyllio VIII. leguntur hi: vs. 57.

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακὸν, ὕδασι δ' αὐχμὸς
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ· ἀγροτέροις δὲ λίνα·
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Ursinus.

82 *Dulce*] Dulcis res. *Servius.*

Sabis] Segetibus. *Idem.*

Depulsis] A lacte prohibitis: ut, *Depulsos a lacte domi quos clauderet agnos.* Idem.

Arbutus] Græce κομαρὸς, aliis ὀλυαρὸς. Arbor est, *pomum inhonorum ferens, cui nomen ex argumento unum tantum edendi.* Plin. XV. 24. Inde arbutus unedo appellatur, *fructum fert difficilem concoctioni et stomacho inutilem.* Plin. XXIII. 8. Descriptio arbuti apud Theophrast. III. 16. Arbuta sunt rubra poma silvarum, ut Servius Ge. I. 148. Fructus neutro genere apud Virgilium Ge. II. 520.

—— *Dant arbuta sylvæ.*

Contra apud Horat. Od. I. 17.

Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes.

Emmeness.

84 *Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam*] Blanditur jam Pollioni patrono: quem tragœdiarum et historiarum scriptorem Horatius fuisse testatur. Nam in secundo carminum, dicit de historiis, *Periculosæ plenum opus aleæ Tractas, et incedis per ignes Suppositos cineri doloso.* Item paulo post, *Paulum severæ Musa tragœdiæ Desit theatris.* Quem, carmen suum, licet rusticum, tamen amare confirmat. *Servius.*

Quamvis est rustica] *Sit* quidem in veteribus aliquot exemplaribus, præsertim in Longobardico legitur: sed non displicet, *Quamvis est rustica*, quod habetur in Romano codice. *Pierius.*

86 *Pierides, vitulam lectori pascite vestro*] Id est, pascite ejus armenta, quia legit hoc carmen: vel vitulam ei nutrite pro præmio. *Servius.*

86 *Pollio*] Sane alii legunt *Pollio*, ut prima producatur: alii *Polio*. *Servius.*

Pollio] Sunt qui, veterum lapidum testimonio, *Polio* scribunt. Vetusti tamen argentei nummi habent C. ASINIUS. CN. F. POLLIO. Quæ scriptura mihi magis probatur. *Ursinus.*

Pollio] A *Polire* ita nominatur, *quod pila ludere* veterea dicebant. De quo Festus et Scaliger ad l. IV. Varronis. Quod historicus et simul poëta Asinius Pollio, docet Turneb. X. 21. Hujus honori et meritis ab Horatio dedicata est Oda prima libri secundi, et Ecloga Virgilii quæ sequitur. *Emmeness.*

Pollio et ipse facit nova carmina] ἀπὸ τοῦ ποιεῖν Poëta dicitur *facere versus.* Noster Ecl. VII. 22.

—— *Proxima Phœbi*
Versibus ille facit.

Horat. Epist. II. 51.

—— *Paupertas impulit audax*
Ut facerem versus.

Emmeness.

Nova carmina] Magna, miranda. *Serv.*

Nova carmina] Ursinus nominat θαυμαστὰ ξένα. Horat. Od. I. 26. *Fidibus novis.* Od. III. 4. *Fronde nova.* Cic. pro Archia poëta c. 1. *Novum crimen.* Emmeness.

Pascite taurum] Hic auget: nam vitulam dixerat. *Servius.*

87 *Spargat arenam*] Ita Plin. VIII. 45. de tauro: *Pedes alternos replicans spargenoque in altum arenam.* Tauri ab Oppian. II. dicuntur κονάρσι, pulvere conspersi.

88 *Quo te quoque gaudet*] Subaudi venisse; pervenerat autem ad consulatum post triumphum Dalmaticum. Nam vicerat Salonas, civitatem Dalmatiæ. Horatius, *Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho.* Servius.

89 *Mella fluant illi*] Ad felicitatem alicui comprecandam adagii forma est, *Mella fluant tibi.* Allusio fit ad auream ætatem, in qua mella dicebantur ex quercubus fluere. Tibul. I. 3. *Ipsa mella dabant quercus.* Horat. Car. II. 19.

Fas pervicaces est mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.

Idem Epod. XVI. *Mella cava manant ex ilice.* Vide, quæ dicam sequenti ecloga ad illud:

Et dura quercus sudabunt roscida mella.

Cerda.

Amomum] Flos est Assyrius, ut Lucanus, *Vicinæ messis amomum.* Servius.

Rubus asper amomum] Theocr. Idyll. I.

Νῦν τὰ μὲν φορέοντι βάτοι, φορέοντι δ' ἄκανθαι.

In diris,

Emanent subito sicca tellure paludes,
Et metat hic juncos, spicas ubi legimus olim.

Ursinus.

90 *Qui Bavium non odit*] Pro pœna ei contingat, ut diligat Mævium pejorem poëtam. Nam Mævius et Bavius pessimi fuerunt poëtæ; inimici tam Horatio quam Virgilio. Unde Horatius, *Mala soluta navis exit alite, Ferens olentem Mævium.* Servius.

Qui Bavium non odit] Hoc quoque nomen pronuntiatione Græca: per V. quippe digammon habetur in Romano codice *Vavium.* Ita apud Livium, ubi vulgatis codicibus libro VIII. primæ Decadis scriptum est, Vitrubius, Bacchus. in vetusto codice Vaccus per V. digammon habetur. et inferius: *Quæ Vacci prata.* Frequentissime autem apud hunc et alios scriptum, veluti veteres *Favium* pro *Fabio* dicebant, observatum ab Adamantio. Huic vero malo Poëtæ, Marco nomen fuit: de quo Eusebius, *Marcus Bavius Poëta, quem Virg. in Buc. notat, in Cappadocia moritur.* Pierius.

Qui Bavium non odit] Duos sui temporis poëtas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abjecta sunt. Vult ergo notare qui sunt inimici Virgilii, qui Bavium, id est, pessimum poëtam, et Mævium, id est, pejorem poëtam, ut duplum habeant malum. Ex quibus Bavius curator fuit. de quo Domitius in *Cicuta* refert:

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
Unanimi fratres sicut habere solent,
Rura, domum, nummos, et denique omnia: ut ajunt
Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed postquam alterius mulier——
Novit, deposuit alter amicitiam.

Philargyrius.

91 *Mulgeat hircos*] Faciat ea, quæ contra naturam sunt. *Servius.*

Et mulgeat hircos] In Romano codice et in altero perveteri *mulceat* per *c* scriptum est. In Longobardico, ut omnino discernitur, ita quoque legebatur: verum altera manu et atramento factum est, *mulgeat* per *g*. *Pierius.*

92 *Fraga*] Mora quæ in herbis nascuntur. Ideo dixit *Humi nascentia.* Servius.

Fragæ] Fragorum esus palato arridet. Polyphemus his epulis Galateam suam allicit Met. XIII. 815.

Ipse tuis manibus silvestri nata sub umbra
Mollia fraga leges.

l. I. 104. *Montana fraga legebant.* In iis veterum positæ fuerunt divitiæ. Juven. Sat. XIII. 56.

Barbato cuicunque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga et majoris glandis acervos.

ubi Scholiastes: *Divitiæ autem in fragis et glande taxabantur.* Emmeness.

93 *Frigidus anguis*] Nocivus, pernitiosus. Horat. Sat. II. 6. 50.

Frigidus a rostris manat per compita rumor.

Eodem modo Græce, Aristophanes in Plut. II. 1. 11. *ψυχρὸς βίος καὶ δύσκολος.* id est, *ταλαίπωρος.* Vide etiam Hesych. in *ψυχρός.* Theocritus Idyll. XV. *Ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δεδοίκω*: *Timeo maxime serpentem frigidum.* Emmeness.

Latet anguis in herba] Allegoria est: nam videtur hoc ad Mantuanos dicere, qui inter milites versabantur

armatos: quos, sicut anguis, mortem inferre posse, non dubium est. *Serv.*

Latet anguis in herba] Putat Janus Guilielm. verisim. I. 13. allusum ad veterem paræmiam, *vipera est in veprecula*. Nicand. Ther. par sententia: σκορπίος ἀπροῖδης ὀλίγῳ ὑπὸ λαῒ λεχήσας. Ovid. Met. II.

Ecce latens herba coluber fugientis adunco
Dente pedem strinxit.

Cerda.

94 *Parcite*] Prohibete. *Servius.*

Procedere] Id est, servate ne procedant: ut *Gnatis parce tuis*. Idem.

Parcite procedere] Sic Horat. Od. III. 8.

Parce privatus nimium cavere.

Martial. III. 68.

—— *Nudos parce videre viros.*

Emmeness.

Non bene ripæ Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat] Allegoria ad illud quod supra diximus, pertinet: quia post acceptos agros, ab Ario centurione pene est interemptus, nisi se præcipitasset in fluvium. *Servius.*

Non bene ripæ, &c.] Sæpe enim proxima fluminibus exesa terra fundamentis carent. Sic Horatius,

—— *Cum terra avulsos rapit Aufidus acer.*

Nannius.

95 *Ipse aries*] Argumentum a majori: Si arieti tantum periculi, quid ergo imbecilliori pecori? Servius dicit, Virgilium tela Arii vitantem, in flumen sese abjecisse, atque vitasse periculum. *Nannius.*

96 *Tityre, pascentis a flumine reice capellas*] Id est, o Mantua, noli modo velle aliquid agere de repetendis agris. Nam cum opportunum fuerit,

Ego omnes lavabo] Id est, purgabo apud Cæsarem, cum de Actiaco prælio reversus fuerit. Et bene, in fonte: ipse enim per amicos Cæsaris agrum meruerat recipere, tanquam per rivulos quosdam: nunc autem Mantuanis beneficium dicit se ab ipso Imperatore meriturum. *Servius.*

Reice capellas] reice ca, proceleusmaticus est pro dactylo: et sic est positus, ut *Genua labant*. Item, *arietat in portas*. Idem.

Rejice capellas] Servius dicit *reice ca*, proceleusmaticum esse. Antiquique omnes codices *reice* scribunt unico *i*. *Pierius.*

97 *Omnis in fonte lavabo*] *Fonte* quidem vetera habent exemplaria, Romano excepto, in quo *fronte* legitur, quod alii viderint. Apud Theocritum sane, unde locus hic desumptus, dubio procul fontis mentio fit; ait enim: αὔριον ὔμμε Πᾶσας ἐγὼ λουσῶ συβαρίτιδος ἔνδοθι κράνας. quare *fonte* omnino legendum est. *Pierius.*

98 *Cogite ovis*] In ovilia colligite, ut *Tityre coge pecus*. Servius.

Cogite ovis, pueri: si lac præceperit æstus] In antiquis aliquot exemplaribus, cum antiquissimo majoris notæ, *æstas*, legitur: quod non placet. *Cogite* vero, quod Servius exponit, in ovilia colligite, Non. Marcellus, mulgete, interpretatur. Subjungit enim Poëtam caussam cur festinandum sit, *si lac præceperit æstus*: ut nuper: *Frustra pressabimus ubera palmis*. Eadem autem dictione variatum, in secundo Georgicon eo loco: *Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas*. Pierius.

Præceperit] Præoccupaverit, nam naturale est, ut lac augeatur frigore, calore minuatur. *Servius.*

Præceperit æstus] Horat. Ep. I. 8. 5.

—— *Oleamque momorderit æstus.*

Emmeness.

100 *Eheu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo*] Romanus codex, una cum Longobardico, et aliquot aliis, legunt *in arvo*. In aliquot, in quibus *ervo* scriptum fuerat, *a* littera superne addita. Sed enim *ervo*, et Columella, et Plinio legumine eo pecus pinguescere asserentibus, ma-

gis omnino receptum: et *ervo* nescio quid otiosum haberet. *Pierius.*

Mûcer taurus.] Theocr. Idyll. IV. 20. λευκὸς ταῦρος. *Emmeness.*

Pingui in ervo] Horat. Sat. II. 6. 117. *Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.* Leguminis genus est, quo pinguescunt boves. Plaut. Most. I. 1. 59. *Ervom daturin' estis, bubus quod ferum?* De hoc legumine sæpius Columella. Plinius XVIII. 16. hæc de ervo: *Ervum medicaminis vim obtinet. Quippe per ervum Divum Augustum curatum, epistolis ipsius memoria exstat.* Alia tradit etiam XXII. 25. Festus ab ὄροβος ervum, ab ὀρόβινον ervilia derivat. *Emmeness.*

101 *Exitium est pecori pecorisque magistro*] Verbum *est* in hoc versu valde inconstans reperitur apud codices manuscriptos. In Mediceo, et quibusdam aliis *pecori est.* In Oblongo Vaticano, et in Longobardico *magistro est* habetur. *Pierius.*

Amor exitium est pecori] Ita Ovid. Am. II. *Ossa mihi nuda reliquit amor.* et Met. X. *Fecit amor maciem:* et Am. I. *Longus amor tales corpus tenuavit in usus.* Apud eundem Canace impense amans: *Fugerat ore color, macies obduxerat artus.* Et in Cydippe:

Concidimus macie, color est sine sanguine, qualem
In pomo refero mente fuisse tuo.

Cerda.

102 *Vix ossibus hærent*] Vix ossa eorum cohærent. *Servius.*

Vix ossibus hærent] Tale illud Theocriti in Idyll. IV.

Τήνας μὲν δή τοι τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται
Τ' ὀστέα.

Ursinus.

103 *Teneros oculus mihi fascinat agnos*] Dicit caussam maciei; et per transitum, pulchrum se habere pecus significat, quod utique meruit fascinari. *Servius.*

Teneros oculus mihi fascinat agnos] Non dubium est, quin fascinum a Græco βασκανὸν, quod a βασκαίνω, id est, φθονῶ vel ὀφθαλμοῖς κακὸν καὶ φθόνῳ τὸ ὁρᾶν, ut Scholiastes ad Theocriti Idyll. v. 18. Fascinatorios oculos Persius nominat *Urentes* Sat. II. 34. Non tantum oculis inest vis fascinandi sed etiam vocem et oculos fascinando interficere docet Plin. VII. 2. Ut occurreretur fascinationibus, veteres Deum excogitarunt Fascinum et Deam Cuninam, *quæ infantes in cunis tuebatur, ac fascinum summovebat,* ut Lactantius I. 20. Plura de fascino Turnebus IX. 28. *Emmeness.*

Nescio quis teneros oculus] *Nescio quis* formula, qua contemptum arguimus. Phædr. fab. III. *nescio quis e populo.* Cic. pro Mil. c. *Quin etiam audiendus sit popa Licinius, nescio quis, de circo maximo.* Idem.

104 *Eris mihi magnus Apollo*] Relicto certamine, sibi proponunt ænigmata. Bene autem ait, *Eris mihi Apollo:* quia in rebus incertis sola opus est divinatione. *Servius.*

105 *Treis pateat cæli spatium non amplius ulnas*] Ulna, proprie est spatium, in quantum utraque extenditur manus. Dicta ulna, ἀπὸ τῶν ὠλενῶν, id est a brachiis; unde et λευκώλενος ἥρη dicitur. licet Suetonius unum cubitum velit esse tantummodo. Sane hæc quæstio varie solvitur. Nam alii dicunt significare eum sepulchrum Cælii luxuriosi, qui venditis omnibus rebus et consumptis, tantummodo sibi spatium reservavit, quod sepulchro sufficeret, et voluisse eum errorem facere ex Cælii similitudine; ut sit, Dic mihi ubinam sepultus est Cælius, cujus tribus ulnis continetur sepulchrum? Alii vero volunt puteum significari, qui est in Syene parte Ægypti: quem ad hoc nimiæ altitudinis philosophi effoderunt, ut probarent lo-

cum illum esse solum, quem recto Sol intuitu irradiaret. Nam octavo Calend. Jul. die, quando in centro suo est Sol, lumine suo tam imam quoque illius putei, quam summam terram irradiat. Alii dicunt clypeum Ajacis trium ulnarum, in qua expressa cœli forma fuit. alii specum in Sicilia, per quod rapta est a Dite Proserpina; alii mundum in sacro Cereris. Sed neutrum horum convenit rustico. Unde simpliciter intelligendus est cujuslibet loci puteus, in quem cum quis descenderit, tantum cœli conspicit spatium, quantum putei latitudo permiserit. Asconius Pædianus dicit se Virgilium dicentem audisse, in hoc loco se Grammaticis crucem fixisse, volens experiri quis eorum studiosior inveniretur; volens intelligi de Cælio Mantuano, ut supra dictum est. *Servius.*

Dic, quibus in terris, &c. Tris pateat spatium, &c.] Cælium Mantuanum quendam tangi hoc ænigmate a Virgilio, qui consumptis opibus ac prædiis venditis, solum sepulturæ locum excepit, tribus ulnis, hoc est, duodecim pedibus latum, solide contendit in Plinian. exercitat. p. 1222. *Salmasius.*

Non amplius ulnas] In Romano codice *ullas* ea mutatione, qua nunc quoque vocabula multa *n* in *l* transmutant. Et Vallus et Vannus apud veteres idem est, ut in Georgicis ostensum. *Pierius.*

106 *Dic, quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores*] Quia solvere non potuit, ipse aliam objicit quæstionem: et captiose, quibus in terris dixit. Hyacinthus enim ubique nascitur, flos qui natus est primo de Hyacinthi sanguine, postea de Ajacis, sicut etiam Ovidius docet. Est autem quasi lilium rubrum, designans primam Hyacinthi literam. Regum autem nomina, non quoniam ipsi reges fuerunt, sed quia regum filii: ut, *Magnum reginæ sed enim miseratus amorem*, cum de Ariadne diceret Pasiphaës reginæ filia. Sane multi volunt nomina regum, pro nomine Regis positum; ut sit quemadmodum illud in Terentio, *Non perpeti meretricum contumelias*, cum de una loqueretur. Nam flos iste Hyacinthi tantum, et non Ajacis nomen retinet. Tamen sciendum ænigmata hæc, sicut fere omnia, carere aperta solutione. *Servius.*

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores] Salmasius in Plinian. exercitat. p. 1223. inexplicabilem quæstionem arbitratur, et florem istum, qui nomen Ajacis foliis inscriptum præfert, non tantum pastori, sed et doctissimis hodie herbariis ignotum esse. Plerique tamen interpretes de hyacintho dictum volunt, cui flori nomen inditum volunt poëtæ, e cruore Hyacinthi pueri, qui ubi per imprudentiam inter ludendum disco occisus esset ab Apolline, cujus gemitus ai ai inscripti, flori hyacintho nomen dederunt. Alii ab Ajacis sanguine provenisse testantur: utramque habet fabulam Plinius XXI. 11. *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens ejus, quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis, ut Græcarum literarum figura AI legatur inscripta.* Emmeness.

107 *Nascantur flores*] In Oblongo codice, in Mediceo, in Longobardico, *nascuntur* est, Fatendi modo. In Romano *nascantur* Conjunctivo. *Pierius.*

Phyllida solus habeto] Amicam communem. quod plus est, quam esse Apollinem. Nam esse Apollinem impossibile est, quod ille promiserat; hic vero, possibilia pollicetur. *Servius.*

Phyllida habeto] Ovid. remed. am. vs. 65.

Redde Parin nobis; Helenen Menelaus habebit.

Vide quæ a nobis dicta sunt Ecl. I. 31. et 32. *Emmeness.*

108 *Non*] Hic distinguendum est, ut sit sensus, officium judicis est ferre sententiam, non eorum qui inter se contendunt. Unde male quidam totum jungunt, *Non nostrum inter vos tantas componere lites*. nam non negat se facturum esse quod faciat: judicaturus enim est eos esse pares, dicens, *Et vitula tu dignus, et hic*. Servius.

Componere] Finire. ut, *Ante diem clauso componet vesper olympo*. Id est, finiet. *Idem*.

Componere] Ter. in Phorm. iv. 3. 16. *Inter vos sic hæc potius cum bona Ut componantur gratia, quam cum mala*. Emmeness.

109 *Et quisquis amores*] *Aut metuet dulces, aut experietur amaros*. Et tu, et hic digni estis vitula, et quicunque similis vestri est. Nam supra unus dixerat, *Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ*. Item alter, *Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis, Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas*. Ad cujus amatoris similitudinem pertinet, *Aut metuet dulces*. Namque hic Menalcas, et amabat, et amabatur: sed tanquam prudens timebat, ne unquam posset amor ille dissolvi. Et contra Damœtas amaritudinem amoris expertus fuerat, ex amicæ Amaryllidis iracundia. *Servius*.

110 *Metuet dulcis*] Timebit pro dulcibus, ne eos amittat. *Idem*.

Aut metuet dulces] In Mediceo codice *metuat* scriptum est, specie non ineleganti. Sed *metuet* cum altero *experietur*, convenit. *Pierius*.

111 *Claudite jam rivos, pueri. sat prata biberunt*] Catullus:

Claudite ostia virgines,
Lusimus satis.

Ursinus.

Sat prata biberunt] Aut intelligimus hunc exisse, ut juberet pueris suis ut arva irrigarent; quod illis cantantibus factum est, aut, et revera dicit, *rivos claudite*. aut certe allegoricôs hoc dicit, jam cantare desinite: satiati enim audiendo sumus. *Servius*.

Biberunt] Amœnissime, ita idem Ge. iv.

—— *Irriguumque bibant violaria fontem.*

Ovid. de Ponto i. 8.

Et dare quas sitiens jam bibat hortus aquas.

Tibul. i. 2.

Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.

Cerda.

ECLOGA IV.

Sicelides Musæ, paulo majora canamus] Asinius Pollio ductor Germanici exercitus, cum post captas Salonas Dalmatiæ civitatem, primo meruisset lauream: post etiam consulatum adeptus fuisset: eodem anno suscepit filium, quem a capta civitate Saloninum vocavit, cui nunc Virgilius genethliacon dicit: quem constat natum risisse statim: quod parentibus omen est infelicitatis. nam ipsum puerum inter ipsa primordia id est, nono die periisse manifestum est. *Servius*.

Sicelides Musæ] Sicelides autem Græcum est. Nam Latine Sicilien-

ses facit, id est Theocritiæ. Nam Theocritus Syracusanus fuit; quem in hoc opere Virgilius imitatur, ut diximus supra. *Idem.*

Sicelides Musæ] Sunt, qui negant, carmini pastorali invocationes convenire, quos prudenter et erudite refellit alter nostri seculi Virgilius, Ren. Rapinus, in libello de pastorali Carmine. p. 142. quod assurgit aliquando, ut Voss. de institut. III. 8. *Emmeness.*

Paulo majora canamus] Bene *paulo* dicit. nam licet hæc ecloga discedat a bucolico carmine, tamen inserit aliqua apta ei operi: ergo non majora, sed paulo majora. *Servius.*

2 *Myricæ*] Virgulta sunt humilia et sterilia, quod vulgo tamaritium dicitur. *Idem.*

Myricæ] *Genestæ* in Mediceo codice. *Pierius.*

3 *Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ*] Id est miscetur illi.... honos ut dignæ sint consule, id est filio...consulis Asinio Pollione. *Servius.*

Silvæ sint Consule dignæ] Minus placet Cerdæ interpretatio ex Suet. in Jul. c. 19. Silvas callesque decretas fuisse Coss. nonnunquam, certum est. Sed hoc non videtur annuere Maro. Curæ vult esse, ne abjecti characteris sit et infra. Consularem dignitatem, quicquid canatur de Pollione, summo illo viro, carmine pastorali. Turn. III. 22. et XVI. 13. Non legendum enim, ut Pierius, *sunt*, sed, *sint*. *Silvæ sint Consule dignæ*, id est, sint honori et meritis convenientes. Hoc enim *dignus* Latine, ut ὁ πάνυ Gronov. obs. III. 8. *Emmeness.*

4 *Ultima Cumæi venit jam carminis ætas*] Sibyllini, quæ Cumana fuit, et secula per metalla divisit. dixit etiam quis quo seculo imperaret: et Solem ultimum, id est decimum voluit. Novimus autem eundem esse Apollinem. Unde dicit, *Tuus jam regnat Apollo.* Dixit etiam, finitis omnibus seculis, rursus eadem renovari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes completo magno anno, omnia sydera in ortus suos redire, et referri rursus eodem motu. Quod si est idem syderum motus, necesse est, ut omnia, quæ fuerunt, habeant iterationem. Universa enim ex astrorum motu pendere manifestum est. Hoc secutus Virgilius, dicit reverti aurea secula, et iterari omnia quæ fuerunt. *Servius.*

Cumæi] Pierio teste, in Vet. Cod. per, *y*, scriptum invenitur. Quod hic Cumæi, ab aliis tribuitur Erythrææ. De Cumæa Sibylla, præter citatos a Taubmanno auctores, multa habet Lactant. I. 6. et seqq. qui distinguit inter *Cumæam*, et *Cumanam*. Sed hæc de origine, nominibus, &c. tam certa, ac genuina sunt oracula, quæ venditantur, et collecta ab Obsopœo. De Cumæa Onuphr. in l. de Sibyllis. p. 34. et 35. Probus Cumæum carmen Hesiodi esse putat, cui inditum illud nomen a Patre Dio, qui Cumæus fuisse creditur. *Emmeness.*

5 *Ab integro*] Vel denuo, vel ab initio. *Cato* de suo consulatu. Omnia ab integro paranda erant. *Servius.*

Ab integro] Ter. cum præpos. *de.* in prol. An. vs. 26. *faciet de integro comœdias.* Heaut. IV. 2. 7. *ratio de integro ineunda est.* Emmeness.

Seclorum] Synæresis, pro seculorum; et seculum quidam centum annorum definiunt; quidam centum decem. Horatius, *Certus undenos decies per annos.* Servius.

6 *Jam redit et Virgo*] Justitia, quæ Erigone fuit, filia Themidis, ut inter homines versaretur, propter eorum scelera terras reliquit, quam ideo virginem dicunt, quod sit incorrupta justitia. Et permiscet laudes tam pueri Pollionis, quam Augusti. Nam fœlicitas temporum, ad Imperatoris

laudem pertinet. *Idem.*

Saturnia regna] Aurea secula, quia Saturnus aureo seculo regnasse dicitur. *Idem.*

Saturnia regna] Quibus virtuti locus fuit. unde Juv. Sat. VI. 1.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam

In terris, visamque diu.

Accuratius Ovid. met. I. 89. et seqq. plura ad Ge. I. 126. *Emmeness.*

7 *Jam nova progenies cœlo demittitur alto*] Ut videantur homines non ex mortalibus nati, sed ex numinibus, et quasi cœlo lapsi. Et hinc conjicit fore aurea secula, quod Augustus imperat: vel quod talis est natus puer; vel quod consul est Pollio, unde est, *te consule inibit.* Servius.

De cœlo] Quibus de meliore luto Titan finxit præcordia, quive humanum genus repentinis et inopinatis beneficiis demerentur, de cœlo mitti dicuntur. Lactantius I. 11. *Solemus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentino advenerint, de cœlo cecidisse dicere.* Tibull. I. 3.

Tunc veniam subito: nec quisquam nunciet ante,

Sed videar cœlo missus adesse tibi.

Just. V. 4. *Hunc quasi de cœlo missum contuentur.* Emmeness.

8 *Nascenti puero*] Turneb. XVI. 13. Non hæc a Sibylla de Christo prædicta arbitratur, sed filio Pollionis attribuenda esse omnia. *Emmeness.*

Quo] Deest nascente. Nam hoc dicit, fave ei Lucina, cujus ortus secula immutabit, aureis scilicet ferrea. *Servius.*

10 *Casta fave Lucina*] Modo Lucinam Dianam accipimus. Sic Horatius, *Sive te Lucinam probas vocari, seu te penitus Junonem.* Terentius, Junonem dicit Lucinam: ut, *Juno Lucina fer opem*, cum tamen ambæ unum sint. Sane hic Dianam, Lucinam non immerito designat. Prior enim genita parturienti matri Apollinem, tulisse auxilium dicitur: Nigidius de diis lib. IV. *quidam deos et eorum genera temporibus et ætatibus, inter quos et Orpheus primum regnum Saturni, deinde Jovis, tum Neptuni, inde Plutonis: nonnulli etiam, ut magi aiunt, Apollinis fore regnum. In quo videndum est, ne ardorem (sive illa ecpyrosis appellanda est) dicant.* Quidam hoc loco, *Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo*, Octaviam sororem Augusti significari, adfirmant, ipsamque Augustum Apollinem. *Servius.*

Fave Lucina] Quæ et γενεθλία, et ἔρεμνος λοχία dicitur. Nam parturientes *Junonis Lucinæ opem* implorabant. Vide me ad Plaut. Aul. Act. IV. 7. Sed et *Fave*, verbum solemne est. Ovid. *Vesta FAVE.* Tibull. *Phœbe FAVE.* de quo Brisson. Formul. lib. I. *Taubmann.*

Tuus jam regnat Apollo] Ultimum sæculum ostendit, quod Sibylla, Solis esse memoravit: et tangit Augustum, cui simulachrum factum est cum Apollinis conjunctis insignibus. *Servius.*

11 *Inibit*] Inchoabit, exordium accipiet: aureum scilicet sæculum. et ideo inibit, non iniit, quia consul designatus erat. Quidam Saloninum Pollionis filium accipiunt. Alii Asinium Gallum fratrem Salonini, qui prius natus est Pollione consule designato. Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert, hanc eclogam in honorem ejus factam. *Idem.*

12 *Pollio*] De hoc summo viro Ecl. III. 86. pauca addo, *Ad summa provectos incorrupta vita et facundia.* Tac. Annal. XI. 6. annumeratur *optimis oratoribus* orat. c. 25. *Magnus orator.* Senec. de tranq. c. 15. *Asinius Pollio non minima pars Rom. styli.* Val. Max. VIII. 13. Plura Plin. VII. 33. et Senec. in præf. IV. contr. *Emmeness.*

Incipient magni procedere menses] Illud tangit, quod Julius et Augustus

menses, in honorem Cæsaris et Augusti, acceperunt nomina. Nam antea Quintilis et Sextilis dicti sunt. Et hoc etiam trahit ad argumentum aurei sæculi. Possumus et *magni* pulchri accipere, id est aurei sæculi. *Servius.*

Magni procedere menses] Non Julius et Augustus, sed menses magni anni. Itaque non retrahit, qui *magnum mensem* sæculum Chaldaicum vocaverit. Nam ut antea Poëta dixit, *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo;* ibi, *per magnum ordinem sæclorum*, maximum annum intelligit, annorum civilium MCCCCXL, cujus anni mensis est CXX. annorum, quod est sæculum. *Scaliger.*

13 *Te duce*] Vel Auguste, vel Pollio, vel Salonine, id est, auctore. *Servius.*

Sceleris vestigia nostri] Bene nullum vult esse præsentium temporum vitium: sed reliquias dicit esse superioris ætatis. Sic in Georgicis cum laudaret Augustum, et carperet tempora, dicens, *Vicinæ ruptis inter se legibus urbes, Arma ferunt: sævit toto Mars improbus orbe.* Intulit, *Fertur equis auriga, neque audit currus habenas:* ut ostenderet tantas esse reliquias præteritorum malorum, ut ne ab optimo quidem rectore sedari posse viderentur. Vestigia autem scelerum dicit bella civilia, quæ gessit Augustus contra Antonium apud Mutinam: contra L. Antonium, fratrem Antonii apud Perusium: contra Sextum Pompejum filium Pompeji in freto Siciliensi: contra Brutum et Cassium in Thessalia: contra Antonium et Cleopatram, in Epiro apud Actium promontorium, juxta Leucaten. *Idem.*

14 *Irrita*] Ad nihilum deducta vestigia; et non dicit, *Jam irrita solvent terras formidine:* sed, fient irrita, et solvent terras timore. *Idem.*

Perpetua] Longa. Immo, solvent perpetua formidine, id est, solvent formidine in perpetuum. *Idem.*

15 *Ille deum vitam accipiet*] Sicut supra artificiose laudem confundit, ut possit esse communis, nam ad quemvis potest referri *Ille*, vel ad Augustum, vel ad Saloninum. *Idem.*

Ille deum vitam] De Salonino dicitur, cujus natales inciderunt in principium sæculi aurei, quo homines vitam deorum vivebant. Hesiod. Ἔργ. 1. ὅστε θεοὶ δ' ἔζωον, &c. Natus autem, *inquit*, Saloninus homines nostræ ætatis heroas quosdam cum diis permixtos videbit. nam in illa integritate sæculi aurei deos cum hominibus versatos esse credebant: quod rursum futurum gloriatur Poëta, reverso eodem sæculo. Catull. in Epithal. Pelei: *Præsentes namque ante domos invisere castas Cælicolæ, &c.* Turneb. XVI. 13. *Taubmann.*

17 *Pacatumque reget patriis virtutibus orbem*] Vel Augustus Cæsaris, vel Saloninus, Pollionis virtute pacatum orbem tenebit. Et mira laus utriusque est, et ejus qui pacavit, et qui pacatum tuetur. vel certe patriis illis, deest *ab*, id est, ab illis. *Servius.*

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem] Quamvis vetustissimi codices aliquot *patris* legunt, magis tamen acceptum *patriis* intelligo. *Pierius.*

18 *At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu*] Rhetorice digesta laudatio. non enim improvide in principio universa consumpsit: sed paulatim fecit laudem cum ætate procedere. *Servius.*

At tibi prima, puer] In Romano codice, *ac tibi*, et ita inferius, ubi *at simul, ac simul* habetur: quum tamen in antiquis aliis codicibus *at* utrobique legitur. *Pierius.*

Munuscula] Bene in rebus minoris ætatis, usus est diminutione; ut nullo cultu, id est, inarata, sed sua sponte nata. *Servius.*

Prima munuscula] Quoniam in hac ecloga Poëtæ animus est, Saloninum Pollionis filium, non tantum humanis, sed et divinis honoribus ornare, pri-

mitias ei, tanquam Deo, oblatum iri, expromit. De primis fructibus ex agro susceptis Deoque offerendis Plin. XVIII. 3. et Ovid. Met. X. 431.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

Emmeness.

19 *Errantes ederas passim cum baccare tellus*] Passim vagantes. Unde antiqui lyrici dixerunt, flexipedes hederas: quod hac atque illac vagantur. Mire autem puerum laudat ex ipsis muneribus. Nam hedera indicat futurum poëtam: ut, *Pastores hedera nascentem ornate poëtam.* Baccar vero, herba est, quæ fascinum depellit. ut, *Baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* Per quod pulchrum indicat puerum. *Servius.*

Baccare] Baccar a nonnullis per χ: sed Dausquius sine spiritu scribendum docet ex Hesychio et aliis. Ut Plinius vult XXI. 5. est radicis odoratæ, et a nardo rustico non discrepat. Alii candem cum asaro esse herbam volunt. V. Salmasium in Plinian. exercitat. p. 1068. Teste Dioscoride III. 21. planta est coronaria, odorata, εὐώδης καὶ στεφανωματική. *Emmeness.*

20 *Ridenti acantho*] Læto, suavi, jucundo, fulgenti, ut, *ridet argento domus*: vel quod hians et patens nascitur: et est herba quæ in Ægypto invenitur. *Servius.*

Ridenti acantho] Errare docet Servium Salmasius in Plinian. exercitat. p. 534. *Acanthus Ægypti arbor est, non herba. Sed propter colocasiorum nomen, quæ Ægypti sunt peculiaria, de acantho Ægyptiaco interpretatus est perperam, &c. Ridenti*] Bene *ridenti*, nam herbæ flores adblandientes dicuntur ridere. Petronius,

Albaque de viridi riserunt lilia prato.

De venusta translatione hujus vocis v. indicem Giphanii ad Lucretium. Idem Græce γελᾷν. *Emmeness.*

Colocasia] Hanc herbam videtur in honorem Augusti crevisse, quæ Romæ, post devictam ab eo Ægyptum, innotuit. et dicendo *fundet* abundantiam floris ostendit. *Servius.*

Colocasia] *Colocasia* vocarunt fabæ Ægyptiæ flores, cujus radicem κολοκασίαν proprie appellatam volunt. Eos flores ad coronas viendas commendat Nicander:

Σπειρείας κύαμον δ' Αἰγύπτιον ὄφρα θερείης
Ἄνθεα μὲν στεφάνους ἀνύῃς.

Athenæus florem fabæ Ægyptiæ στεφανωτικὸν fuisse indicat. Hæc ex Salmasii Plinian. exercitat. p. 966. Inter herbas, sponte nascentes, nobilissima est colocasia, quam cyamon alii vocant, ut Plin. XXI. 15. Palladius de r. r. l. v. in fœminino effert. *Collocasiæ plantalia ponemus sæpius.* Noster, et etiam Martialis Epigr. VIII. 33. in genere neutro,

Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.

Emmeness.

21 *Ipsæ lacte domum referent*] Quid enim est aptius infanti lacte? Et magna laus in hoc est, quod ait, *Ipsæ referent*, id est, sua sponte. *Servius.*

Lacte distenta capellæ ubera] Sic Ecl. VII. 3.

Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas.

Horatius Epod. II. *Distenta siccet ubera.* et Sat. I. 1. 110.

——*Capella gerat distentius uber.*

Emmeness.

22 *Nec magnos metuent armenta leones*] Bona usus est moderatione, dicens, Erunt quidem maligni leones: sed minime armentis nocebunt. *Servius.*

Nec magnos metuent armenta leones] Sic Hor. Epod. XVI.

Credula nec flavos timeant armenta leones.

Et paulo post:

Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.

Leones et vituli ad præsepe simul stabunt: lupus ovem non rapiet. Lactantius VII. 24. *Emmenes.*

23 *Blandos*] Jucundos, ut puero. *Servius.*

Cunabula] Lectuli in quibus infantes jacere consueverint: vel loca in quibus nascuntur, quasi cynabula. Nam κύειν est Græce eniti. *Idem.*

Cunabula] *Cunæ* quidem, ipsi lectuli: *Cunabula*, quicquid ad hos pertinet: auctoribus Camerario et Turnebo. Plaut. Trucul. extr.

—— *Opus est cunis, cunabulis.*

Taubmann.

24 *Et fallax herba veneni*] Non cicutam dicit, quæ omnibus nota est: sed illam sardonicam, quæ apiastri similis, homines decipit: vel aconita: *Nec miseros fallunt aconita legentes.* Servius.

25 *Assyrium vulgo nascetur amomum*] Amomum herba est suavissimi odoris, quæ tantum in Assyria nascitur. *Vulgo*] Passim, omnibus locis. *Idem.*

Assyrium vulgo nascetur amomum] In Longobardico codice legere est: *Assyrium et vulgo.* ut, Testilis et rapido. Sed etiam absque particula copulativa oratio ipsa et candida et venusta est. Amomum vero in Assyria tantum nasci tradit Servius: Verum id etiam in Media et in Ponto nasci Plinius tradit. *Pierius.*

Assyrium amomum] Cum ait *Assyrium*, excludit Ægyptium, et alia, quæ non in tanto honore. Amomi celebre unguentum fuit, quod item dictum amomum. Hujus duplex usus. Eo mortui ungebantur. Pers. *Compositus lecto, crassisque lutatus amomis.* Et vivorum comæ. Sidon. *Indus odorifero crinem madefactus amomo.* An Indi solum? Nequaquam. Græcis dat Sen. ubi Thyestem sic inducit loquentem: *Pingui madidus crinis amomo.* Romanis, Ovid. *Spissaque de nitidis tergit amoma comis.* Cerda.

Amomum] Sæpe pro quibuslibet unguentis pretiosissimis. V. Salmasium in Plinian. exercit. p. 401.

26 *Heroum laudes et facta parentis*] Ephexegesis si sit, melior sensus est, Quæ erunt heroum laudes, tui parentis virtutes. et bono ordine: primo poëtas, deinde historicos, deinde philosophos legendos dicit. *Servius.*

Facta parentis] In Romano codice *parentum* est, numero multitudinis: quod si placuerit, Servii tolles ambiguitatem super Ephexegesi. *Pierius.*

27 *Jam legere*] Id est cum cœperis imbui studiis liberalibus. *Servius.*

Quæ sit poteris cognoscere virtus] Accessu enim ætatis quanta sit virtus agnoscitur, et cujus gloriæ. *Idem.*

28 *Molli*] Fertili. *Idem.*

Flavescet] Albescet. *Idem.*

Arista] Seges inculta, quæ a nullo colitur. *Idem.*

29 *Incultisque rubens pendebit sentibus uva*] Id est, ubique sit uva. *Idem.*

Rubens] Matura. *Idem.*

Rubens uva] Horat. Od. II. 5.

—— *Jam tibi lividos*
Distinguet autumnus racemos,
Purpureo varius colore.

et Epod. II.

Certantem et uvam purpuræ.

Sentibus] Spinis, et asperis frutetis. *Servius.*

30 *Et duræ quercus sudabunt roscida mella*] Id est, quæ hodie roscida, olim quercus sudabunt. *Servius.*

Sudabunt] Defluent. *Idem.*

Sudabunt] Sanctius nonnulla congessit exempla cum quarto casu. Virg. Ecl. VIII. 54.

Pinguia corticibus sudent electra myricæ.

Statius Theb. l. v. *Gelidove labor sudatus in Æmo.* Quintil. *Et vigilandæ noctes, et in sudata veste durandum.* Pro *mella, melle sudabunt* dixit Lactantius VII. 24. et Ovid. Met. I. 112. pro *sudare*, stillare.

Flavaque de viridi stillabunt ilice mella.

Emmenes.

Roscida mella] Id est fragrantia. *Servius.*

31 *Suberunt vestigia*] Id est, erunt, sed latenter: et bene. *Idem.*

Priscæ fraudis] Ad suorum temporum excusationem: sicut supra dictum est. Aut *fraudem* pro solertia posuit. *Idem.*

32 *Quæ tentare Tethin ratibus, quæ cingere muris Oppida*] A sequentibus ostendit præcedentia: quæ vitavit, quasi laudi incongrua. Nam per navigationem ostendit fore avaritiam, quæ homines navigare compellit. per muros, bella significat. per agriculturam, famis ostendit timorem. *Idem.*

Tentare Thetim] De artis nauticæ processu Claud. in præfatione lib. I. de raptu Proserpinæ, ubi *tentare*, pro navigare:

Mox longos tentare sinus.

Sic Noster Ge. III. 77.

—— *Fluvios tentare minaces.*

Id est, ingredi. Servius avaritiam hominum causam navigationis statuit. Sed et illius, et Propertii sententia rejicienda, canentis El. I. 17.

Ah pereat, quicunque rates, et vela paravit
Primus, et invito gurgite fecit iter.

Temere etiam nimis in præfatione l. XIX. Plinius nullam execrationem sufficere dicit contra inventionem artis nauticæ. Necessitas, ut Schefferus de mil. naval. l. I. prima est causa, quæ navigationem produxit. Teste tamen Horat. Od. I. 3.

Illi robur, et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus.

Emmeness.

Ratibus] Ex pluribus malis et asseribus ratis fit, ut Varro de L. L. l. VI. vel ex tignis colligatis, ut Festus; vel ex trabibus connexis. Quod primum et antiquissimum navigii genus esse docet Isidorus XIX. 1. *Idem.*

Cingere muris Oppida] Urbes excitatæ ferreo sæculo, cum non hospes foret tutus ab hospite, neque a genero socer, quæ aureo sæculo non desiderabantur, de quo Ovid. Met. I. 97.

Nondum præcipites cingebant oppida fossæ.

Idem.

33 *Telluri infindere sulcos*] In Romano codice legere est, *tellurem infindere sulco.* in Oblongo Vaticano, *sulcis:* Longobardicus, Mediceus, et aliquot alii, vulgatam sequuntur lectionem. *Pierius.*

34 *Alter erit tum Tiphys*] Vel revera Tiphys, vel qualis Tiphys Argonautarum gubernator. Sane specialia pro generalibus ponit. Nam per Tiphyn, quencunque gubernatorem accipimus: per Argo, quancunque navem: per Trojam, quancunque civitatem: per Achillem, quencunque virum fortem. Videtur tamen hic locus dictus per ἀνακατάστασιν, id est, per omnium rerum revolubilitatem, ex syderum ratione venientem, ut diximus supra. Sane fabula de hoc gubernatore talis est: Pelias cum accepisset responsum ab Apolline, fore ut ab eo privaretur regno, et vita, qui altero pede nudo ei sacrificanti occurrisset: forte vidit Jasonem nudo pede venisse, qui dum Junonem transmutatam in anus speciem, credens mortalem, petentem per vadum fluminis transferret, alteram ex caligis in limo amiserat. Igitur Pelias metuens ex responsis facta, jussit eum Colchos proficisci ad petendam auream pellem arietis, qui Phrixum et Hellem Colchos pertulerat. qui fabricata navi, quam ab Argo fabricatore, Argo appellavit; contractaque juventute Græciæ, Tiphyn habuit gubernatorem. Sane quidam *Argo* a celeritate dictam volunt, unde verso in Latinum verbo, *argutos* celeres dici. Socii vero Jasonis Minyæ appellati sunt; vel ab Argo hujus nominis Colchorum, vel quod multi ex quadam Minya nati Jasoni se con-

junxerint; vel quod Minya Jasonimia terra avia fuerit: qui autem cum Jasone profecti sint, apud eos qui de fabulis scripserunt, plenius invenitur. *Servius.*

Alter erit tum Tiphys] Adminicula gubernandi Tiphys invenit, ut Plin. VII. 56. De quo Ovid. de art. am. I. 6.

Tiphys in Æmonia puppe magister erat.

Emmeness.

Argo] A fabricatore sortitur nomen, cujus meminit Phædrus IV. 6.

Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem.

Idem.

35 *Heroas*] Quidam a terra dictos volunt, quod terra ἥρα dicta sit, unde initio nati creduntur homines, qui nomen a matre traxerunt. *Servius.*

37 *Te fecerit ætas*] Ætas, hoc loco, modum annorum significat; ut, *ætas Lucinam justosque pati hymenæos:* nam subdidit, *Desinit ante decem, post quatuor incipit annos;* alias pro tempore posita, ut *veniet lustris latentibus ætas.* Idem.

38 *Cedet et ipse mari vector*] Necessario; siquidem,

Omnis feret omnia tellus] Navigatio enim ex mercimonii ratione descendit. Sane vector, tam is qui vehitur, quam qui vehit dicitur; est et nauta et mercator. *Servius.*

Cedet et ipse mari vector] *Vector* non tantum dicitur qui vehit, sed etiam qui vehitur. Ovid. Heroid. ep. XVIII. 148.

Idem navigium, navita, vector ero.

Phædr. IV. 16.

Inter vectorum lacrymas.

Emmeness.

Nautica pinus] Pinum esse materiam, unde ædifices naves, docent Plinius XVI. 39. Theophr. V. 2. et Veget. IV. 34. Sic Phædr. IV. 6.

Utinam nec unquam Pelei nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessala.

Horat. Od. I. 14.

Pontica pinus sylvæ filia nobilis.

Optime Noster Æn. IX. 85.

Pinea sylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio juveni, cum classia egeret,
Læta dedi.

Emmeness.

39 *Mutabit merces*] Quia antiqui res rebus mutabant. *Servius.*

Mutabit merces] Veteres *mutandi* verbo usi sunt pro emere, aut vendere, apud quos mercium permutatio locum habebat, nec pretium pro iis persolvebatur. Aristot. V. 8. Declarat idem titulus *de rerum permutatione* in Pandectis. Sic Noster Ge. III. 306.

—— *Quamvis Milesia magno*
Vellera mutentur.

Horat. Sat. I. 4. 29.

Hic mutat merces surgente a sole ad eum quo
Vespertina tepet regio.

Et Sat. II. 7. 109.

—— *An hic peccat, sub noctem qui puer uvam*
Furtiva mutat strigili?

Græcis in usu sunt duo verba ἀλλάττεσθαι et ἀντικαταλλάττεσθαι. *Emm.*

40 *Non rastros patietur humus*] Ovid. Met. I. 101.

Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.

Idem.

42 *Discet mentiri lana colores*] Cum enim tingitur, mentitur alienum colorem. *Servius.*

Discet mentiri lana colores] Id est, nec lana tingetur aliis, ac nativis,

coloribus. Plinius l. XXXV. c. 6. *quod chrysocollam luteam mentitur.* Sic alibi *candorem mentitus.* Emm.

43 *Ipse sed in pratis a. j. s. r. M. j. c. m. v. l.*] Hoc in honorem vel laudem Augusti refert. Traditur enim in libris Etruscorum, si hoc animal miro et insolito colore fuerit infectum, omnium rerum felicitatem imperatori portendi. *Ipse* autem quod addidit, non vacat: nam sunt quædam pronomina, quæ addita nominibus faciunt dignitatem, ut, *ipse modo Æneas* et *Turnus ego.* Sane in Numæ legibus cautum est, ut si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi et natis ejus, in cautione offerret arietem. Ergo hic bene videtur arieti dignitatem dare; dicendo *ipse;* qui oblatus, homicidam crimine homicidii possit exsolvere. *Servius.*

Jam] Significat modo. *Idem.*

44 *Murice*] Cochlea similis conchiliis, unde tingitur purpura. *Idem.*

Murice] Murex pisciculus est, qui cibi vicem præstat, cujus liquore tinguntur vellera et vestes. Martial. Epigr. XIII. 77.

Sanguine, de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, et, non est hoc satis, esca sumus.

Horat. Od. II. 16.

—— *Te bis Afro*
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ. ——

Pers. Sat. II. 65.

Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.

A purpura distinguit Plin. IX. 25. Per arietem insolito colore indutum portendi imperatori omnium rerum felicitatem, docet Macrob. III. 17. Ibi plura. *Emmeness.*

Mutabit] Tinget, inficiet per naturam. *Servius.*

Luto croceo] Rubicundo colore, et est Hypallage, pro croco luteo. Nam crocum, lutei coloris est. Unde et aluta pellis alba per naturam. *Idem.*

45 *Sandyx*] Herba est, de qua sandycinus tingitur color. *Idem.*

Sponte sua sandyx] Græcis etiam sandyx genus cerussæ a colore sandarachæ. Turnebus existimat concinnius hic sandycem herbam accipi, et ejus fuco inter pascendum agnos colorari, tum Plinii auctoritate, tum Hesychii, cujus hoc est: σάνδυξ βάνδρον, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Ἰωσίβιος. *Germanus.*

46 *Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fusis*] Ordo est, Talia sæcula currite fusis suis Parcæ dixerunt. *Servius.*

Sæcla] Sunt, qui contendunt, sine diphthongo scribendum, ut Dausquius. Sed per æ numismata, et inscriptiones habent, quæ Pierius, et Manutius citant. His adde numm. August. tab. 58. De felicitate aurei sæculi Lactantius v. 24. *Emmeness.*

Currite] Volvite. Melius est *currite,* imperativum esse modum: ut sit sensus, Dixerunt Parcæ concordes, suis fusis, id est vaticinationibus, currite talia sæcla: hoc ordine et eventu vestro estote. *Servius.*

Currite] In Mediceo codice, *currere;* sed melius per imperativum. Sic Catullus nupt. Pel.

Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Emmeness.

47 *Stabili*] Hic immutabili et semper manenti. *Servius.*

Fatorum numine] Fata dicta a fando: quia quæ Parcæ dixerunt, hæc credebantur evenire mortalibus. Numine autem, id est, potestate, divinatione, ac majestate. *Idem.*

Parcæ] Quæ et furiæ infernales; dictæ Parcæ, κατ' ἀντίφρασιν, quia nulli parcunt. *Idem.*

Concordes stabili fatorum numine Parcæ] Nam et quod una dixerit, duæ sequuntur; et fixa sunt statuta fatorum. Horatius, *Quod semel dictum, stabilisque rerum Terminus servet.* Idem.

49 *Cara deum suboles*] A *sub* et *olescendo* quia originem habet, per, *v*,

scribend. volunt Plerius, et Dausquius, adjectis nonnullis inscriptionibus, quibus codicis Romani fidem tuentur. *Cara Deum suboles* quod Græce διογενὴς. Vide Schol. ad Hom. Il. A. 176. *Emmeness.*

Cara] Sic in vulgatis, in codice Festi *clara*. Plerius.

Jovis incrementum] Nutrimentum. et est vulgare, bucolico quod convenit carmini. *Servius.*

50 *Nutantem mundum*] Nutat, præsentibus malis: sicut post lætari illum dicit: lætus est, bonis futuris: et bene quasi renascentem describit. Sane Jovem merito puerorum dicunt incrementa curare, quia cum pueri togam virilem sumpserint, ad Capitolium eunt. Nam et in Æn. VIII. Ascanius in Numanum intendens sagittam, Jovem magis invocavit, *Jupiter omnipotens audacibus annue cœptis.* Idem.

Convexo] Curvo, inclinato. *Idem.*

Tractus] A magnitudine dictum accipitur, et bene per hæc omnia mundum divisit. *Idem.*

53 *O mihi tam longe maneat pars ultima vitæ*] Utinam possim frui vita longissima; et habere tantum spiritum, quantus possit sufficere ad tuæ virtutis commemorationem. *Idem.*

55 *Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus*] Genere styli sese Orpheo, vel Lino meliorem fore commemorat. Nam non sibi arrogat: sed hoc dicit, Tanta est materia tuæ laudis, ut etiam humile ingenium in ea re supra omnes possit excellere. *Idem.*

56 *Adsit*] Pro faveat. *Idem.*

57 *Calliopea*] Græca declinatio. *Idem.*

Lino] Linus vero cum nomen hominis dicimus, brevis est *Li.* Statius, *Medio Linus intertextus acantho.* Cum autem linum dicimus, filum significantes, *Li* longa est; cum producatur apud Græcos. Linus Apollinis et Psamatis filius, qui theologiam scribit. *Idem.*

Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo] Vide ad hunc locum Schotti observat. II. 44. Phæd. l. III. in præfat.

Threissa quum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens; Musa Orpheo.

In Romano et Mediceo codice *Orphi* legitur, per synæresim. Plura Plerius. *Emmeness.*

58 *Pan etiam*] Redit ad numina rustica: nam satis excesserat dicendo Linum poëtam, et Orpheum theologum. *Servius.*

Pan etiam] In Oblongo codice legitur *Pan Deus*, et in sequenti *Pan etiam.* Magnam enim emphasim habere videtur, *Pan Deus.* Et adverte in hujusmodi lectione inferiore versu, *Pan* suspendendum esse; si cui vero magis placeat iteratio totius hemistichii, non laboro. Nam et ea quoque lepida, et suavis est. *Plerius.*

Arcadia judice] Quæ ei favet, ubi colitur. *Servius.*

Arcadia judice] Confidenter satis arbitros Poëta capit Arcadas, Pana colentes religiosissime. Sic Ecl. X. 26.

Pan Deus Arcadiæ——

Multa Pausanias in Arcadicis l. VIII. ἐστὶ καὶ ναὸς ἐν τῇ Ἡραίᾳ Πανὸς, ἅτε τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίου. *Emmeness.*

60 *Incipe parve puer*] Virgilius hic blandissimis et oculis et verbis puerum ad hilaritatem prolicit, ut risu se ostendat agnoscere matrem. deinde ei quibusdam terriculamentis minatur, nisi hoc faciat: denuncians, eos qui non arrisere parentibus, carulsse vitalitate. Et duplicem esse in ipsius risu gratiam. Nam et matrem recreabit, fessam decem mensium fastidio: et deos vitæ præsides, Genium et Junonem, quos parentes hic vocat, sibi conciliabit. *Nannius.*

Risu cognoscere matrem] Alludit ad id quod factum est: et rem naturalem ait. Sicut enim majores se sermone cognoscunt: ita infantes, pa-

rentes risu se indicant agnoscere. Ergo hoc dicit, Incipe parentibus arridere: et eis spe ominis boni detrahere sollicitudinem: ut ipsi tibi arrideant. *Servius.*

61 *Tulerunt*] Alii, *abstulerint* legunt; ut sit, *Si riseris, abstulerint decem menses matri tuæ longa fastidia.* matri enim decem menses attulerunt longa fastidia: quia prægnantes solent fastidia pati. *Idem.*

Tulerunt] *Tulerunt* quidem in Romano codice legitur, in Longobardico, et in Oblongo, *tulerant*. In Mediceo et aliquot aliis perveteribus *tulerint*. Neque desunt, qui teste Servio *abstulerint* legant. Sed enim Donatus in Eunuchi prologo locum hunc citat, et *tulerunt* pene ultima correpta legit, ad similitudinem illius Terentiani versus: *Postquam ædiles emerunt*, ubi necesse est ultimum saltem pedem esse iambum. Agnoscit et Probus *tulerunt*, et Metaplasmum esse dicit media correpta syllaba, quæ natura longa sit. Et et *decim* per i, de quo superius. *Pierius.*

Tulerunt] De systole notissima et usitatissima vide Nobiliss. Heins. ad Heroid. ep. II. 142. *Præbuerunt.* Et VII. 106.

Nec steterunt in te virque paterque meus.

Emmeness.

Decem menses] Quia mares in decimo nascuntur mense, fœminæ vero in nono. *Servius.*

Decem menses] Pro eo Stat. Theb. l. I. *Bis quinos.* De decem mensium partu, multa congessit Cerda. Turneb. IV. 15. De Lunæ mensibus explicandum hunc locum putat, qui breviores erant, cum veteres eos ad Lunæ cursum, non ad solis metirentur. Oppianus A. 394.

Ὡς δ' ὅτε τις κούρη δέκατον περὶ μῆνα σελήνης
Πρωτοτόκος λοχίῃσιν ὑπ' ἀδίνεσσι τυπεῖσα.

Emmeness.

62 *Cui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est*] Sicut Vulcano contigit: qui cum deformis esset, et Juno ei minime arrisisset, ab Jove est præcipitatus in insulam Lemnum. Illic nutritus a Sinciis, cum Jovi fulmina fabricasset, non est admissus ad epulas deorum. Postea cum rogaret ut cum Minerva conjugium sortiretur: spretus ab ea est. Unde divinos honores non meruit: ad quos aut per convivium numinum, aut per conjunctionem venitur dearum. Hinc est, quod Junoni in primo Æn. Æolus agit gratias, quod per ejus beneficium divinos honores meruit: ut, *Tu das epulis accumbere divum.* Alii dicunt quod cum Vulcanus parentes suos diu quæreret, nec inveniret; sedile fecit tale, ut cum eo qui sedisset surgere non posset; in quo cum adsedisset Juno, nec posset exsurgere; Vulcanus negavit se soluturum omnino, nisi prius parentes suos sibi monstrasset, atque ita factum est ut in Deorum numerum reciperetur. *Servius.*

Cui non risere parentes] Non me fugit quo pacto Quintilianus lectionem hanc acceperit, quam hic in numero figurarum esse dixerit, quantumque viri peritissimi sibi super hoc loco applaudere visi sint. Quæ vero in hoc disputent, alii viderint. Nos antiquissima hæc omnia exemplaria contulimus, in quibus omnibus scriptum observavimus *cui* dativo casu. In aliquot etiam *quoi*, Catulliano more, ut alibi: *Quoi non dictus Hylas.* Quo de genere scriptionis Quintilianus, Veteres ante se ait, *cui*, quod tribus jam litteris enotari cœptum erat, *quoi* ad pinguem sonum usos: tantum ut ab illo *qui* distingueretur. *Pierius.*

63 *Nec deus hunc mensa*] Alii ita intelligunt, quasi tam cito extinctus sit, ut nec Veneri nec Libero potuerit operari. Proinde nobilibus pueris editis, in atrio domus Junoni

lectus, Herculi mensa ponebatur. *Servius.*

Non deus] Id est Jupiter. *Idem.*

Nec dea] Id est Minerva. *Idem.*

Dea nec dignata cubili est] In Romano codice scriptum est: *cubilest*, Plautino more. In altero perveteri *cubili* absque verbo *est*. Sed ea synalæpha, quæ fit in *cubili est*, huic humili generi maxime convenire videtur, et nescio quid suavitatis in eorum auribus relinquere, qui musicis Poëtarum insuerint. *Pierius.*

Cui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est] Mirum in modum hic locus torquet Grammaticos. Turneb. XVI. 15. et XVIII. 34. et Politianus Miscell. c. 89. sequi videntur sententiam Quintil. IX. 3. legentis *qui*, non, *cui*. Hæc ejus est interpretatio: *ex iis enim qui non risere, &c.* quæ etiam Cerdæ, et aliorum expositioni inservit. Pierius vero, *cui* legendum censet in dativo, quod Nannius nominativi casus vult esse, quam sententiam adstruit Dausquius, formula ex 12. tab. petita: CVICVI VOLET. Cerda, *risere parentes*, inquit, id est, ad parentes, a subaudita præpositione, quod probat Scaliger: nam ad parentes qui alludunt infantuli, magis eorum pectora inflammant. Exemplum est Cyrus apud Justin. V. 4. Qui, blandienti risu, ad pastoris uxorem, *tanquam ad notam, alluisse* dicitur, et quidem optimis auspiciis. Alii, inter quos Pimpontius, *parentes*, quintum casum affirmant. An de Vulcano? An de Salonino, Pollionis filio? Quisque pro arbitrio decidat. *Emmeness.*

ECLOGA V.

Menalcas] Virgilius hic intelligitur, qui obitum fratris sui Flacci deflet: vel, ut alii volunt, interfectionem Cæsaris. *Mopsus* vero Æmilius Macer Veronensis Poëta, amicus Virgilii. *Servius.*

1 *Cur non Mopse, boni*] Inducuntur duo pastores canere delectationem: Unde et se laudantes sibi invicem cedunt. *Idem.*

Boni] Docti. et figurate ait, ambo boni, id est,

2 *Tu calamos inflare leves:* Calamos, aut leves versus, id est subtiles, sed melius est calamos leves, ego dicere versus, boni dicere, versus; boni dicere autem Græcum est, ita nos legimus: dicere sane pro canere, ut, *Dianam teneræ dicite virgines.* ponitur et pro nominare, ut *Italiam dixisse ducis de nomine gentem.* Servius.

Boni] Id est, periti. Hellenismus est, cujus bene multa suppeditat exempla Vechnerus in lib. Hellen. I. 5. Petr. Victorius var. lect. XVII. 25. *Doctum cantare, condere, &c.* Locus debetur Theocr. Idyll. VIII. 4.

Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδειν.

Quemadmodum *bonus* (Statius Achill. l. IV.

—— *Tecum lituo bonus adsit Agyrtes.)*

Et ἀγαθὸς gr. idem quod, doctus, sciens; sic, malus, pro imperito, apud Phæd. I. 14. *Malus cum sutor inopia deperditus.* Et Græce, κακὸς: sic apud Eurip. καιαὶ γεωργεῖν χεῖρες εὖ τεθραμμέναι. *Emmeness.*

Convenimus] In Oblongo cod. *con-*

sedimus legitur, omnino corrupte. Nam *convenire* huic sententiæ congruit. *Pierius.*

3 *Hic corylis mixtas inter consedimus ulmos*] Ordo est, Cur non Mopse hic consedimus inter ulmos mixtas, corylis scilicet, ut canamus. Sane *inter* præpositio, quia post posita est, mutavit accentum, sicut *Circum*. Servius.

4 *Tu major*] Id est vel natu, vel merito. *Idem.*

5 *Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras*] Dicit quidem verecunde se illi obtemperare debere: ostendit tamen quid sibi placeat. Nam ex ipsa laude antri, et ex arborum vituperatione, quarum incertas umbras esse dicit, ostendit suam sententiam esse meliorem. Incertæ autem umbræ sunt, et ex Solis circuitu, et ex mobilitate ventorum; quod ipse etiam dicit, Zephyris motantibus umbras. *Idem.*

6 *Antro potius succedimus*] Succedimus et dativo et accusativo casibus, secutus tam veterem, quam nostram consuetudinem, suo more jungit; sive umbras succedimus, sive antro; cum alibi secutus tantum antiquos, dativo tantum succedere junxerit; ac *nostris succede penatibus*, et *successitque gemens stabulis*. Sallustius tamen succedere accusativo junxit. Sed ubi prope significat: *Cum murum hostium successisset, pœnas dederat:* hoc est, cum prope murum accessisset. Succedere autem idem significat, quod et subire, id est, penitus intrare. *Idem.*

7 *Labrusca*] Vitis agrestis: quæ, quia in terræ marginibus nascitur, labrusca dicitur, a libris et extremitatibus agrorum; vel quod sapore acerbo, labra lædat. *Idem.*

Sparsit labrusca] Usus hic Virgilius genere fœminino, qui genere neutro plurali numero dixit in Culice,

Densaque virgultis avide labrusca petuntur.

Pierius.

8 *Montibus in nostris*] Ac si diceret, in nostro territorio. *Servius.*

Tibi certet] Usurpatum est. nam hodie, certo tecum dicimus. *Idem.*

Tibi certet] Verba contentionis amant dativum. Ecl. VIII. 55.

Certent et Cycnis ululæ.

Catull. Carm.

——*Noli pugnare duobus.*

Sic Græce μάχεσθαι τοῖς πολλοῖς, plura Vechner. hellenol. I. 4. *Enmeness.*

Solus tibi certet Amyntas] In Mediceo, et omnibus fere codicibus antiquis, *certat* legitur: indicativo modo. Sed in Oblongo, *certet*, ut in vulgatis est, et ita etiam est in citato versu apud Arusianum Messum. *Pierius.*

Amyntas] Cornificius per ironiam dicitur. *Servius.*

9 *Quid, si idem certet Phœbum superare canendo*] Offensus comparatione inferioris, hoc dixit: licet non amare Menalcas dixerit, *Solus tibi certet Amyntas.* quod tamen quia hic aspere accepit; ille paulo post curat, dicens, *Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ.* Idem.

Quid si idem Phœbum certet superare] In Mediceo, et aliquot aliis codicibus antiquis, mutatis dictionibus legitur, *Quid si idem certet Phœbum superare*, quod parvi momenti est. *Pierius.*

10 *Phyllidis ignes*] Phyllis Sitonis filia, regina Thracum fuit. Hæc Demophoontem Thesei filium regem Atheniensium, redeuntem de Trojano prælio, dilexit, et in conjugium suum rogavit. ille ait ante ordinaturum se rem suam: et sic ad ejus nuptias reversurum. profectus itaque cum tardaret: Phyllis et doloris impulsu, quod se spretam credebat, laqueo vitam finivit, et conversa est in arborem amygdalum sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, ejus amplexus est truncum; qui, velut sponsi sentiret adventum, folia emisit. Unde etiam phylla sunt dicta a Phyllide, quæ antea petala dicebant

tur. Sic Ovidius in Metamorphoseon libris. *Servius.*

11 *Aut Alconis laudes*] Hic Cretensis sagittarius fuit, comes Herculis; ita peritus ut ictus ejus non falleretur. namque positos supra capitè hominum anulos trajiciebat; capillos spiculis sagittarum rumpebat, sagittas sine ferro positis ex adverso gladiorum lancearumve mucronibus findebat; cujus cum filium draco invasisset, tanta arte direxit sagittam; ut ea currens, in serpentis deficeret vulnere, nec transiret in filium. *Idem.*

Jurgia Codri] Codrus dux Atheniensium fuit, qui orto bello inter Laconas et Athenienses; cum respondisset oraculum, illos posse vincere, quorum dux ab hostibus fuisset occisus; et hostes scientes a Codro abstinerent, habitu humili profectus est ad hostium vicina tentoria: et illic jurgio eos in suam cædem instigavit, cum a nullo fuisset agnitus: et sic locum fecit oraculo; nam Athenienses eo prælio vicerunt. *Idem.*

Aut jurgia Codri] Servius ait, Orto bello inter Laconas et Athenienses. At Plutarchus in parallelis ex Historico Socrate bellum hoc adversus Thracenses ponit, Codrumque uno ex hostibus falce interempto, concitasse alios in cædem suam. Tu, quæ multa Justinus de Codri morte exequitur, videris. *Pierius.*

13 *Cortice fagi*] Ubi enim debuit magis rusticus scribere. *Servius.*

14 *Modulans alterna*] Secundum rhythmum componens. Alterna autem, varia, propter musicam: cujus sonus varius invenitur, ex pedum dissimilitudine. Significat autem cantaturum se epicedion et epitaphion. Nam epicedion est, quod dicitur cadavere nondum sepulto. ut, *Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnin.* Epitaphion autem, post completam sepulturam dicitur; ut, *Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sidera notus.* Idem.

15 *Jubeto certet Amyntas*] In Romano codice, in Longobardico, et in Mediceo legitur *jubeto ut certet.* Sed enim absque *ut*, elocutio venustior videtur bonæ eruditorum parti. *Pierius.*

16 *Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ*] Rusticis utitur comparationibus. Salix autem vilissima est arbor, olivæ comparatione. *Servius.*

17 *Saliunca*] Herbæ genus, quam orcitunicam vulgo vocant. *Idem.*

Humilis saliunca] Eleganter ejus radix Orcitunica est appellata, quæ sacci habet instar vel tunicæ. Et hæc veterum Latinorum *Saliunca*, est ipsissima montana nardus Græcorum, quæ θυλακῖτις ac περιτις ab ipsis cognominata est. Quod autem vetus auctor Glossarii *saliuncam* exponit κυνόροδον et ἀγριόροδον prorsus fallitur. Hinc etiam *saliuncam* pro rosa agresti, quæ florem album sustinet, accepere; quæ dignitate multum infra rosam puniceam est. Et *saliuncam* vestibus interponi solitam odoris gratia, prodit Plinius XXI. 7. *Salmasius.*

18 *Iudicio nostro*] Ac si diceret, Quid alii sentiant, videris; et bene satisfecit, in quo reprehensus est, quod Mopso Amyntam comparasset. *Servius.*

19 *Desine*] Omitte, ut *Desine Menalios.* Salustius, *Bellum, quibus posset conditionibus desineret.* Idem.

20 *Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnim*] Multi dicunt, simpliciter defleri hoc loco Daphnim quemdam pastorem; quem mater sua compressa a Mercurio, et enixa abjecit; hunc Pastores invenerunt inter lauros, Daphnim vocaverunt: quem Pan musicam docuisse dicitur; qui cum et venationis et musices peritissimus esset, adamatus a Nympha est; qui etiam jurejurando adstrictus est, ne cum alia concumberet. Hic dum boves persequitur, ad regiam pervenit; et ob pulchritudinem appetitus, cum regis filia consuetudinem inie-

cuit; hoc cum Nympha rescisset, luminibus eum orbavit. Ille in auxilium patrem Mercurium invocavit; qui eum in cælum eripuit, et in eo loco fontem elicuit, qui Daphnis vocatur; apud quem quotannis Siculi sacrificant. Alii dicunt significari per allegoriam Gajum Julium Cæsarem; qui in senatu a Cassio et Bruto viginti tribus vulneribus interemptus est. Unde et *crudeli funere* volunt dictum. Sed si de Gajo Cæsare dictum est; multi per matrem, Venerem accipiunt: per leones et tigres, populos quos subegit: per thiasos, sacra quæ Pontifex instituit: per formosum pecus, populum Romanum. Alii volunt Quintilium Varum significari, cognatum Virgilii, de quo Horatius, *Ergo Quintilium perpetuus sopor Urget*. Tamen *crudeli funere*, ad quemvis potest referri. Quidam dicunt Virgilium fratris sui Flacci mortem deflere. *Idem.*

Extinctum] *Extinctum*, id est, præmatura morte raptum. Just. XIII. 11. *Extincto in ipso ætatis ac victoriarum flore Alexandro Magno.* Emmeness.

Daphnin] In Romano codice, quia putabant adscriptionem non nisi vocalibus applicari, nomen hoc passim adspiratione, vel sublata, vel translata post subscripserunt *Dapnhin*. In aliquot absque ulla adspiratione scribitur *Dapnin*, ut in Mediceo habetur. Daphnidis porro mortem ex amore provenientem Theocritus late scribit in Ode Thyrsidis. Quod vero hic Quintilius intelligatur sub Daphnidis persona, ostendere videtur Horatius, ubi de Quintilio ait: *Nulli flebilior quam tibi, Virgili.* Solent enim Poëtæ libenter alludere ad amicorum opera, eaque suo ita testimonio apud posteros commendare. Fuit vero Quintilius hic Cremonensis, de quo Eusebius in libro de temporibus: *Quintilianus Cremonensis Virgilii et Horatii familiaris moritur.* Pierius.

21 *Vos coryli testes, et flumina nymphis*] Bene testimoniis utitur, in rebus incredibilibus. Nam fletum facile dearum persona non recipit. Et bonis usus est gradibus: *fleverunt Nymphæ*, quibus insita est naturaliter pietas: homines, ad quos mortis pervenit dolor: pecudes, quæ licet ratione careant, tamen non carent sensu: feræ; crudelitate gaudentes. Quam rem rursus, quia incredibilis est, testimonio comprobat, dicens; *Hoc et montes loquuntur et sylvæ.* Quod autem ait, *coryli et flumina*, usurpatum est. nam testes flumina non dicimus. Quoniam quæ in *is* exeunt, neutrum in *e* mittunt, ut agilis agile. Sed nec hoc teste, nec hæc testia possumus dicere. Unde per diffinitionem debemus dicere, testes mihi sunt; quæ res? coryli et flumina: Sic Horatius,

——*Testis Metaurum flumen.*

Propert. Eleg. II. 9.

—— *Testes sunt sydera nobis.*

Servius.

22 *Cum, complexa sui corpus miserabile nati*] Lugentium est, ut et corpori inhæreant. *Idem.*

Complexa sui corpus miserabile gnati.] Sic Æn. XI. 59.

Hæc ubi defletit, tolli miserabile corpus
Imperat.

Sic adhæsit Evander occisi Pallantis cadaveri. Virg. Æn. XI. 148.

At non Evandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios: pheretro Pallante reposto,
Procumbit super, atque hæret lacrymansque gemensque.

Idem factitatum sanctorum corporibus, illis adhærescere, ea amice complecti solebant, &c. ut Euseb. VII. 17. *Emmeness.*

23 *Atque deos atque astra vocat crudelia*] Per quæ hominum fata moveri, atque impleri, vel mutari putabant. *Quæ acceleraverunt Daphnidis mortem.* Servius.

Atque Deos atque astra vocat crudelia mater] Geminata et triplicata particula *atque* maximam interdum gratiam adfert orationi. Noster Ge. III. 257.

Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.

Et Ge. IV. 462.

Atque Getæ, atque Hebrus, atque Actias Orithyia.

Emmeness.

25 *Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem*] In Longobardico legitur *ad flumina ulla neque amnem*. absque collisione in quarto pede, quod nescio quid magis miserabile sapit, ea exilitate prolatum, puncti præsertim interpositi suspensione. *Pierius.*

Nulla neque] Locutio referenda ad Hellenismum, duplex enim negatio Græcis affirmat. Adspirat tantum ad Nostrum Tibullus, neque enim æquat multis spatiis:

Ulla nec aërias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas perlabitur aspera sylvas.

Cerda.

Nulla quadrupes] Hic et hæc quadrupes dicimus: ut ipse alibi, *Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit*. Servius.

26 *Libavit quadrupes*] In Romano codice passim legitur *Quadripes* per *i* in penultima, ut Bipes, Tripes. In versu vero remansit *quadrupes* per *u*, ut ex contimace contumax, Aucupium ex aucipio, de quibus alibi. *Pier.*

Quadrupes] De lacrymis et luctu equorum, dicemus Æn. XI. 89. Boves non expertes fuisse mœroris propter amissum bubulcum discimus ex Long. pastoral. l. I. Ἠκούσθη καὶ τῶν βοῶν ἐλεεινὰ μυκήματα, καὶ δρόμοι τινὲς ἄφθησαν ἅμα τοῖς μυκήμασιν ἄτακτοι· καὶ ὡς ἐν τοιμέσιν εἰκάζετο καὶ αἰπόλοις ταῦτα, θρήνος ἦν τῶν βοῶν ἐπὶ βουκόλῳ τετελευτηκότι. *Emmeness.*

27 *Pænos etiam ingemuisse leones*] In Romano codice legere est *gemuisse*. Sed *ingemuisse* majorem habet vim, et numerus ipse magis delectat. *Pierius.*

Pænos etiam ingemuisse leones] Europæos tamen esse præstantiores iis, qui in Africa inveniuntur, docet Aristot. de hist. an. VIII. 28. et Plin. VIII. 16. Sic leo *Getulus*. Noster Æn. V. 351.

—— *Tergum Getuli immane leonis.*

Emmeness.

28 *Montesque feri sylvæque loquuntur*] Hyperbolicûs dicit. Et notandum quod cum diceret ejus apotheosin; e contra lætitiam rebus omnibus dat, quas nunc in mœrore fuisse memoravit. *Servius.*

29 *Daphnis et Armenias curru subjungere tigres Instituit*] Hoc aperte ad Cæsarem pertinet: quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam. *Idem.*

Curru] Pro currui. *Idem.*

Curru] Nihil notius est, quam currum Bacchi protractum a tigribus. Virg. Æn. VI. 80.

Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.

Sil. Ital. l. XVII. circa finem:

Qualis odoratis descendens Liber ab Indis
Egit pampineos frænata tigride currus.

Congeriem exemplorum qui desiderat videat in hunc locum Dausquium, et Scheff. de re vehic. I. 9. *Emmeness.*

30 *Thiasos*] Saltationes, choreas. Liberi, id est liberalia. Sunt enim thiasi cœtus virginum atque puerorum bacchantium, plangentibus Nymphis. Dicunt etiam thyasos vel rectius thyrsos esse hastas, variis sertis indutas, quibus bacchæ mulieres in sacris Liberi patris utebantur. *Servius.*

Thiasos] Quod *thiasus* sit saltatio ex verbis liquet Hesychii: Θίασος, χοροῦ σύστασις, ἢ σύλλογος, καὶ τὸ ψιλὸν πλῆθος, ἔστ' ὅτε δὲ καὶ τὸ Βακχικὸν, ἢ ἰσμὸς γυναικῶν. Virg. Æn. VII. 580.

Tum, quorum attonitæ Baccho nemora avia matres

Insultant thiasis.

Statius Achill. l. II.

Te precor hic thiasos tantum, nihil utile bellis,
Hoc famam narrare doce.

Sic l. IV.

——*Thiasis Ismænia buxus*
Signa dedit.

Per i scribendum monet Dausquius. *Emmeness.*

Inducere Baccho] *Baccho* passim habetur in impressis codicibus. In antiquis omnibus *Bacchi*, ut sit *Thyasos Bacchi*. In Longobardico ultima littera abrasa est, et *o* repositum aliena manu et atramento: videtur vero *Bacchi* fuisse prius. Si tamen malis *Baccho* acquisitive legere, non laboro. *Pierius.*

32 *Vitis ut arboribus decori est*] Bene, ut pastores similitudines de rebus agrestibus sumunt. Locus Theocriti est. *Servius.*

Vitis ut arboribus decori est] Hoc quoque ex Theocr. Idyll. VIII.

Τᾷ δρυΐ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,
Τᾷ βοΐ δ' ἁ μόσχος, τῷ βωκόλῳ αἱ βόες αὐταί.

Ursinus.

34 *Tuis*] Sic tu es Romanis Cæsar. sic pastoribus Daphnis. *Servius.*

35 *Pales*] Dea pabulorum. 2. dea pastoralis. *Idem.*

Apollo] Hic Apollinem dicit νόμιον, id est, pastoralem. Nam Admeto regi pavit armenta. et hoc dicit, Nec pabula nascuntur, nec pecora. *Idem.*

Pales] Pabuli Dea, quæ cum Apolline νομίῳ religiose colitur. Sic Noster Ge. III. 1.

Te quoque magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso

Ovid Fast. IV. 725.

Alma Pales faveas pastoria sacra canenti.

Tibull. el. I. 1. Deum facit.

Hic ego pastoremque Deum lustrare quotannis,
Et placidum soleo spargere lacte Palem.

Sic etiam in masculino Servius, loco citato in Georgicis. Huic sacra solvuntur 11. Kal. Majas die, quæ *Palilia* vocantur, de quibus Ovid. Fast. IV. 721. *Emmeness.*

36 *Grandia ordea*] Usurpative metri caussa dixit. nam triticum, vinum, hordeum, mel, numeri tantum singularis sunt. Unde plurali in prosa uti non possumus: vina tamen possumus dicere Ciceronis exemplo; qui ait in prætura, *Vina, cæteraque quæ in Asia facile comparantur.* Servius.

Mandavimus] Commendavimus vel seminavimus. et recte dicitur reddituris. *Idem.*

Grandia sæpe quibus mandavimus hordea] In antiquis quibusdam codd. *quidem*. Sed, Pierio teste, receptum *quibus*. et *hordea* scribendum per adspirationem ab antiquo *hordus*, quod est gravidus, *ut horda bos*, seu *forda*, de qua Festus, cum laudato Pierio vult Dausquius. *Emmeness.*

37 *Infelix lolium*] Inutile, infœcundum. Qui lolium manducant, cæcitatem patiuntur. *Steriles* autem *avenas* secundum situm Italiæ dixit. Nam in Thracia fructuosæ sunt. Hæc autem dicit contingere, ut ostendat terram quoque dolere Daphnidis mortem. *Servius.*

Infelix lolium et steriles dominantur avenæ] In impressis tantum codicibus legi. In antiquis vero omnibus, quotquot habere contigit, *nascuntur* eo loco positum observavi. *Dominantur* enim, quod numerosius est, omnino habetur in Georg., qui stilus supra bucolicum non nihil extollitur. *Steriles* vero *avenas* dixit, quia frumenti vitium est avena, et hordeum quoque in eam degenerat. Quod quidem vitium soli maxime, cœlique humore evenire, tradit Plin. l. XVIII. Nec inficias eo, avenam esse genus segetis. Sed hoc loco poëta de iis quæ degenerant loquitur. *Pierius.*

Infelix lolium] Inter vitia frugum numerat lolium Plin. XVIII. 17. recte igitur *infelix*. *Nam lolium et tribulos, et carduos, lappasque, non magis quam rubos, inter frugum morbos potius quam inter ipsius terræ pestes numeraverim.* Quid sit *lolium* docet Theoph. VIII. 7. de hist. Plant. Herba nociva oculis, inde *lolio victitare* Plauto dicuntur, qui visu sunt imbecillo. in Mil. II. 3. 50. et Ovid. Fast. I. 691.

Et careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec sterilis culto surgat avena solo.

Emmeness.

38 *Purpureo narcisso*] Duo ὁμοιοτέλευτα, et purpureo nunc specioso. *Serv.*

39 *Carduus*] Spinæ genus. *Idem.*

Paliurus] Herba asperrima et spinosa. vel, ut quidam volunt, spina alba. *Idem.*

Paliurus] Inter frutices Theophr. III. 17. et IV. 4. παλίουρος θαμνωδέστερος τοῦ λωτοῦ. Spinæ genus est, de qua Plin. XXIV. 13. et Salm. in Plin. p. 1037. et Meurs. in arboreto sacro c. 5. *Emmeness.*

40 *Spargite humum foliis*] Id est, Implete. ut, *Spargitur et tellus lachrymis, sparguntur et arma.* Et dicit ornandum esse locum sepulchri, ex voluntate defuncti. *Servius.*

Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras] Hæc conjuncta etiam sunt Ecl. IX. 19.

—— *Quis humum florentibus herbis*
Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra.

Emmeness.

Inducite fontibus umbras] Facite nemora circa fontes. et hoc ideo, quia, ut diximus, heroum animæ habitant vel in fontibus, vel in nemoribus. ut *Lucis habitamus opacis, Riparumque toros, et prata recentia rivis Incolimus.* Servius.

Inducite fontibus umbras] Ita pleraque antiqua legunt exemplaria, quod etiam in vulgatis codicibus habetur. In Romano tamen *aras* non *umbras* legitur, et aliquot exemplaria non *fontibus*, sed *frondibus* habent, quamvis et alicubi *frundibus* per *u* sit, ut non invenuste legas, *inducite frondibus aras.* Nam *inducere* vestire etiam significat, ut apud Sueton. in Aug. *Calceum præpostere inductum* legas. Hæc tamen ita dicta sint, ut minime displiceat vulgata lectio: *fontibus umbras.* Pier.

42 *Superaddite carmen*] Duos versus carmen vocavit: nec mirum; cum etiam de uno *carmen* dixerit: ut, *Et rem carmine signo. Æneas hæc de Danais victoribus arma.* Servius.

Superaddite carmen] Id est, titulum, ἐπιγραφήν. pleraque monumenta inscriptionem habuere. vel in prosa: ut HIC SITVS. HIC JACET. HIC POSITVS, &c. vel in oratione ligata qualium titulorum vim collegerunt Guth. de jure manium II. 26. Kirchm. de Fun. Rom. III. 19. Briss. de Form. l. VII. Ut *carmen* hic de duobus versibus, sic Ovid. Heroid. ep. II. 145.

Inscribere meo causa invidiosa sepulcro:
Aut hoc, aut simili carmine notus eris.
Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem.
Ille neci causam præbuit, ipsa manum.

Imo de uno versu. Ovid. Met. II. 326.

Corpora dant tumulo: signantque hoc carmine saxum:
Hic situs est Phaëton, currus auriga paterni.

Quæ brevitas in epitaphio requiritur, ut monet Vossius instit. poët. III. 21. Ubi bene distinguit inter ἐπίγραμμα, quod alicui rei inscribitur, et ἐπιτάφιους, qui incidebantur sepulcro. *Emmeness.*

43 *Daphnis ego in sylvis, hinc usque ad sidera notus*] In sylvis notus; et hinc usqūe ad sydera. *Servius.*

44 *Formosi pecoris custos, formosior ipse*] Si ad Cæsarem referas, hoc

Insultant thiasis.

Statius Achill. l. II.

Te precor hic thiasos tantum, nihil utile bellis,
Hoc famam narrare doce.

Sic l. IV.

——*Thiasis Ismaria buxus*
Signa dedit.

Per i scribendum monet Dausquius. *Emmeneus.*

Inducere Baccho] *Baccho* passim habetur in impressis codicibus. In antiquis omnibus *Baecchi*, ut sit *Thyasos Bacchi*. In Longobardico ultima littera abrasa est, et *o* repositum aliena manu et atramento: videtur vero *Baecchi* fuisse prius. Si tamen malis *Baccho* acquisitive legere, non laboro. *Pierius.*

32 *Vitis ut arboribus decori est*] Bene, ut pastores similitudines de rebus agrestibus sumunt. Locus Theocriti est. *Servius.*

Vitis ut arboribus decori est] Hoc quoque ex Theocr. Idyll. VIII.

Τᾷ δρυὶ ταὶ βδλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,
Τᾷ βοῒ δ' ἀ μόσχος, τῷ βωκόλῳ αἱ βόες ἀβραί.

Ursinus.

34 *Tuis*] Sic tu es Romanis Cæsar. sic pastoribus Daphnis. *Servius.*

35 *Pales*] Dea pabulorum. 2. dea pastoralis. *Idem.*

Apollo] Hic Apollinem dicit νόμιον, id est, pastoralem. Nam Admeto regi pavit armenta. et hoc dicit, Nec pabula nascuntur, nec pecora. *Idem.*

Pales] Pabuli Dea, quæ cum Apolline νομίῳ religiose colitur. Sic Noster Ge. III. 1.

Te quoque magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso

Ovid Fast. IV. 725.

Alma Pales faveas pastoria sacra canenti.

Tibull. el. I. 1. Deum facit.

Hic ego pasteramque Deum lustrare quotannis,
Et placidum soleo spargere lacte Palem.

Sic etiam in masculino Servius, loco citato in Georgicis. Huic sacra solvuntur 11. Kal. Majas die, quæ *Palilia* vocantur, de quibus Ovid. Fast. IV. 721. *Emmeneus.*

36 *Grandia ordea*] Usurpative metri causa dixit. nam triticum, vinum, hordeum, mel, numeri tantum singularis sunt. Unde plurali in prosa uti non possumus: vina tamen possumus dicere Ciceronis exemplo; qui ait in prætura, *Vina, cæteraque quæ in Asia facile comparantur.* Servius.

Mandarimus] Commendavimus vel seminavimus. et recte dicitur reddituris. *Idem.*

Grandia sæpe quibus mandavimus hordea] In antiquis quibusdam codd. *quidem.* Sed, Pierio teste, receptum *quibus.* et *hordea* scribendum per adspirationem ab antiquo *hordus*, quod est gravidus, *ut horda bos*, seu *forda*, de qua Festus, cum laudato Pierio vult Dausquius. *Emmeneus.*

37 *Infelix lolium*] Inutile, infœcundum. Qui lolium manducant, eruditatem patiuntur. *Steriles* autem *aveuas* secundum situm Italiæ dixit. Nam in Thracia fructuosæ sunt. Hæc autem dicit contingere, ut ostendat terram quoque dolere Daphnidis mortem. *Servius.*

Infelix lolium et steriles dominantur avenæ] In impressis tantum codicibus legi. In antiquis vero omnibus, quotquot habere contigit, *nascuntur* eo loco positum observavi. *Dominantur* enim, quod numerosius est, omnino habetur in Georg., qui stilus supra bucolicum non nihil extollitur. *Steriles* vero *avenas* dixit, quia frumenti vitium est avena, et hordeum quoque in eam degenerat. Quod quidem vitium soli maxime, cœlique humore evenire, tradit Plin. l. XVIII. Nec inficias eo, avenam esse genus segetis. Sed hoc loco poëta de iis quæ degenerant loquitur. *Pierius.*

Infelix lolium] Inter vitia frugum numerat lolium Plin. XVIII. 17. recte igitur *infelix*. *Nam lolium et tribulos, et carduos, lappasque, non magis quam rubos, inter frugum morbos potius quam inter ipsius terræ pestes numaverim.* Quid sit *lolium* docet Theoph. VIII. 7. de hist. Plant. Herba nociva oculis, inde *lolio victitare* Plauto dicuntur, qui visu sunt imbecillo. in Mil. II. 3. 50. et Ovid. Fast. I. 691.

Et careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec sterilis culto surgat avena solo.

Emmeness.

38 *Purpureo narcisso*] Duo ὁμοιοτέλευτα, et purpureo nunc speciosо. *Serv.*

39 *Carduus*] Spinæ genus. *Idem.*

Paliurus] Herba asperrima et spinosa. vel, ut quidam volunt, spina alba. *Idem.*

Paliurus] Inter frutices Theophr. III. 17. et IV. 4. παλίουρος θαμνωδέστερος τοῦ λωτοῦ. Spinæ genus est, de qua Plin. XXIV. 13. et Salm. in Plin. p. 1037. et Meurs. in arboreto sacro c. 5. *Emmeness.*

40 *Spargite humum foliis*] Id est, Implete. ut, *Spargitur et tellus lachrymis, sparguntur et arma.* Et dicit ornandum esse locum sepulchri, ex voluntate defuncti. *Servius.*

Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras] Hæc conjuncta etiam sunt Ecl. IX. 19.

—— *Quis humum florentibus herbis*
Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra.

Emmeness.

Inducite fontibus umbras] Facite nemora circa fontes. et hoc ideo, quia, ut diximus, heroum animæ habitant vel in fontibus, vel in nemoribus. ut *Lucis habitamus opacis, Riparumque toros, et prata recentia rivis Incolimus.* Servius.

Inducite fontibus umbras] Ita pleraque antiqua legunt exemplaria, quod etiam in vulgatis codicibus habetur. In Romano tamen *aras* non *umbras* legitur, et aliquot exemplaria non *fontibus*, sed *frondibus* habent, quamvis et alicubi *frundibus* per u sit, ut non invenuste legas, *inducite frondibus aras.* Nam *inducere* vestire etiam significat, ut apud Sueton. in Aug. *Calceum præpostere inductum* legas. Hæc tamen ita dicta sint, ut minime displiceat vulgata lectio: *fontibus umbras.* Pier.

42 *Superaddite carmen*] Duos versus carmen vocavit: nec mirum; cum etiam de uno *carmen* dixerit: ut, *Et rem carmine signo. Æneas hæc de Danais victoribus arma.* Servius.

Superaddite carmen] Id est, titulum, ἐπιγραφήν. pleraque monumenta inscriptionem habuere. vel in prosa: ut HIC SITVS. HIC JACET. HIC POSITVS, &c. vel in oratione ligata qualium titulorum vim collegerunt Guth. de jure manium II. 26. Kirchm. de Fun. Rom. III. 19. Briss. de Form. l. VII. Ut *carmen* hic de duobus versibus, sic Ovid. Heroid. ep. II. 145.

Inscribere meo causa invidiosa sepulcro:
Aut hoc, aut simili carmine notus eris.
Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem.
Ille neci causam præbuit, ipsa manum.

Imo de uno versu. Ovid. Met. II. 326.

Corpora dant tumulo: signantque hoc carmine saxum:
Hic situs est Phaëton, currus auriga paterni.

Quæ brevitas in epitaphio requiritur, ut monet Vossius instit. poët. III. 21. Ubi bene distinguit inter ἐπίγραμμα, quod alicui rei inscribitur, et ἐπιτάφιους, qui incidebantur sepulcro. *Emmeness.*

43 *Daphnis ego in sylvis, hinc usque ad sidera notus*] In sylvis notus; et hinc usqūe ad sydera. *Servius.*

44 *Formosi pecoris custos, formosior ipse*] Si ad Cæsarem referas, hoc

ipsi montes, ipsæ rupes, ipsa arbusta. Ita in Ecl. I.

——*Ipsæ te Tityre pinus,*
Ipsi te montes, ipsa hæc arbusta vocabant.

Cerda.

63 *Intonsi montes*] Sylvosi, incædui. *Servius.*

Ipsæ jam carmina rupes] In Rom. Cod. *et* copulativa particula inserta est: *ipsæ et jam carmina rupes.* Quod non placet. *Pierius.*

64 *Ipsa sonant, &c.*] De repercussione vocis Ecl. I. 5. Eleganter arbusta, silvæ, dicuntur sonare, loqui, respondere, ut Ecl. X. 8.

——*Respondent omnia silvæ.*

Vide Modium lect. novantiqu. Epist. 93. *Emmeness.*

Deus, deus ille, Menalca] Hoc consonant, *Deus deus est Daphnis,* quasi vox Sylvarum sit. Et multi sic distinguunt: *Ipsa arbusta sonant deus;* et subjungunt, *deus ille Menalca,* ut sit sensus: si enim rupes et arbusta deum dicunt, deus est, o Menalca. *Servius.*

Deus, deus ille, Menalca] In Longobardico et Mediceo *ipse* legitur. Sed *ille* majorem Emphasim habere videtur. *Pierius.*

65 *Sis bonus, o felixque tuis*] Pastoribus, si Daphnin accipimus: si Cæsarem, bene ait tuis: suis enim percussoribus nocentissimus fuit. Nam Augustus ejus filius, omnes est persecutus. *Servius.*

Sis bonus, &c.] Notetur Precationis formula: *sis bonus: εὔφρων, εὐμενὴς, ἵλεως.* et, *sis felix,* id est, propitius. Ita contra, Æn. VII. *Quæ potui infelix,* sc. Juno, id est, irata. *Deos* enim vel *felices,* vel *infelices,* ex rebus, quas præstant, vocamus, auctore Servio. ita Æn. XII.

—— *Vos o mihi manes*
Este boni.

Æn. I. Venerem Æneas ita precatur:

Sis felix, nostrumque leves, quæcunque, laborem.

Tibull. el. III. ult.

Sis felix, et sint candida fata tua.

Vide Brisson. Formul. l. I. Vel: *Bonus* est, a quo nocendi studium abest: *Felix,* qui etiam prodest: *Faustus,* qui sine invidia successui favet. Unde formula: *Quod bonum, felix, faustumque sit, &c.* Tanbmann.

Felix] Propitius: ut, *Sis felix, nostrumque leves, quæcunque, laborem.* Item e contra Juno, *Quæ potui infelix,* id est irata. Deos enim vel felices, vel infelices, ex rebus quas præstant vocamus. *Servius.*

En quattuor aras, Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo] Feci inquit aras quatuor: tibi o Daphni duas; et duas aras Apollini, quæ sint altaria. Novimus enim, *aras* diis esse superis et inferis consecratas: *Altaria* vero esse superorum tantum deorum: quæ ab altitudine constat esse nominata. quæ nunc dat Apollini quasi deo: Daphnidi vero, aras ponit. Nam licet eum dixerit deum; tamen mortalem fuisse manifestum est. Sane quæritur, cur duo altaria se positurum Apollini dicat; cum constet supernos deos impari gaudere numero: inferos vero pari. ut, *Numero deus impare gaudet.* Quod etiam pontificales indicant libri. Sed constat secundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit; triplicem esse Apollinis potestatem: et eundem esse Solem apud superos; Liberum patrem in terris; Apollinem apud inferos. Unde etiam tria insignia, circa ejus simulachrum videmus; *Lyram,* quæ nobis cælestis harmoniæ imaginem monstrat: *Gryphenæum,* quod et terrenum numen ostendit: *Sagittas,* quibus infernus deus et noxius judicatur. Unde et Apollo dictus ἀπὸ τοῦ ἀπολλεῖν. Hinc etiam et Homerus Apollinem, tam pestilentiæ dicit, quam salutis auctorem; et Horatius ait, *condito mitis placidusque telo, Supplices audi pueros Apollo.* Unde Virgilius rationis hujus peritus; per altaria, superum numen ostendit; per pa-

—— *Absentem rusticus urbem*
Tollis ad astra levis.

Pro quo ep. I. 10.

Quæ vos ad cœlum effertis rumore secundo.

Idem.

53 *An quicquam nobis tali sit munere majus*] Si amicum laudaveris. *Serv.*

54 *Et puer ipse fuit c. d.*] Modo Daphnin intelligimus. nam Cæsar non puer occisus est, sed majoris ætatis. *Idem.*

Cantari dignus] Sic Statius Theb. III. 718.

Pone metus, laudanda rogas, nec digna negari.

De adjectivis regentibus infinitivos passivorum, vide Vechnerum Hellenol. v. 5. *Emmeness.*

55 *Jam pridem Stimichon laudavit carmina nobis*] Ac si diceret, scio esse optima quæ dicturus es: frustra ea verbis extenuas. qui ille supra verecunde dixerat, *Quocunque modo tibi nostra vicissim.* Quidam per Stimichonem, Mæcenatem accipiunt: nonnulli Stimichonem patrem Theocriti dicunt. *Servius.*

56 *Candidus insuetum*] Id est, deus. Unde etiam contra, nigros, mortuos dicimus. Significat benignos et bonos; sicut e contra, malos nigros dicimus. Horatius, *Hic niger est, hunc tu Romane caveto.* Sæpe tamen candidum pro pulchro ponit, ut *candida Dido*, et *candida Maja.* Idem.

Insuetum miratur l. O.] Quasi novus Deus, et quibusdam videtur per allegoriam Cæsarem dicere; qui primus divinos honores meruit, et divus appellatus est. *Idem.*

Miratur limen Olympi] *Lumen* legendum putat G. Canterus Nov. IV. 2. *Emmeness.*

57 *Sub pedibusque videt nubes et sydera Daphnis*] Meritum ejus ostendit, qui summos circulos, et cœli secreta conscendit. *Ergo alacres sylvas, et cætera rura voluptas.* Quæ superius occupaverat mœror quod ad sydera abiit; nam supra ait, *Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.* Servius.

58 *Ergo*] Pro *merito* dicebant antiqui, sicut hic accipitur. Plautus in Persa, *Satin' tu usque valuisti? haud probe: Ergo edepol palles.* Item in Milite, *Hiccine Achilles est? inquit mihi. immo ejus frater inquam est: Ergo mecastor pulcher.* Idem.

59 *Panaque pastoresque tenet*] Id est, habet, moratur, amplectitur. *Id.*

Dryadasque puellas] In Romano codice *Dryades* Latino declinatu. *Pierius.*

60 *Nec lupus insidias*] Adumbrat Theocr. Idyll. XXIV. de infantia Herculis.

Ἔσται δὴ τοῦτ' ἄμαρ ὀπηνίκα νεβρὸν ἐν εἰνᾷ
Καρχαρόδων σίνεσθαι ἰδὼν λύκος οὐκ ἐθελήσει.

Arist. Hist. I. 1. lupum adhibet pro exemplo eorum animalium, quæ sunt ἐπίβουλα: *insidiosa.* Confine his illud, Ecl. IV.

——*Nec magnos metuent armenta leones.*

Et Ovid. in summo malo:

Nat lupus inter oves.

Et ejusdem de Arione:

Sæpe canes leporesque una jacuere sub umbra,
Et stetit in saxo proxima cerva leæ.

Cerda.

Nec retia cervis Ulla dolum meditantur] Adeo placet simplicitas Daphnidi; ut etiam ipse dolus, qui voluptati antea fuerat, conquiescat: scilicet venationis, et est Hyperbole. *Serv.*

Nec retia cervis Ulla dolum meditantur] In codicibus aliquot antiquis, *malum*, non *dolum* est. Quia vero *retia*, positum est, magis placet *dolum.* Crediderim vero *malum*, ab interpretibus κατὰ παράφρασιν adscriptum, ideo, quia *dolus* et bonus et malus est: et Antitheton sequitur, *Amat bonus otia Daphnis.* Pierius.

62 *Ipsi*] Moveat te lector pronomen hoc jucunde positum, *ipsi, ipsæ, ipsa,*

ipsi montes, ipsæ rupes, ipsa arbusta. Ita in Ecl. I.

——*Ipsæ te Tityre pinus,*
Ipsi te montes, ipsa hæc arbusta vocabant.

Cerda.

63 *Intonsi montes*] Sylvosi, incædui. *Servius.*

Ipsæ jam carmina rupes] In Rom. Cod. *et* copulativa particula inserta est: *ipsæ et jam carmina rupes.* Quod non placet. *Pierius.*

64 *Ipsa sonant, &c.*] De repercussione vocis Ecl. I. 5. Eleganter arbusta, silvæ, dicuntur sonare, loqui, respondere, ut Ecl. X. 8.

——*Respondent omnia silvæ.*

Vide Modium lect. novantiqu. Epist. 93. *Emmeness.*

Deus, deus ille, Menalca] Hoc consonant, *Deus deus est Daphnis,* quasi vox Sylvarum sit. Et multi sic distinguunt: *Ipsa arbusta sonant deus;* et subjungunt, *deus ille Menalca,* ut sit sensus: si enim rupes et arbusta deum dicunt, deus est, o Menalca. *Servius.*

Deus, deus ille, Menalca] In Longobardico et Mediceo *ipse* legitur. Sed *ille* majorem Emphasim habere videtur. *Pierius.*

65 *Sis bonus, o felixque tuis*] Pastoribus, si Daphnin accipimus: si Cæsarem, bene ait tuis: suis enim percussoribus nocentissimus fuit. Nam Augustus ejus filius, omnes est persecutus. *Servius.*

Sis bonus, &c.] Notetur Precationis formula: *sis bonus: εὔφρων, εὐμενὴς, ἵλεως.* et, *sis felix,* id est, propitius. ita contra, Æn. VII. *Quæ potui infelix,* sc. Juno, id est, irata. *Deos* enim vel *felices,* vel *infelices,* ex rebus, quas præstant, vocamus, auctore Servio. ita Æn. XII.

—— *Vos o mihi manes*
Este boni.

Æn. I. Venerem Æneas ita precatur:

Sis felix, nostrumque leves, quæcunque, laborem.

Tibull. el. III. ult.

Sis felix, et sint candida fata tua.

Vide Brisson. Formul. l. I. Vel: *Bonus* est, a quo nocendi studium abest: *Felix,* qui etiam prodest: *Faustus,* qui sine invidia successui favet. Unde formula: *Quod bonum, felix, faustumque sit, &c.* Tanbmann.

Felix] Propitius: ut, *Sis felix, nostrumque leves, quæcunque, laborem.* Item e contra Juno, *Quæ potui infelix,* id est irata. Deos enim vel felices, vel infelices, ex rebus quas præstant vocamus. *Servius.*

En quattuor aras, Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo] Feci inquit aras quatuor: tibi o Daphni duas; et duas aras Apollini, quæ sint altaria. Novimus enim, *aras* diis esse superis et inferis consecratas: *Altaria* vero esse superorum tantum deorum: quæ ab altitudine constat esse nominata. quæ nunc dat Apollini quasi deo: Daphnidi vero, aras ponit. Nam licet enim dixerit deum; tamen mortalem fuisse manifestum est. Sane quæritur, cur duo altaria se positurum Apollini dicat; cum constet supernos deos impari gaudere numero: inferos vero pari. ut, *Numero deus impare gaudet.* Quod etiam pontificales indicant libri. Sed constat secundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit; triplicem esse Apollinis potestatem: et eundem esse Solem apud superos; Liberum patrem in terris; Apollinem apud inferos. Unde etiam tria insignia, circa ejus simulachrum videmus; *Lyram,* quæ nobis cælestis harmoniæ imaginem monstrat: *Griphenæum,* quod et terrenum numen ostendit: *Sagittas,* quibus infernus deus et noxius judicatur. Unde et Apollo dictus ἀπὸ τοῦ ἀπολεῖν. Hinc etiam et Homerus Apollinem, tam pestilentiæ dicit, quam salutis auctorem; et Horatius ait, *condito mitis placidusque telo, Supplices audi pueros Apollo.* Unde Virgilius rationis hujus peritus; per altaria, superum numen ostendit; per pa-

rem numerum, infernam indicat potestatem. Varro Diis superis altaria; terrestribus aras; inferis focos dicari adfirmat. Alii, altaria eminentia ararum et ipsa libamina, ut, Æn. XII. 174. *paterisque altaria libant.* Id.

En quattuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo] Vide an erudite admodum legatur in Longobardico *ecce duas tibi Daphni, duas altaria Phœbo.* Ut *altaria* per appositionem legamus, conveniantque omnia cum eo quod dictum est, *en quatuor aras*, postea distinguit, *ecce duas tibi Daphni, duas* autem *Phœbo*, quæ tamen altaria sint. Illud addam, in antiquis aliquot codicibus, *duo altaria* absque particula copulativa. Hujusmodi vero pleraque invenies numeri vitandi causa poni a Poëtis. *Pierius.*

Aras, altaria] Discrimen inter hæc duo Æn. II. 515. Veteres aras consecrasse excellentium virorum manibus, testis est Turn. XVII. 16. *Emmeness.*

67 *Bina*] Duo. *Servius.*

Novo] Vel recenti, vel primo tempore lactis incipiente expressum. *Idem.*

Lacte] Usus lactis in sacris. Ut Ursinus ex Cyclope Euripidis: ἡ καὶ γάλακτός εἰσι κρητῆρες πλέω. et clarius Plutarch. in Rom. θύουσιν αὐτῇ νηφάλια, καὶ γάλα τοῖς ἱεροῖς ἐπισπένδουσιν. Long. past. l. II. σπένδουσα τοῦ πρέτου γάλακτος. et infra ex Theocrito liquidum est. Etiam Noster Ge. I. 344.

Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho.

Horat. ep. II. 143.

—— *Silvanum lacte piabant.*

Emmeness.

Quotannis] Singulis quibusque annis. *Servius.*

68 *Duo*] Vetuste dixit, ut ambo. *Nam sæpe senex, spe carminis ambo Luserat.* Nam hodie hoc significantius duos et ambos dicimus. *Idem.*

Craterasque duo statuam tibi] *Duos* quidem in codicibus aliquot veteribus legitur: quamvis in Oblongo, et plerisque aliis, *duas* insolito genere legatur. In Romano tamen, *duo* ad sibilum evitandum, quod *statuam* sequitur. In altero perveteri, dictio abrasa est: *duo* tamen prius fuisse apparet. *Pierius.*

Craterasque duo statuam] Totidem prope verbis Theocr. Idyll. v.

Ἅτασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
Ταῖς νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἀδέος ἄλλον ἐλαίω.

Et Idyll. VII.

Κρητῆρ' Ἡρακλῆϊ γέρων ἐστάσατο Χείρων.

Ursinus.

Pinguis olivi] Quod Græci λιπάλαιον dicunt et olivi, et olei; nam et olea, et oliva dicitur. *Servius.*

69 *Hilarans*] Participium est, ab eo quod est hilaro. Sane sciendum nomen unde venit, hilarus vel hilaris, a Græco descendere: nam ἵλαρος facit. *Idem.*

Hilarans convivia Baccho] In Mediceo codice, *hilarans altaria Baccho.* Reliqui omnes *convivia.* Pierius.

Hilarans] Ad vini copiam signandam dicit *Baccho*, non *vino.* Quid vero sententia Virgilii certius? Alexis apud Ath. l. II. inter vini laudes, ἱλαροὺς ἡμᾶς ποιεῖ: *exhilarat nos.* Male in vulgatis, ἱλαπροὺς. Et Mnasith. ibid. εὐθυμίαν φέρει: *fert lætitiam.* Lege multa in hoc Scriptore l. XII. Horat. Car. I. *vino pellite curas.* Nonnus Dionys. XII. convivia vocat ἀτερπέα, injucunda, videlicet οἶνον μὴ παρόντος, ubi abest vinum. Sed quid hoc consecter? Tantum adduco etymon; quod ad hanc rem juvat; οἶνος Græcis ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, quod juvet, quod recreet. Scio alios aliunde deducere. Vocem ipsam hilaritatis in re convivii Petron. infert in Satyr. *Adjuvit hilaritatem commovantis Cymbalistria.* Iterum *Pigritiam recedendi imposuerat hilaritas largior.* Cerda.

70 *Ante focum si frigus erit*, a. m.

i. u.] Non frigori calorem opposuit; sed messem, quæ est tempore caloris. *Servius.*

71 *Vina novum fundam calathis*] Ordo est, vina fundens calathis, id est, calicibus, quæ vina sint novum nectar, id est, magna dulcedo. *Arvisia autem Chia*, promontorio Chii insulæ Arisio; vel illud vina arvisia novum nectar, calathis fundam. Alii novum mustum intelligunt: vel merum, quale nunquam habuerit; ut *Pollio et ipse facit nova carmina.* Servius.

Calathis] Non tantum vimineam significat fiscellam, sed et calicem vinarium. Mart. ep. IX. 60.

Expendit veteres calathos, et sigua fuerunt
Pocula, Mentorea nobilitata manu.

Vide Salmas. in Plin. p. 102. *Emmeness.*

Vina novum fundam calathis Arvisia nectar] In Oblongo quidem *infundam* legitur. Sed id mihi negotium facessit, quod *Arvisia* dictio, nusquam legitur eodem modo in codicibus antiquis. Siquidem in antiquissimæ notæ majoris, et in Oblongo, *Ariusia* legitur. In altero vero perveteri, atque itidem in Longobardico, mediæ illæ litteræ abrasæ sunt. Ut quid haberet antiqua lectio, non discernas. In Mediceo, *Ærusia* media tamen abrasa syllaba legitur. Sunt alii codices, in quibus *Aretusia* legas. Alii, qui corruptius quid ostendant. Quod vero interpretes, Auctores citant, de vino Arvisio in insulæ Chii promontorio, cujus etiam Strabo mentionem fecerit. Invenio ego apud Auctores Græcos aliquot, Ἀρουσίαν eum locum nuncupari, vinumque in ea optimum, ἀρουσιτὸν, eamque esse regionem illam apud Strabonem τραχείαν καὶ ἀλίμενον, σταδίων ὅσω τριακοσίων, οἶνον ἄριστον φέρουσαν τῶν Ἑλληνικῶν. Tametsi in impressis ab Aldo codicibus ἀρουσία χώρη legatur. Quod nisi pro comperto habeam Latinos vocabulum mutasse, quod in plerisque aliis facere consuerunt: vel *Arusia* legendum contenderim, ut apud Stephanum est, codicibus Virgilianis præsertim antiquis, vel variantibus, vel manifeste adeo contaminatis: vel cum Romano codice, et aliquot aliis veteribus, *Ariusia*, prout etiam in Strabonis codicibus vulgatis legitur. Vide tamen Plinianos codices vetustos XIV. 7. Nam in impressis est: *In summa gloria post Homerica illa, de quibus supra diximus, fuere Thasium Chiumque ex Chio, quod Arvisium vocant.* Pierius.

72 *Lyctius Ægon*] Cretensis: ut, Lyctius Idomeneus. a Lyctio urbe Cretæ. *Servius.*

73 *Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus*] Pastor quidam. Sane ut in religionibus saltaretur, hæc ratio est, quod nullam majores nostri partem corporis esse voluerunt, quæ non sentiret religionem. Nam cantus ad animam; saltatio, ad mobilitatem pertinet corporis. *Idem.*

Saltantis Satyros] In Romano codice more suo, *saturos* per u scriptum habetur. *Pierius.*

74 *Sollennia vota*] Anniversaria sacra, quæ certis diebus celebrantur. *Serv.*

Sollennia vota] Id est, statis temporibus solvenda. Noster Ge. I. 338. *Annua.* Divino coli honore Nymphas, fontium et sylvarum præsides, ex iis, quæ scripsimus ad Ecl. I. 53. apparebit. De Votis oblatis Nymphis, agit Tomasinus de Donar. c. 26. Turn. XIII. 4. et Petr. Vict. var. lect. VI. 24. per duplex *ll* scribitur, non male, ut Dausq. ex marmoribus vetustis. *Emmeness.*

75 *Et cum lustrabimus agros*] Sic supra, *Cum faciam vitula pro frugibus.* Lustrare, hic circuire, dicitur enim ambarvale sacrificium. *Servius.*

Et cum lustrabimus agros] Agri lustrantur, cum Ambarvale sacrum celebratur. Quod ita describit Festus: *Ambarvalis hostia est, quæ pro arvis a duobus fratribus sacrificabatur, quæque*

rei divinæ causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt. Vide in hunc locum castigat. Scalig. in voce *Amtermini.* Turneb. XVIII. 17. et imprimis Vossium in etym. in verbo, *aro.* Emmeness.

76 *Dum juga montis aper*] Sicut, *In freta dum fluvii current:* semper, et futurum et præteritum significat. *Servius.*

79 *Ut Baccho Cererique*] Hæc enim duo sunt numina, quæ et rustici maxime colunt; et quorum nomina communia sunt mortalibus cunctis. Sic in Georgicis, *Vestro si munere tellus, Chaoniam pingui glandem mutavit arista.* Cererem propter aridos, Liberum propter humidos fructus. Itaque nunc Daphnim dicit colendum, propter pecudum proventus. *Idem.*

80 *Damnabis tu quoque votis*] Id est cum deus præstare aliqua hominibus cœperis, obnoxios tibi eos facies ad vota solvenda: quæ ante quam solvantur, obligatos, et quasi damnatos homines tenent. Alii *Damnabis.* Alligabis, vel absolves: utrumque enim sensum habet verbum damno; vel *Damnabis,* reos voti facies. *Idem.*

Damnabis tu quoque votis] Qui optata a Diis tulerant, persolutione voti, quod susceperant, tenebantur; illique *Damnati,* vel *rei voti* erant, ut noster Æn. VII. 237. Corn. Nepos vita XX. c. 5. *Nunc demum se voti esse damnatum,* id est, nunc sibi persolvenda illa vota, quia id quod precatus fuerat, a Diis immortalibus, impetraverat. De hac formula vide Bries. l. I. solvi dicebantur, ut Hor. od. IV. 2. *Me tener solvet vitulus relicta Matre, qui largis juvenescit herbis In mea vota:* vide Torr. in Suet. cap. 97. *Emmeness.*

81 *Reddam pro carmine dona*] Ille cum supra tantum laudaverat: hic et laudat, et de munere etiam cogitat. *Servius.*

82 *Nam neque tantum*] Quædam per comparationem laudata majorem emphasin habent, si negatio activa a parte orationis incipiat; ut *Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis Exit. Nec sic immissis aurigæ undantia lora.* Idem.

Sibilus austri] Hic sibilus dicitur res ipsa. Nam sibila ora, participialiter dictum est, pro sibilantia. *Idem.*

Sibilus] Charis. p. 61. et Non. Marcell. c. 3. masculinum et neutrum esse docent, nam *sibulus* et *sibulum.* Sed Sanct. p. 342. adjectivi loco habet Virg. Ge. III. 421. et Æn. II. 211.

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Emmeness.

83 *Juvant*] Id est, delectant. Ecl. III. 2.

Non omnes arbusta juvant.

Horat. Od. I. 1.

Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat.

Ter. Adelph. II. 3. 2. *Verum enim vero id demum juvat, si, quem æquum est facere, is bene facit.* Emmeness.

Percussa littora] A collisione fluctuum, alluentium ad littus. Juvenal. Sat. X. 148.

Hic est, quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano.

Idem.

84 *Saxosas inter decurrunt flumina valles*] Inde flumen dicitur *præceps,* ut Hor. I. 7. *Anio præceps. cadere per devexa,* et Vet. Schol. ad Horat. Od. I. 29. *Proni dicuntur rivi de montibus effluentes, ex montibus prosilientes.* Idem.

85 *Hac te nos fragili donabimus ante cicuta*] Bene anticipat et offert munus, quod ille se facturum esse promiserat. *Servius.*

Cicuta] Fistula, ut *septem compacta cicutis:* et fistulæ qualitatem per principia eclogarum ostendit; ut, *hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexin.* Idem.

88 *Sume pedum*] Virga incurva, unde retinentur pecudum pedes. *Idem.*

Pedum] Virga incurva, unde reti-

line, vel ab Augusto, vel a Mecœnate. Sive, nihil altum mens inchoat; et hoc ideo, quia dixerat, *Aurem vellit*. Servius.

Hæc quoque] Licet vilia, sicut Theocriti. Et hoc dicit, Si quis, licet rustica, legere fuerit ista dignatus: tuas tamen in his laudes inveniet. Nam per myricas et nemora, bucolica significat. *Idem.*

11 *Nec Phœbo gratior ulla est*] Nec enim pagina ulla Apollini est gratior, quam quæ Vari nomen gestat in titulo. Quod ideo dicit, quia hanc eclogam constat in honorem Vari esse perscriptam. Dicitur enim ingenti favore a Virgilio esse recitata: adeo ut cum eam postea Cytheris meretrix cantasset in theatro, quam in fine Lycoridem vocat, et spectaret Cicero; stupefactus, cujus esset, cœpit requirere. et cum eum tandem aliquando agnovisset, dixisse dicitur, et ad suam, et illius laudem, *Magnæ spes altera Romæ*. Quod iste postea ad Ascanium transtulit, sicut commentatores loquuntur. *Idem.*

13 *Pergite Pierides*] Hortatur Musas ad referenda ea quæ Silenus cantaverat pueris. Nam vult exequi sectam Epicuream, quam didicerat, tam Virgilius, quam Varus, docente Sirone: et quasi sub persona Sileni, Sironem inducit loquentem. Chromin autem et Mnasylum, se et Varum vult accipi. Quibus ideo conjungit puellam; ut ostendat plenam sectam Epicuream, quæ nihil sine voluptate vult esse perfectum. Sane hoc de Sileno non dicitur fictum a Virgilio; sed a Theopompo translatum. Is enim apprehensum Silenum a Midæ regis pastoribus, dicit crapula madentem, et ex ea soporatum; illos dolo adgressos dormientem vinxisse; postea, vinculis sponte labentibus, liberatum, de rebus naturalibus et antiquis Midæ interroganti, respondisse; quem alii Mercurii filium, alii Panos et Nymphæ, alii ex guttis cruoris Cæli natum esse dixerunt. *Idem.*

Chromis et Mnasylus] Nomina satyrorum. *Idem.*

Chromis et Mnasylos] In Romano codice scribitur *Mnasillus* duplicato *l*, et per *i*. Præterea Valerius Probus *Mnasilos* per *os* legit. *Pierius.*

14 *Pueri*] Nonnulli, *pueri*, non absurde putant dictum, quia Sileni priusquam senescant, satyri sunt: utrum ergo ætate pueros, an ut ministros et familiares solemus communiter pueros vocare? *Servius.*

15 *Inflatum venas*] Figurate locutus est, et *semper*, bene addidit, id est, consuetudine vini, et non interdum temulentum esse. *Idem.*

Inflatum venas] De Sileno sic Ovid. Met. IV. 26.

Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet, et pando non fortiter hæret asello.

Pro, *inflatum venas*, Phædr. IV. 14.

Ad cœnam est invitatus subito a Libero,
Ubi irrigatus multo venas nectare,
Sero domum est reversus titubanti pede.

Venis recipi vinum, et sedem esse ebrietatis et libidinis, opinati sunt veteres, ut Rittershusius in Hor. Ep. I. 15. ubi sermo de vino:

Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas, &c.

Idem Sat. I. 2.

Nam simulac venas inflavit tetra libido.

Emmeness.

Iaccho] Aut vino, aut Libero patre, qui etiam Iacchus vocatur: nam Bacchus a bacchatione, id est, insania dictus; unde et comites ejus Bacchæ. Alii a Bacche nympha, quæ cum Brome sorore sua eum nutriverat, in monte Nysa, Anysa nutrice. *Servius.*

Iaccho] Id est, vino. inter nomina

et hoc expromit Ovid. Met.

iusque, Eleleusque parens, et acchus, et Evan.

ess.

rta procul] Modo prope, id a. Nam ideo intulit, *Tantum lapsa:* ut ostenderet non lon- volutam coronam; ut est, *rea ramo Dependet.* Servius.

trita ansa] Frequenti scilicet *Idem.*

bat] Manibus non emissa sig- *Idem.*

arus] Poculum ansatum Li- tris, ut Macrob. v. 21. quo t Marius, Jugurthino, Cim- et Teutonico bello feliciter Plin. XXXIII. 11. Val. Max. *Emmeness.*

lgressi] Ordo est, Chromis et is adgressi Silenum, nam lu- mbo spe carminis: et *spe* tione. Item alius ordo, *Ad- e carminis injiciunt ipsis ex vin- is.* Servius.

nis ambo] Vetuste, ut alibi, *bi ductores acie revocaveris am-* n hodie sub eadem significa- mbos et duos, dicamus. *Idem.*

] In codicibus antiquis *am-* ur, quod magis placet eru- t ita scriptum a Virgilio asse- isius. Alibique diximus etiam s eo declinatu libenter usos, nunc succurrit in vetusto pud Livium legi, in calce ter- . I. *Prælium fuit, quale inter sibimet ambo exercitus, veteris que alterum gloriæ, alterum va victoria elatum.* Pierius.

is ex] Ex ipsis: ut *transtra per* , id est, per transtra. *Servius.*

ex] Hæc verborum transposi- ta Lucret. *Initque ex inclyte* Vide Gronov. observ. III. *meness.*

midis] Timentibus. Nam ti- st, qui semper timet: timens qui ad tempus formidat ex caussa. Aut revera timidis: quia pueris per ætatem naturaliter timor est insitus, et timentibus ne, dum vincula injicerent, expergefieret. *Videnti*] Pro vigilanti. *Servius.*

22 *Sanguineis frontem et t. p.*] Multi ob hoc dictum putant, quod rubens color deorum sit; unde et triumphantes facie miniata, et in Capitolio Jupiter in quadriga miniata; et bene *Pingit*, non inquinat, nam jam vigilantem dixerat. Sane fabula de moro talis est, Piramus et Thisbe fuere ut forma pares, ita amore conjuncti, quos vicinos, paries dividebat, quibus una præstabat colloquium: cum amor crevisset ad cupiditatem, placuit ut utrique noctu extra domos procederent, locumque coëundi statuerent ad arborem, quæ ante erat albis fructuosa pomis: et cum prior venisset Thisbe ad locum, vidit leam; dum mortem fugit, vestem reliquit, in qua veste fera exercuit iram suam, cruorisque feræ alicujus paulo ante [interfectæ] reliquit vestigia in pallio puellæ; qua veste visa Piramus cruentata, tunc ratus est interfectam esse Thisbem, et ob amorum ardorem se interfecit; ex quorum cruore dicitur arbor infecta, nam quæ ante gerebat poma alba, nunc sanguinea. *Idem.*

23 *Ridens*] Irridens. *Idem.*

Quo] Ad quam rem. *Idem.*

Quo] In antiquis aliquot codicibus, *quid vincula.* Sed id ex paraphrasi pro *quo*, ad quid. *Pierius.*

24 *Solvite me pueri*] Quia putaverant eum corona ligari posse. *Servius.*

Satis est potuisse videri] Sufficit enim, quia potui a vobis, qui estis homines, videri. Quod ideo dicit, quia ἡμιθεοὶ, cum volunt tantum videntur; ut Fauni, Nymphæ, Silenus. Potest et aliter intelligi, *Solvite me:* Sufficit enim quod talis vobis visus sum, ut etiam ligari possim. *Idem.*

26 *Huic aliud mercedis erit*] Nymphæ minatur stuprum latenter: quod verecunde dixit Virgilius. Hæc au-

tem omnia de Sileno a Theopompo in eo libro, qui Tamasia appellatur, conscripta sunt. Ipse addidit ad commendationem. *Idem.*

27 *In numerum Ludere*] Id est saltare ad modum rhythmi et cantilenæ, vel ad certam modulationem. *Servius.*

Fauno]' Fauni ab effatione dicti, quod voces de sacris reddebant; quod in septimo Æneidis plene habet. *Idem.*

In numerum Ludere] Idem quod Corn. Nep. in præf. *Saltare commode.* Modi et numeri perfectam efficiunt harmoniam. Quint. IX. 4. *Numeros ῥυθμοὺς* appellant, *qui constant spatio temporum.* Non raro duo illa vocabula *numeri* et *modi* conjunguntur. Idem in eodem cap. *Quod si numeris et modis inest quædam tacita vis, in oratione est vehementissima.* De numeris, non vulgaria scribit Vossius in libello de viribus Rhythmi, p. 3. et seqq. Eadem locutio crebro apud Lucretium l. II.

Ludunt, in numerumque exultant.

Et paullo post:

Armati in numerum starent: pernice chorea

Armati in numerum pulsarent æribus æra.

Idem l. IV.

In numerum jactare.

Et:

In numerum procedere.

Quemadmodum *in numerum ludere*, sive saltare, est commode et perite saltare; sic *extra numerum*, est imperite. Cic. paradox. III. *Histrio si paululum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior, aut longior, exsibilatur, et exploditur.* Emmeness.

28 *Ludere*] Id est illo cantante. *Idem.*

Motare cacumina] Montium vel arborum, quibus hoc genus saltationis adsignat; quia hoc genus saltationis vult esse in arboribus, cacuminum motu. *Idem.*

Motare cacumina querens] *Motare* quidem in antiquis aliis codicibus. Sed in Longobardico *mutare* habetur. Quod si admittas, Cacumina montium intelligas, transire quippe arbores de monte ad montem: sequitur enim comparatio ad Orphea, quem arbores secutæ, umbram feruntur præbuisse Vati: ut in appendicibus Virgilii legitur. Magis tamen placet *motare*, quia de saltatione sermo est. *Pierius.*

30 *Rhodope et Ismarus*] Montes Thraciæ, in quibus Orpheus consueverat canere. Et hoc dicit, Non tantum isti montes gaudent cantante Apolline vel Orpheo, quantum cantante Sileno lætatus est mundus. Namque etiam paulo post dicturus est, *Et invito processit vesper Olympo.* Servius.

Nec tantum Rhodope miratur, et Ismarus Orpheu] In Romano codice, et in Oblongo, *mirantur*, verbo numeri multitudinis inter duo singularia posito, Alcomanica figura: quam etiam apud Homerum Porphyrius agnoscit. *Pierius.*

31 *Namque canebat, uti magnum per inane coacta Semina*] Variæ sunt Philosophorum opiniones de rerum origine. Nam alii dicunt omnia ex igne procreari, ut Anaxagoras. Alii ex humore, ut Thales Milesius. Unde est, *Oceanumque patrem rerum.* Alii ex quatuor elementis, ut Empedocles: secundum quem ait Lucretius, *Ex imbri, terra, atque anima nascuntur et igni.* Epicurei vero, quos nunc sequitur, nihil horum comprobant: sed dicunt duo esse rerum principia, corpus et inane. Omne enim quod est, aut continet, aut continetur. et corpus volunt esse atomos, id est quasdam minutissimas partes quæ τομὴν, id est sectionem non recipiunt. Unde et atomi dictæ sunt, quas Lucretius minutiores dicit esse illis corpusculis, quæ in infusis per fenestram radiis Solis videmus. dicit enim illas nec

visum posse recipere. Inane vero dicunt spatium, in quo sunt atomi. De his itaque duobus principiis volunt ista quatuor procreari, ignem, aërem, aquam, terram: et ex his cætera; ut illa duo elementa atomi et inane sint: hæc vero quatuor syntheta, id est composita ex illis duobus, præstent originem aliis omnibus rebus. Hac autem ratione comprobat, ex atomis et inani originem rerum esse: quod nihil est in rerum natura, quod non et corpus habeat, et recipiat sectionem; et quia recipit sectionem, indicet etiam inanitatem. Ergo *uti magnum per inane coacta semina:* Canebat, inquit, mundi principium, id est quemadmodum collectæ et coactæ atomi per magnum inane, fuissent origo ignis, aëris, terrarum, et maris. nam *semina*, atomos dicit. Dicimus autem hæc atomus, et hæ atomi. *Servius.*

Namque canebat, &c.] De seminibus, id est, atomis, luculente disputat Lactantius de ira Dei c. 10. Sic Ovidius pro elementis primis omnium rerum, Met. I. 9.

—— *Congestaque eodem*
Non bene junctarum discordia semina rerum.

Lucret. in principio l. I.

Nam tibi de summa cœli ratione deumque
Disserere incipiam; rerum primordia pandam;
Unde omnis natura creet res, auctet, alatque:
Quove eadem rursum natura perempta resolvat:
Quæ nos materiem, et genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare, et semina rerum
Adpellare suemus; et hæc eadem usurpare
Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.

Emmeness.

32 *Semina terrar. &c.*] Non ipsa elementa, sed ea unde elementa nascuntur. *Nannius.*

Animæque] Id est aëris: unde et jam venti sunt. *Servius.*

Animæ] Venti, Græcis ἄνεμοι. Horatius:

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Nannius.

33 *Liquidi simul ignis*] Puri, i. e. ætherei, quem Cicero ignitum liquorem dicit. Lucretius, *Devolet in terram liquidi color aureus ignis.* Servius.

Liquidi simul ignis] Id est, puri, defecati, qui nihil fumi admixtum habet, ut Turneb. X. 8. Sic *lumen liquidum*, quod non est fumidum, sed clarum, Lactantius VI. 2. Inde *purum* et *liquidum* conjungit Cic. pro Cecina: *Quicquid inde haurias, purum liquidumque sit.* Ovid. Met. I. 23.

Et liquidum spisso secrevit ab aëre cœlum.

Emmeness.

Ut his exordia] Ex seminibus, hoc est atomis. *Servius.*

Primis] Pro principiis, quæ enim Græci στοιχεῖα, nos principia appellamus. *Idem.*

34 *Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis*] Ante orbis: et sic omnia quæ in orbe sunt. Nam mutato ordine ait, primo omnia: et sic orbis. *Idem.*

Tener] Id est, recens factus. *Idem.*

Concreverit] Collectus, et informatus sit. *Idem.*

35 *Tum durare solum, et discludere Nerea ponto*] Canebat etiam quemadmodum se durare cœperit solum, et mixtam sibi ante aquam sua contractione discludere. Sane *solum* si nominativus est, *Durare* absolute accipiemus, et omnia quæ infra dicuntur ad solum et rerum terrestrium referentur. Si accusativus, ad mundi orbem cuncta pertinebunt. *Idem.*

Discludere Nerea ponto] Id est, aquam marinam a se segregare in alveum maris. αἰτολογία, cur terra induruerit, quæ ante stagnabat. Eo

ordine natalem mundi producit, ut primum fuerit locus, et atomi: deinde elementa, sed confusa: quibus in suas sedes digestis, cætera enata sunt. Lucretius in quinto:

Diffugere inde loci partes cœpere, pareisque
Cum paribus jungi res, et discludere mundum,
Membraque dividere, et magnas disponere partes.

Nannius.

Discludere Nerea ponto] Deus est marinus, sæpe pro ipso mari, Ovid. Heroid. ep. IX. 14.

Qua latam Nereus cærulus ambit humum.

Inde *Nereides*. De separatione et divisione elementorum Ovid. Met. l. I. *Emmeness.*

36 *Et rerum paulatim sumere formas*] Canebat etiam quemadmodum terra rerum sumpserit formam. *Servius.*

37 *Jamque novum ut terræ stupeant lucescere solem*] Canebat quemadmodum post hæc stupeant terræ, Solis ortum. Alii *terræ* ad homines referunt, pro, qui in terra sunt. *Idem.*

Lucescere] Alii codices habent *Luciscere*. quomodo et illud Terentii legunt:

Luciscit, hoc jam cesso pultare ostium?

Nannius.

38 *Altius atque cadant summotis nubibus imbres*] Quemadmodum cadant imbres nubibus in altum levatis. Naturale enim est, ut nubes, cum cœperint Solis esse vicinæ, ejus calore solvantur in pluvias. Unde in Georgicis ait, de signis serenitatis; *At nebulæ magis ima petunt.* Servius.

Altius atque cadant] In Romano codice *utque* legitur: sed *atque* receptum. *Submotis nubibus imbres*] In Romano codice *summotis ignibus* legitur. *Pierius.*

Summotis] Sursum motis, altius evectis, quæ ante segregationem elementorum terris inhærebant. *Nannius.*

39 *Incipiant silvæ*] Bonum sane sequutus est ordinem: ut post Solis et pluviarum commemorationem, diceret ortas silvas et animalia cuncta procreata. *Servius.*

40 *Animalia*] Animantia, τὰ ἔμψυχα. Idem.

Rara per ignotos] In Romano codice legitur *per ignaros*. Pierius.

41 *Hinc lapides P. j.*] Quæstio est hoc loco. Nam relictis prudentibus rebus de mundi origine, subito ad fabulas transitum fecit. Sed dicimus, aut exprimere eum voluisse sectam Epicuri; quæ rebus seriis semper inserit voluptates: aut fabulis, plenis admirationis, puerorum corda mulceri. Nam fabulæ caussa delectationis inventæ sunt: ut ipse etiam in Georgicis docet, dicens, *Cætera quæ vacuas tenuissent carmina mentes.* Sane fabula talis est, Jupiter cum perosum haberet, propter feritatem Gigantum, genus humanum, scilicet, quod ex illorum sanguine editi erant mortales; diluvio inundavit terras, omnesque homines necavit, exceptis Pyrrha et Deucalione, qui in monte Atho liberati sunt: sed hi ex responso Themidis, saxis post tergum jactis, genus hominum reparaverunt: et Pyrrha quidem reparavit fœminas; Deucalio mares. Alii dicunt Jovem Lycaoni, quod ei filium suum apposuisset epulandum, ipsum quidem fulmine peremisse; fecisse vero diluvium, quo homines perirent, exceptis Pyrrha Epimethei filia, et Deucalione Promethei filio: qui Parnassi montis altitudine defensi a diluvio sunt, et hominum genus, ut supra dictum est, reparaverunt. Sunt qui dicant, non ex illis lapidibus homines factos: sed quia jacuissent, sentibus atque fruticibus tecti, lapidibus excitatos. Quod autem dicit *Regna Saturnia*, fabularum ordinem vertit. Nam quo tempore Saturnus regnavit, in terris non fuit diluvium: sed sub Ogige rege Thebanorum. Secundum autem di-

luvium fuit sub Deucalione et Pyrrha. Sane sciendum, et per diluvium et per ecpyrosin significari temporum mutationem. Alii Saturnia regna, pro Jovis accipiunt, cujus regno diluvium factum volunt sub Deucalione et Pyrrha; non aureo seculo, quo Saturnus regnavit. *Servius.*

42 *Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei*] Et hic fabulæ ordinem vertit, quæ talis est; Prometheus Japeti et Clymenes filius, post factos a se homines, dicitur auxilio Minervæ cælum ascendisse: et adhibita facula ad rotam Solis, ignem furatus: quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati dii, duo mala immiserunt terris, febres et morbos: sicut et Sappho et Hesiodus memorant: Ἀλλὰ δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται, πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα. Quod tangit et Horatius dicens, *Post ignem aetherea domo Subductum, macies et nova febrium Terris incubuit cohors.* Ipsum etiam Prometheum per Mercurium in monte Caucaso religaverunt ad saxum: et adhibita est aquila, quæ ejus jecur exederet. Hæc autem omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus vir prudentissimus fuit. Unde etiam Prometheus dictus est ἀπὸ τῆς προμηθείας, id est a providentia. Hic primus astrologiam Assyriis indicavit: quam, residens in monte altissimo Caucaso, nimia cura et sollicitudine deprehenderat. Hic autem mons positus circa Assyrios, vicinus est pene syderibus. Unde etiam majora astra demonstrat, et diligenter eorum ortus occasusque significat. Dicitur autem aquila cor ejus exedere, quod ἄχος est sollicitudo: qua ille affectus, syderum omnes deprehenderat motus. Et hoc quia per prudentiam fecit, duce Mercurio, qui prudentiæ et rationis deus est, ad saxum dicitur esse religatus. Deprehendit præterea rationem fulminum eliciendorum, et hominibus indicavit: unde cælestem ignem dicitur esse furatus. nam quadam arte ab eodem monstrata, supernus ignis eliciebatur: qui mortalibus profuit, donec eo bene usi sunt. Nam postea malo hominum usu in perniciem eorum versus est; sicut in Livio lectum est de Tullo Hostillo, qui eo igni exustus est cum omnibus suis: Numa vero Pompilius impune eo usus est, tantum in sacris deorum. Hinc est, quod, igne rapto, ab iratis numinibus morbi hominibus dicuntur immissi. Ergo secundum fabulam ὑστερολογία est. nam prius fuit ut Prometheus crimen admitteret, post pateretur supplicia, qui tamen postea, præcepto Jovis occisa per Herculem aquila, liberatus est. Alii hunc ferula ignem de cælo subripuisse ferunt, et ideo a Jove religatum ad Caucasum, et volucri objectum; quem postea ab ipso Jove resolutum; quod eum monuisset a Tethide abstinere, quod de ejus semine nasceretur, qui eum regno pelleret, sicut ipse Saturnum patrem; cui post sacramentum, quod eum nunquam se soluturum juraverat, annulum de ipsis vinculis clauso de monte Caucaso lapide dedit, ad pœnæ præteritæ indicium. *Idem.*

Caucaseasque refert volucres] In codicibus aliquot antiqnissimis, in Romano, in Mediceo *Caucasias* per *i* in penultima habetur, et ita in secundo Georgicon *Caucasio.* Multa tamen ejusmodi libentius per *e* Latini protulere. *Pierius.*

Caucaseasque refert volucres] Bene volucres, in genere, sine distinctione: quia alii vulturem, alii aquilam cor Promethei erodere fabulantur. *Nannius.*

43 *His adjungit, Hylam*] Hylas Thiodamantis filius, ob speciem Herculi fuit carissimus; quem secutus navigantem cum Argonautis, in finibus Ponti juxta Mœsiam, apud fontem Calciamnis, cum aquatum isset, a Nymphis raptus est, nec unquam

potuit reperiri. Postea cum esset cognitum, quod perisset in fonte, ei statuta sunt sacra, in quibus mos fuerat, ut ejus nomen clamaretur in fontibus. Ad quam imitationem nunc dicit,

Ut littus, Hyla, Hyla, omne sonaret.

Per transitum rem veram tetigit; tertio enim ab Ephebo puer, in monte comitantibus universis, nomen ejus clamabatur. Sane postrema syllaba *la* brevis est; ideo quia vocalis vocalem sequitur. Nam omnis vocativus græcus a masculino veniens, A terminatus, longus est; ut Æneа, Hyla, Palla. Ordo tamen est, his adjungit quomodo Hylam nautæ clamassent in fonte relictum. *Servius.*

His adjungit Hylan] *Hylan* per, *n*, omnia vetera scribunt exemplaria. *Pierius.*

44 *Ut littus, Hyla*] Ut taceam *Hula* in antiquis codicibus, de quo alibi: est etiam *quo littus* legere in aliquot manuscriptis: sed, *ut*, omnino melius. *Idem.*

Hyla, Hyla] Herald. advers. I. 9. ter *Hyla* repetendum arbitratur, secutus auctoritatem Theocr. Idyll. XIII. 58.

Τρὶς μὲν Ὕλα.

Totum hoc Idyllium de pulcherrimo puero, Herculi adamato, quique multum ab eo quæsitus dicitur, Juven. Sat. I. 164. Testatur Kirchmannus de Fun. Rom. III. 7. in Ψυχαγωγίᾳ defunctum ter nomine appellatum fuisse.

Tunc egomet tumulum Rhæteo littore inanem
Constitui magnoque manes ter voce vocavi. Emmeness.

45 *Fortunatam Pasiphaën*] Nota fabula est, Cretensium reginam, Minois uxorem, quæ tauri amore flagravit, et enixa Minotaurum crimen dementiæ suæ publicavit. *Servius.*

Et fortunatam Pasiphaën] In veteribus aliquot exemplaribus omnino *Pasiphen* trisyllabum legas: quod quidem quosdam satis litteratos viros in errorem traxit; quum dubio procul Πασίφαη quadrisyllabum sit. *Pierius.*

46 *Amore*] Quidam pro in amore accipiunt. *Servius.*

47 *Ah virgo infelix*] Ad hoc attinet quod ait *solatur*: ut quod amat taurum, fortunæ magis videatur esse, quam morum. Virgo autem (ut dictum est supra), a viridiore ætate: nam jam mater fuerat Phædræ, Ariadnes, et Androgei. Calvus in Io, *Ah virgo infelix herbis pasceris amaris.* Quidam *virgo*, non quod virum illo tempore non haberet, sed quia talis ei pœna, jam virgini, destinata sit, intelligunt; ob iram scilicet Veneris; quæ irata Soli, quod se, ut quidam volunt, Anchisæ, aut alii Marti conjunctam, prodidisset, sobolem ejus inhonestis amoribus subjecit; ut Circen, Medeam, Pasiphaën; et hoc dicitur, In illa commiserabili dementia feliciores fuisse, quæ se animalia credebant, quam Pasiphaën; quæ cum sciret se hominem, taurum sectabatur. *Idem.*

Ah, virgo infelix] Diximus Probum Grammaticum subscribere Romano codici, ne *a*, vel si etiam interjectio sit, cum aspiratione scribatur. *Pier.*

Quæ te dementia cepit] Hic objurgari magis, quam consolari videtur; an quia consolantis et hoc officium est, ut merentem strictim et objurget. *Servius.*

48 *Prætides implerunt falsis mugitibus agros*] Prœtides, Prœti, et Stenobœæ, sive Antiopæ secundum Homerum, filiæ fuerunt, Lysippe, Ipponoë, Cyrianassa. Hæ se cum prætulissent Junoni in pulchritudine: vel ut quidam volunt, cum essent antistites; ausæ sunt vesti ejus aurum detractum in usum suum convertere: illa irata, hunc furorem earum immisit mentibus, ut putantes se vaccas in saltus abirent, et plerunque mugirent, et timerent aratra; quas

Melampus, Amythaonis filius, pacta mercede, ut Cyrianassam uxorem cum parte regni acciperet, placata Junone, infecto fonte, ubi solitæ erant bibere, purgavit, et in pristinum sensum reduxit. *Idem.*

49 *At non tam turpis*] In Romano et aliquot aliis plerisque codicibus, *turpis* Veliano more, de qua scribendi ratione alibi disputatum. *Pierius.*

50 *Collo timuisset aratrum*] Terent. *Syre tibi timuit.* Servius.

51 *Levi*] Humana scilicet. *Idem.*

53 *Ille latus niveum*] Quis eam amare non intelligat? *Idem.*

Fultus hyacintho] Apud veteres unusquisque eo, super quod jacebat, *fultus* dicebatur. Lucilius in tertio, *Et pulvino fultus:* Virgilius, *Atque harum effultus tergo stratisque jacebat Velleribus.* Idem.

54 *Ilice subnigra*] Vel umbrosa, vel re vera nigra: nam talis est. *Idem.*

Pallentes ruminat herbas] Revomit, et denuo consumit. *atque iterum pasto pascitur ante cibo:* sic Ovidius. Ruminatio autem dicta est a ruma, eminente gutturis parte: per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus. Pallentes autem vel aridas, vel quæ ventris calore propria viriditate caruerunt. *Idem.*

55 *Aut aliquam in magno sequitur grege*] Aliquam, id est, vaccam. Ac si diceret, Habet aliquid spei: siquidem noveris amare, quem diligis. Notandum autem *gregem*, eum de bobus dixisse; cum proprie *armenta* dicamus. Licet grex sit quorumlibet animalium congregatio. Sic Cicero in Philippicis, *Fudit apothecas, cecidit greges armentorum.* Idem.

Claudite nymphæ] Melius hoc a persona Pasiphaæ dictum accipimus: ut dicat Silenus, hoc illam aliquando dixisse. *Idem.*

56 *Dictææ*] Dictis mons in Creta, in quo Pasiphaë amasse taurum dicitur. *Idem.*

Claudite saltus] Scilicet ne latius evagetur, eoque minus possit investigari. *Idem.*

57 *Si qua*] Pro si, vel si quo modo. *Idem.*

Nostris] Et hic nostris, ut Terentius in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, *quomodo minimo periculo id demus adulescentulo*, id est des. *Idem.*

58 *Errabunda bovis vestigia*] Illud expressit quod uno verbo Homerus ait, εἰλίποδας βοῦς, hoc est flexis pedibus incedentes. Et est, participium, prope contra rationem figuratum: vel errabunda, errantia; ut ludibundus, ludens. Cicero, *Omnia ludibundus conficiens.* Idem.

60 *Ad Gortynia*] Bene ad Gortynia. Nam apud Gnoson imperabat Minos ejus maritus. Unde illuc taurum non vult venire: sed ad Gortynon oppidum Cretæ, ubi aliquando fuerant Solis armenta. *Idem.*

Stabula ad Gortynia] In Longobardico et Mediceo, *Cortynia* per *c*, ut multi jam scribere cœperunt. Sed Γόρτυν urbs Cretæ per *g* scribitur, et apud Stephanum, et in Homeri catalogo. Datur tamen auribus Latinis plerumque *c* pro *g* recipere. Cognatæ enim sunt, ut Scaurus ait. *Pierius.*

61 *Tum canit Hesperidum miratam mala puellam*] Mala, quibus acceptis a Venere, Hippomenes vicit Atalantam puellam Sciriam cursu potentem, quæ multos sponsos superatos occiderat: quod plenius in Æneidos tertio libro memoravimus, ubi etiam de ipsis malis fabula relata est. *Servius.*

62 *Tum Phaëtontiadas*] Clymenes et Solis filias: quæ dum extinctum fratrem flerent, conversæ sunt in arbores: ut hoc loco dicit, in alnos: ut in decimo, in populos; ubi etiam plenius hæc dicta est fabula. Mira autem est canentis laus, ut quasi non factam rem cantare: sed ipse eam cantando facere videatur. Sane ingeniosi hominis mentionem cum re, quæ animam non habet, miscuit: sorores

coloribus. Plinius l. xxxv. c. 6. *quod chrysocollam luteam mentitur.* Sic alibi *candorem mentitus.* Emm.

43 *Ipse sed in pratis a. j. s. r. M. j. c. m. v. l.*] Hoc in honorem vel laudem Augusti refert. Traditur enim in libris Etruscorum, si hoc animal miro et insolito colore fuerit infectum, omnium rerum felicitatem imperatori portendi. *Ipse* autem quod addidit, non vacat: nam sunt quædam pronomina, quæ addita nominibus faciunt dignitatem, ut, *ipse modo Æneas* et *Turnus ego.* Sane in Numæ legibus cautum est, ut si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi et natis ejus, in cautione offerret arietem. Ergo hic bene videtur arieti dignitatem dare; dicendo *ipse;* qui oblatus, homicidam crimine homicidii possit exsolvere. *Servius.*

Jam] Significat modo. *Idem.*

44 *Murice*] Cochlea similis conchiliis, unde tingitur purpura. *Idem.*

Murice] Murex pisciculus est, qui cibi vicem præstat, cujus liquore tinguntur vellera et vestes. Martial. Epigr. xiii. 77.

Sanguine, de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, et, non est hoc satis, esca sumus.

Horat. Od. ii. 16.

—— *Te bis Afro*
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ. ——

Pers. Sat. ii. 65.

Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.

A purpura distinguit Plin. ix. 25. Per arietem insolito colore indutum portendi imperatori omnium rerum felicitatem, docet Macrob. iii. 17. Ibi plura. *Emmeness.*

Mutabit] Tinget, inficiet per naturam. *Servius.*

Luto croceo] Rubicundo colore, et est Hypallage, pro croco luteo. Nam crocum, lutei coloris est. Unde et aluta pellis alba per naturam. *Idem.*

45 *Sandyx*] Herba est, de qua sandycinus tingitur color. *Idem.*

Sponte sua sandyx] Græcis etiam sandyx genus cerussæ a colore sandarachæ. Turnebus existimat concinnius hic sandycem herbam accipi, et ejus fuco inter pascendum agnos colorari, tum Plinii auctoritate, tum Hesychii, cujus hoc est: *σάνδυξ δένδρον, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Ξωσίβιος. Germanus.*

46 *Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fusis*] Ordo est, Talia sæcula currite fusis suis Parcæ dixerunt. *Servius.*

Sæcla] Sunt, qui contendunt, sine diphthongo scribendum, ut Dausquius. Sed per æ numismata, et inscriptiones habent, quæ Pierius, et Manutius citant. His adde numm. August. tab. 58. De felicitate aurei sæculi Lactantius v. 24. *Emmeness.*

Currite] Volvite. Melius est *currite,* imperativum esse modum: ut sit sensus, Dixerunt Parcæ concordes, suis fusis, id est vaticinationibus, currite talia sæcla: hoc ordine et eventu vestro estote. *Servius.*

Currite] In Mediceo codice, *currere;* sed melius per imperativum. Sic Catullus nupt. Pel.

Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Emmeness.

47 *Stabili*] Hic immutabili et semper manenti. *Servius.*

Fatorum numine] Fata dicta a fando: quia quæ Parcæ dixerunt, hæc credebantur evenire mortalibus. Numine autem, id est, potestate, divinatione, ac majestate. *Idem.*

Parcæ] Quæ et furiæ infernales; dictæ Parcæ, *κατ' ἀντίφρασιν,* quia nulli parcunt. *Idem.*

Concordes stabili fatorum numine Parcæ] Nam et quod una dixerit, duæ sequuntur; et fixa sunt statuta fatorum. Horatius, *Quod semel dictum, stabilisque rerum Terminus servet.* Idem.

49 *Cara deum suboles*] A *sub* et *olescendo* quia originem habet, per, *u*,

scribend. volunt Pierius, et Dausquius, adjectis nonnullis inscriptionibus, quibus codicis Romani fidem tuentur. *Cara Deum suboles* quod Græce διοτρεφής. Vide Schol. ad Hom. Il. A. 176. *Emmeness.*

Cara] Sic in vulgatis, in codice Festi *clara*. Pierius.

Jovis incrementum] Nutrimentum. et est vulgare, bucolico quod convenit carmini. *Servius.*

50 *Nutantem mundum*] Nutat, præsentibus malis: sicut post lætari illum dicit: lætus est, bonis futuris: et bene quasi renascentem describit. Sane Jovem merito puerorum dicunt incrementa curare, quia cum pueri togam virilem sumpserint, ad Capitolium eunt. Nam et in Æn. VIII. Ascanius in Numanum intendens sagittam, Jovem magis invocavit, *Jupiter omnipotens audacibus annue cœptis.* Idem.

Convexo] Curvo, inclinato. *Idem.*

Tractus] A magnitudine dictum accipitur, et bene per hæc omnia mundum divisit. *Idem.*

53 *O mihi tam longe maneat pars ultima vitæ*] Utinam possim frui vita longissima; et habere tantum spiritum, quantus possit sufficere ad tuæ virtutis commemorationem. *Idem.*

55 *Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus*] Genere styli sese Orpheo, vel Lino meliorem fore commemorat. Nam non sibi arrogat: sed hoc dicit, Tanta est materia tuæ laudis, ut etiam humile ingenium in ea re supra omnes possit excellere. *Idem.*

56 *Adsit*] Pro faveat. *Idem.*

57 *Calliopea*] Græca declinatio. *Idem.*

Lino] Linus vero cum nomen hominis dicimus, brevis est *Li*. Statius, *Medio Linus intertextus acantho.* Cum autem linum dicimus, filum significantes, *Li* longa est; cum producatur apud Græcos. Linus Apollinis et Psamatis filius, qui theologiam scribit. *Idem.*

Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo] Vide ad hunc locum Schotti observat. II. 44. Phæd. l. III. in præfat.

Threissa quum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens; Musa Orpheo.

In Romano et Mediceo codice *Orphi* legitur, per synæresim. Plura Pierius. *Emmeness.*

58 *Pan etiam*] Redit ad numina rustica: nam satis excesserat dicendo Linum poëtam, et Orpheum theologum. *Servius.*

Pan etiam] In Oblongo codice legitur *Pan Deus*, et in sequenti *Pan etiam*. Magnam enim emphasim habere videtur, *Pan Deus*. Et adverte in hujusmodi lectione inferiore versu, *Pan* suspendendum esse; si cui vero magis placeat iteratio totius hemistichii, non laboro. Nam et ea quoque lepida, et suavis est. *Pierius.*

Arcadia judice] Quæ ei favet, ubi colitur. *Servius.*

Arcadia judice] Confidenter satis arbitros Poëta capit Arcadas, Pana colentes religiosissime. Sic Ecl. X. 26.

Pan Deus Arcadiæ——

Multa Pausanias in Arcadicis l. VIII. ἐστὶ καὶ ναὸς ἐν τῇ Ἡραίᾳ Πανὸς, ὅτε τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίου. *Emmeness.*

60 *Incipe parve puer*] Virgilius hic blandissimis et oculis et verbis puerum ad hilaritatem prolicit, ut risu se ostendat agnoscere matrem. deinde ei quibusdam terriculamentis minatur, nisi hoc faciat: denuncians, eos qui non arrisere parentibus, caruisse vitalitate. Et duplicem esse in ipsius risu gratiam. Nam et matrem recreabit, fessam decem mensium fastidio: et deos vitæ præsides, Genium et Junonem, quos parentes hic vocat, sibi conciliabit. *Nannius.*

Risu cognoscere matrem] Alludit ad id quod factum est: et rem naturalem ait. Sicut enim majores se sermone cognoscunt: ita infantes, pa-

sa sit lingua:—aut certe sit Hysteron Proteron: ut utriusque fabulæ videatur facere commemorationem, ut intelligamus, *Quid loquar aut Scyllam Nisi: aut quam fama secuta est, Candida succinctam latrantibus inguina monstris, Dulichias vexasse rates.* Aut certe ut bis accipiendum est: *Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est?* ut est illud in primo Æn. *Non ignara mali, miseris succurrere disco.* Idem.

Quid loquar? aut Scyllam Nisi] In Romano codice *ut Scyllam* habetur, quod non placet: quamvis Poëtarum mos sit, interdum fabulas confundere. Id si cui tamen adrideat, Quid loquar ut narraverit Scyllam Nisi, aut ut mutatos. In pastorali enim persona, non dedecet ex duabus Scyllis alteram pro altera nominare. Vetustus etiam codex manuscriptus ita legit, *Quid loquar? An Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est.* Vide vero tale aliquid apud Servium. Adde quod *narraverat*, non, *narraverit* in Romano codice scriptum est: sed hoc scriptoris adscripserim inscitiæ. *Pierius.*

Scyllam Nisi] Id est, Nisi filiam. Quod perfamiliare Græcis. Ælian. I. 24. Γλαύκωνος τοῦ Ποσειδῶνος, καὶ Ἀστυδαμείας τῆς Φόρβαντος. et c. 25. Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου. Vide Viger. de idiotism. gr. ling. Sed tironibus nota. Gronov. Observ. I. 22. *ut*, pro *aut* legit. *Emmeness.*

76 *Dulichias vexasse rates*] Ithacenses, a monte. Dulichium insula est, ubi mons est Ithacus: in qua fertur habitasse Ulysses: eoque et ipse Dulichius, et Dulichias habuisse rates dicitur. *Vexasse rates* autem, per Tapinosin dictum est. Nam non vexavit, sed evertit. quod Probus vult hac ratione defendere: dicens *Vexasse* venire ab eo quod est veho, vecto, vexo. ut vexasse sit portasse, et sine dubio pro arbitrio suo evertisse. *Vexasse* est enim vis quædam alieni arbitrii, non enim sui potens est, qui vehitur. Bene ergo inclinatum verbum est: nam qui fertur, et raptatur, et huc atque illuc distrahitur, *Vexari* proprie dicitur. Cato in oratione de Achæis, *Cumque Annibal terram Italiam lacerare atque vexare.* Cicero in Verrinis, *Sed ut a barbaris prædonibus vexata esset.* Item alibi: *fana vexata, direptæ urbes reperiuntur.* Servius.

Dulichias vexasse rates] *Vexare* non leve incommodum significat. Sed qui raptatur huc atque illuc proprie *vexari* dicitur, interpretes habe Macrob. VI. 7. Gell. II. 6. Inde Scylla sortita nomen est ἀπὸ τοῦ σπάλλειν, quod in glossis Philoxeni *vexare.* Emmeness.

77 *Ah timidos nautas*] *Timidos nautas* nonnulli pro *timentes* accipiunt, et bene *ah timidos*, ex dolentis persona. *Servius.*

78 *Teri*] Pro Terei. nam per synæresim dictum est: sicut supra, *Furtumque Promethi*, pro Promethei. Tereus autem rex Thracum fuit, qui cum Atheniensibus tulisset auxilium, ac Pandionis Athenarum regis filiam Prognen nomine duxisset uxorem; et post aliquantum tempus ab ea rogaretur, ut sibi Philomelam sororem suam videndam accersiret; profectus Athenas dum adducit puellam, eam vitiavit in itinere, et ei linguam, ne facinus indicaret, abscidit; inclusamque in stabulis reliquit, ementitus conjugi eam perisse naufragio. Sed Philomela rem, in veste suo cruore descriptam, misit sorori: qua re cognita Progne Itym filium interemit, et patri epulandum adposuit. Alii Tereum finxisse socero dicunt Prognen uxorem mortuam, et petisse Philomelam in matrimonium, et hoc dolore compulsam Prognen occidisse filium, et epulandum patri apposuisse: quos cum Tereus, agnito scelere, insequeretur, omnes in aves mutati sunt; Tereus in upupam; Itys in fassam; Progne in hirundinem; Philomela in lusciniam. quidam ta-

men eos navibus effugisse periculum, et ob celeritatem fugæ, aves appellatos volunt. *Servius.*

79 *Philomela dapes*] Atqui hoc Progne fecit: sed aut abutitur nomine: aut illi imputat, propter quam factum est. Et bene avis et hominis miscuit mentionem. *Idem.*

Quæ dona pararit] Quod, satiato Tereo, caput et pedes filii uxor intulerit. *Idem.*

Quæ dona pararit] Ambigitur, utra epulas Tereo posuerit, Philomela stuprata, an Progne uxor Terei. Pro utraque sententia stant eruditi fortiter. Prolixius disputat Torrentius Od. IV. 2. *Emmeness.*

80 *Quo cursu*] Licet volatum accipere debeamus, tamen *deserta petiverit*, potest ad hominem referri. *Servius.*

Quo cursu] Id est volatu. Sic Statius Theb. l. III.

—— *Cursus ut nulla serenos*
Alos agat.

Emmeness.

81 *Sua tecta supervolitaverit*] Hoc ad avem pertinet. *Servius.*

82 *Meditante*] Canente. *Idem.*

83 *Eurotas*] Fluvius Laconum, qui audita ab Apolline suas edocet lauros, quibus ejus plenæ sunt ripæ. ibi namque templum Apollinis est, nam hunc fluvium Hyacinthi causa Apollo dicitur amasse. *Lauros* vero multi pro vatibus accipiunt. *Idem.*

84 *Ille*] Silenus. *Idem.*

Referunt] Vel ferunt, vel proferunt; quo verbo aliter in sequenti versu utitur. *Idem.*

85 *Cogere donec oves stabulis*] Ordo est, cogere, donec oves stabulis vesper jussit, et invito Olympo processit. *Idem.*

Referre] Recensere. *Idem.*

86 *Et invito processit vesper Olympo*] Et ex eo quod dies invitus abscessit: et ex eo quod nimio audiendi desiderio vesper exortus est, cantilenæ voluptas ostenditur. Est etiam Solis laudatio, cujus lucis claritas tanta est, ut ea Olympus lætetur. *Idem.*

ECLOGA VII.

Quantum ad Idyllii pertinet inscriptionem, animadvertendum, in Vita Virgilii, quæ Donato adscribitur, ubi singularum eclogarum argumenta, et tituli recensentur, hæc corrupte legi. Septima Pharmaceutria; octava amores diversorum sexuum, et dicitur Damon. Ea tu ita restitue: Septima amores diversorum sexuum, et dicitur Corydon. Octava Pharmaceutria, et dicitur Damon. Sunt tamen qui pro Corydone Meliboeum inscribant. *Pierius.*

1 *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis*] Ecloga hæc pene tota Theocriti est: nam et ipsam transtulit, et multa ad eam congessit de aliis. *Serv.*

Arguta autem modo canora, stridula. Alibi argutum, breve significat: ut, *Argutumque caput.* Idem.

Arguta] Canora: siquidem Theocrito pinus dulci murmure modulatur,

Ἀλλό τι τὸ ψιθύρισμα, καὶ ἁ πίτυς αἴπολε τήνα,
Ἀ ποτὶ ταῖς παγαῖσι, μελίσδεται.

Ausonius:

Est et arundineis modulatio musica ripis,
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis.

Nannius.

Daphnis] Divinum hunc inducit, quippe filium Mercurii, ut diximus supra. Nam hinc est, quod paulo post dicturus est: *Caper tibi salvus et hædi.* quasi divinus. *Servius.*

2 *Compulerantque*] Compellere proprie est in unum locum, vel diversa, vel diversorum animalia cogere. Cicero in Pisone, *omni pecore compulso.* Id.

Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum] In antiquo codice manuscripto *gregem* unitatis numero habetur, ut sit, Corydon et Thyrsis compulerant in unum gregem, Thyrsis oves, Corydon capellas. Sed melius *greges:* uterque suum. Est vero ubi *ovis* legas. Sed hoc loco *oves* dulcius sonare videtur. *Pierius.*

4 *Florentes ætatibus*] Hoc est ætate florente. *Servius.*

Ambo florentes ætatibus] Ætatibus, quasi diceret annis: rara locutio, per numerum plurativum. intelligit autem pubertatem. quare ab Ausonio utrumque simul conjunctum est:

—— *Dum flos novus, et nova pubes.* Nannius.

Arcades ambo] Non revera Arcades: nam apud Mantuam res agitur: sed sic periti, ut eos Arcades putares. Nam et paulo post dicturus est, *soli cantare periti Arcades.* Servius.

5 *Et cantare pares, et respondere parati*] Hoc est, qui possint etiam continuum carmen dicere. Nam hoc est cantare: ut, *Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnin.* vel, *Candidus insuetum miratur lumen Olympi.* Et Amœbæum referre; ut, *Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me Munera sunt lauri.* Idem.

Cantare parati] Pro, parati ut cantarent et responderent; vel, pares parati, quasi pariter parati. *Idem.*

Cantare parati] Salust. in Cat. *et vos servire magis, quam imperare parati estis.* Vid. Sanct. de verb. infinitis. p. 218. Horat. Od. II. 17.

—— *Supremum*
Carpere iter comites parati.

Plura Vechnerus I. 5. Emmeness.

6 *Hic mihi*] Scilicet circa eam pastem, in qua Daphnis sedebat. *Idem.*

Hic mihi dum teneras] In Mediceo *huc* scriptum est, sed *hic* melius, hoc est, eo tempore, *quo teneras defendo a frigore myrtos.* Pierius.

Dum teneras defendo a frigore myrtos] Et varie hic locus exponitur. Nam alii simpliciter accipiunt, Dum myrtos tego, et tueor, ne eas frigus exurat. Alii quia æstatis illud fuisse asserunt tempus, dicunt; *Defendo a frigore,* tego contra frigus futurum. Alii dicunt, Dum defendo, id est, dum mihi ad defensaculum præparo myrtos a frigore, id est, quæ sunt sine frigoribus. Solent enim pastores vendicare sibi loca aliqua propter frigus futurum. *Servius.*

Dum teneras defendo a frigore myrtos] Pro multiplici interpretatione, quam tradit Servius, una videtur congruere, Dum munio myrtos contra inimicum frigus, quod tolerare hoc genus fruticis non potest. *Defendere* est *arcere, avertere.* ut Servius hac Ecl. vs. 47. Ubi de hoc verbo dicendi locus. *Emmeness.*

7 *Vir gregis*] Abusive: nam tantum hominum est. Sic alibi, *Quem legere virum.* Item Horatius, *Et olentis uxores mariti.* Acyrologia est. quod tamen ad Theocriti imitationem dictum est: qui ait, ὦ τράγε τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ. *Servius.*

Vir gregis] Sic amant loqui Poëtæ. Juvenalis de gallo Sat. III. 91.

Quo mordetur gallina marito.

Horat. Sat. II. 3. 315. ubi de rana:

—— *Ut ingens*
Bellua cognatos eliserit.

Tali acurologia etiam usus est Plinius X. 61. de vespertilione *Geminos vellitat amplexa infantes.* Emmeness.

9 *Ades*] Alii pro imperativo accipiunt, cujus pronunciatio similis est indicativo. Terentius: *Adesdum, paucis te volo.* Servius.

Caper tibi salvus et hædi] Aut quia in capro est spes hœdorum: aut intelligimus, istum etiam hœdos perdidisse, sed nescire: quod tamen ille quasi divinus indicat. Potest tamen etiam scire, sed levius damnum majoris contemplatione contemnere. *Idem.*

10 *Et si quid cessare potes*] Sic tibi potes vel breve otium persuadere. Nam loquitur ad hominem amantem laboris. *Idem.*

Requiesces sub umbra] Mecum scilicet. *Idem.*

11 *Huc ipsi potum venient per prata juvenci*] *Ipsi*, id est sponte sua. Et intelligimus istum præter capellarum gregem, juvencos habuisse peculiares. aut certe, *ipsi* referamus ad hœdos et caprum. ut, *Per prata juvenci*. Idem.

12 *Prætexit*] Prætegit; ut, *Non tamen Anna novis prætexere funera sacris*. Idem.

13 *Mincius*] Fluvius. intelligamus Venetiam, quæ est haud longe a Mincio, cujus est delicias commemoraturus. Alii dicunt loca ipsa *prata juvenci* appellari. *Idem.*

Eque sacra] Et de sacra, ut: *Eque chao densos divum enumerabat amores*. Id est a chao. Sacra autem quercus, aut ipsam quam vult intelligi, aut universum genus, quod et Jovis, et olim fatidice. *Idem.*

Eque sacra resonant examina quercu] In Longobardico prius erat, *Atque sacra*, prout etiam in citato hoc eodem versu ab Arusiano. Sed enim Servius mavult, *aque sacra*. In commentariis vero aliquot, *eque cava resonant*, scriptum invenias. *Pierius.*

14 *Neque ego Alcippen nec Phyllida habebam*] Has duas intelligamus amicas esse cantantium. Nam hoc dicit, Nec Alcippen habebam, ut ille: nec Phyllida, ut alter. aut ut plerique putant, nomen villicæ. *Servius.*

15 *Clauderet agnos*] Ergo varium pecus habuit. *Idem.*

16 *Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum*] Figurate locutus est, Magnum certamen, ille cum illo: ac si dicas, Magna contentio est cum Cicerone Virgilius. et videtur nominativum pro genitivo posuisse, nam *Corydonis* facit. *Idem.*

17 *Posthabui*] Postposui. *Idem.*

Mea seria] Necessitatem capri inquirendi, vel hœdorum. *Idem.*

Ludo] Cantilenæ. ut, *Ludere quæ vellem calamo permisit agresti*. Idem.

18 *Alternis igitur contendere versibus ambo*] Hoc est quod ait supra, *Et respondere parati*. Idem.

19 *Alternos Musæ meminisse volebant*] Si volebant: sensus est, Musæ utriusque meminerant: ut, *Amant alterna camœnæ*. Sed multi *volebam* legunt: ut sit sensus, Optabam o Musæ meminisse alternos. id est, omnia quæ dixerunt, tenere. Nam et in fine dicturus est, *Hæc memini*. Idem.

20 *Referebat ordine*] Amœbæi carminis lege, ut diximus supra. *Idem.*

21 *Nymphæ noster amor Libethrides*] Libethros fons est Bœotiæ, ubi coluntur Musæ; a Libethro Poëta, qui primus armoniam tradidit, et arcem Musis consecravit. Alii locum in quo Hesiodus natus est: alii templum Libethridum Musarum dicunt; quod a Pierio Apollinis filio consecratum est; et sic ait Libethrides, ac si diceret Hippocrenides, a fonte Hippocrene. Ut autem Poëtæ invocent Nymphas (sicut hoc loco: item in fine, *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem*) hæc ratio est, quod secundum Varronem, ipsæ sint Nymphæ quæ et Musæ; nam et in aqua consistere dicuntur, quæ de fontibus manat, sicut existimaverunt, qui Camœnis fontem consecrarunt: nam eis non vino, sed aqua et lacte sacrificari solet, nec immerito. Nam aquæ motus musicen efficit: ut in hydraulia videmus. Sane sciendum quod idem Varro tres tantum Musas esse commemorat: Unam quæ ex aquæ nascitur motu; Alteram, quam sëris icti

efficit sonus ; Tertiam quæ in mera tantum voce consistit. Et multi volunt in hac ecloga esse allegoriam, ut Daphnis sit Cæsar, Corydon Virgilius : Thyrsis qui vincitur, Virgilii obtrectator ; scilicet aut Bavius, aut Anser, aut Mævius, pessimi Poëtæ. *Idem.*

22 *Meo*] Positus in hac particula magnus affectus amoris. Sup. *meus ignis Amyntas.* Ovid. in ep. *Æsonides, dixi, quid agit meus.* Horat. Carm. IV. *Mecænas meus.* Sappho apud Ovid. *Me miseram dixi, quam modo pene meus.* Frequentissima sunt in Plauto, *mea lux, mea vita,* et sexcenta alia. Cerda.

Codro] Codrus Poëta ejusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert. *Servius.*

Proxima Phœbi] Subandis carmina. *Idem.*

23 *Aut si non possumus omnes*] Secundum illud dixit, *Non omnia possumus omnes.* Nam debuit dicere, Aut si ego non possum. *Idem.*

24 *Hic arguta*] Juxta quam frequenter canitur, ac per hoc *loquaci, garrula.* Idem.

Sacra pinu] Matri deum consecrata. Sic supra, *Sacra quercu,* scilicet Jovi dicata. et apostropham fecit, tanquam eam consecret, et intellectus pendebit, fistula malo catalysin facere, quam deterior esse. *Idem.*

Pendebit fistula] Qui arti alicui valedicebant, instrumenta, sive musica, sive alia, in rebus aliis usurpata, diis consecrabant. Tibullus II. 5.

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum
Garrula silvestri fistula sacra Deo.

Horat. Od. III. 26. *Barbita hic paries habebit.* Nemesius ecl. I. 14.

Jam mea ruricolæ dependet fistula Fauno.

Vide Tomasinum de Donariis c. 29. et ante alios Turn. advers. VI. 9. et Torrentium ad Horat. ep. I. 1. 5. *Emmeness.*

25 *Pastores nascentem Poëtam*] Vesecunde locutus est, non jam Poëtam dicens, sed nascentem. Sane hoc loco carmen exprimitur Amœbæum. Nam cum Corydon petiisset, ut esset Codri similis : hic se adeo Codrum superare dicit, ut se in ejus invidiam possit movere. Hedera autem coronantur Poëtæ, quasi Libero consecrati, qui et ut Bacchæ insaniunt (Sic Horatius, *Ut male sanis adscripsit Satyris Faunisque Poëtas*) vel quod semper virent hederæ, sicut carmina æternitatem merentur. *Servius.*

Crescentem ornate Poëtam] In Longobardico, et in Mediceo legere est, *nascentem,* horum alterum Paraphrasis fuit. *Crescentem* vero omnino castior lectio existimatur. *Pierius.*

Edera] Folia ejus in coronamentis locum habent. Plin. XXI. 9. ederaceam coronam primus capiti imposuit Liber. idem XVI. 4. dein qui cæteris Poëtis palmam præripuerant. idem XVI. 34. Juven. sat. VII. 28.

Qui facis in pacem sublimia carmina cella,
Ut dignus venias ederis.

Pers. in præfat.

—— *Quorum imagines lambunt*
Hederæ sequaces.

Horat. Carm. I. 1.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis.

Rationem tradit Vossius de natura artis Poëticæ c. 10. et exemplorum copiam Paschalius carm. I. 18. *Emmeness.*

26 *Rumpantur ut ilia*] Sicut etiam in Æneide dictum est, hoc ile, et hæc ilia facit. Unde Juvenalis ait, *Vis frater ab ipsis Ilibus ?* Nam Maryllus mimographus contempsit artem, ad jocum movendum : et parasito dixit, *Tu ut Hector ab Ilio nunquam recedis.* Sed, hoc dictum est per amaritudinem rusticam. *Servius.*

Rumpantur ut ilia Codro] Extremæ indignationis caussa, rumpi dicuntur ilia. Cic. in Vatin. c. 4. *Ut aliquando ista ilia, quæ sunt inflata, rumpantur.*

Facetissima est comparatio apud Horatium Sat. II. 3. et Martialem epigr. X. 69. stulti Otacilii, cum rana, quæ cum bovi invideret magnitudinem, rumpebatur. Sic Codrus invidia laborans ilia dicitur ducere, cum spiritus anhelantem et suspirantem deficit. Inde illud Ge. III. 505.

—— Attractus ab alto
Spiritus interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia singultu tendunt.

Ilia, teste Plinio XI. 37. *appellantur inter vesicam, et alvum arteriæ, ad pubem tendentes.* Emmeness.

27 *Ultra placitum*] Id est nimie. Irrisorie, Ultra quam placeo et mereor: quicquid autem ultra meritum laudatur, dicitur fascinari. *Servius.*

Ultra placitum laudarit] In Longobardico legitur *placidum*, quod minime admittimus. *Pierius.*

Ultra placitum laudarit] *Vetus opinio est* (ut Muretus var. lect. XI. 3.) *periculum esse a fascino, ubi quis impensius aut laudaret ipse se, aut præsens ab alio laudaretur.* Sed invidiam et fascinum a se amoliri putabant, utentes hac voce, *præfiscine*, aut *præfiscini*. Vide Turneb. XXVII. 23. et Scioppium verisim. I. 17. *Emmeness.*

Baccare] Herba est ad repellendum fascinum. *Servius.*

28 *Mala lingua*] Fascinatoria, nocendi scilicet studio. *Idem.*

29 *Setosi caput apri*] Multi per duas *e* scribi volunt propter metrum. Sane deest *consecrat*, ut, 'Æneas hæc de Danais;' et si *apri*, tanquam venator; si *capri*, tanquam pastor. *Idem.*

Setosi apri] Proprie de apris, qui setigeri dicuntur. Ovid. Met. VIII. 376. *A setis quæ densis similes hastilibus horrent.* ut Phædr. II. 4. 12. *Direpit ad cubile setosæ suis.* Venatorum disciplina erat, consecrare partem prædæ, ut capita aprorum, et cornua cervorum, ut Tomasinus de Donariis c. 30. et Turneb. IV. 22. *Emmeness.*

Parvus] Vel humilis, vel pauper, vel minor ætate. *Servius.*

30 *Ramosa cornua*] Ut, *cornibus arboreis.* Idem.

Ramosa cornua] Plin. XI. 37. *Spargit cornua in ramos, ut cervorum.* Phæd. I. 13. *Ibi dum ramosa mirans laudat cornua.* Superbiunt enim cornibus, quibus amissis, invia petunt, et latent, velut inermes. Plin. VIII. 32. ubi etiam de longissima vita cervorum. Ut recte, *vivacis*, quemadmodum Ovidius Met. III. 194.

Dat sparso capiti vivacis cornua cervi.

Cornua hæc crebro dedicata fuisse Dianæ, docet Tomasinus de Donariis c. 30. *Emmeness.*

Vivacis cornua cervi] Ut enim Plinius dicit in naturali historia, Cum se cervi gravatos ætate cognoverint esse, serpentes requirunt, et eos flatu ad se tractos, cum comederint, juvenescunt et revertuntur rursus in actum priorem; diu enim vivere dicuntur. *Servius.*

31 *Si proprium hoc fuerit*] Quod supra petierat scilicet, ut talia carmina faceret, qualia Codrus effecerat. Proprium sane veteres perpetuum, stabile, firmum. Terentius: *Ego deorum vitam ea propter sempiternam esse arbitror, quod eorum voluptates propriæ sunt*, id est firmæ et perpetuæ. Et in Phormione, *curavi propria ut potiretur.* Et ipse, *propriamque dicabo*; et, *da propriam Thymbræe domum.* Si *proprium*, alii hunc Miconem alieni pecoris custodem volunt, et sic dicere; Interim hoc tibi caput Delia dedico: si proprium hoc meum pecus fuerit, plus dabo, id est simulachrum faciam. *Idem.*

Levi] Polito. *Idem.*

De marmore tota] Quia solent plerunque caput tantum, vel thoraca facere. Sane in libris sacrorum refertur, sacrum dici, quod ritu sacratur, ut ædes, areæ, simulachra, dona. Hic ergo cum dicit, *levi de marmore*

tota Puniceo stabis suras evincta cothurno; eodem modo et de Priapo dictum debemus accipere. Hic etiam caput apri pro dono offertur, dona autem oblata numinibus tamdiu sacra sunt, et dona possunt dici, quamdiu non fuerint profanata. *Idem.*

22 *Suras evincta cothurno*] Ideo singulari usus est numero, quia hoc genus calceamenti utrique aptum est pedi, ut in primo Æneidos, *Purpureoque alte suras vincire cothurno.* Idem.

Evincta] Vel simpliciter, vel valde; ut, *eduramque pinum.* Idem.

Puniceo cothurno] Ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ, quo genere calceamenti primum usi fuerunt reges Albanorum, ut Festus in *mulleus*, et Dio de J. Cæsare, qui puniceis calceis utebatur, ut se Albanis regibus oriundum, testatum faceret. Tegebat mediam usque tibiam cothurnus. vid. Scal. ad locum Festi, ejusque figuram tradit Balduinus de calceo antiquo c. 15. p. 147. De Rubro calceatu mulieribus grato, Turn. XXVIII. 16. plura Ecl. VIII. 10. *Emmeness.*

23 *Sinum lactis*] Sinum, genus est vasis: quod cum significamus, *Si* producitur: cum vero gremium significamus, *Si* corripimus. Varro de vita populi Romani, *aut galeolam, aut lepestam, aut sinum dicebant.* Tria enim pro quibus nunc acratoforon dicitur. Atta in Megalensibus, *nempe ad mensam ubi sermo de sinu solet suboriri.* Sane notandum haberi considerationem divinarum personarum. Nam ille supra cum veneratione locutus est, apud numen severum consideratione; contra hic jocatur, quia loquitur ad numen, quod jocis gaudere manifestum est. *Servius.*

Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis Expectare sat est] In pluribus quidem antiquis codicibus legitur *te.* Sed in Oblongo, *tibi*, quippe satis est, vel oblata tibi. *Sino* vero pro vase utitur et Plautus in Curculione, *Insurgere in me liquores tuos Sino doctim.* Quod vero Virgilius *liba* genere neutro dixit, Nigidius *libos* genere masculino dicere maluit. *Quot annis*, uti sæpe dictum, distinctis dictionibus scribitur in antiquis exemplaribus. *Pierius.*

Sinum] Δῖνον Græcis, mutato *d* in *s.* Quod non adeo insolens, ut Turn. I. 16. excavatiorem sinum habet, quam poculum, Varr. de L. L. IV. *Emm.*

Liba] Placentas. *Servius.*

Liba] Nonnulli a λείβω, quia diis libantur, derivant; alii a Libero, quibus accedit Ovid. Fast. III. 733.

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen
Libaque: quod sacris pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt: succis quia dulcibus ille
Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt. Emmeness.

Priape] Deus Lampsacenus est Hellesponti, qui hortos tuetur. *Servius.*

Priape] Hortorum Deus, manu tenens dextra falcem, qui avibus et furibus terrorem incutit. Noster Ge. IV. 110.

Et custos furum atque avium, cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Idem Hor. Sat. I. 8. et Columell. in Carm. de Cult. Hort.

—— *Medio qui semper in horto*
Inguinibus puero, prædoni falce minatur.

Emmeness.

24 *Custos es pauperis horti*] Pro eo, Juvenal. XIII. 128. *exigui horti. Pauperculi hortulani* meminit Apul. lib. IX. *Idem.*

25 *Pro tempore*] Pro necessitate, pro captu rei nostræ, pro viribus quæ sunt hoc tempore. *Servius.*

26 *Si fœtura gregem suppleverit*] Si tot agnos habuero, quot oves: hoc est enim *gregem suppleri per fœturam;* et fœtura est proventus, ipse fœtus vero quod nascitur. *Idem.*

Suppleverit] Id est, si propagatio

sobolis numerum gregis resarciverit, ita supplementa exercitus dicimus, quum in locum desideratorum alii succedunt, et numerum adæquant. *Nannius.*

Aureus esto] Ponetur statua ex auro. Sic *marmoreum fecimus* paulo ante. et Juvenal. Sat. XIII. 114.

—— *cum mittere vocem*
Debueras vel marmoreus vel æneus.

Hor. Sat. II. 3. 183. *Æneus ut stes.* Emmeness.

37 *Nerine Galatea*] Amica Corydonis nobilis; et hoc dicit, O amica quæ talis es, qualis Galatea fuit nympha, quam cum Polyfemus Cyclops adamasset, primum concubitum ejus precibus expetivit, mox vim adhibere conatus est; quem illa, in mare se præcipitando, effugit. Cyclops autem cum eam de mari non posset evocare, Acyn, quem Nympha diligebat, ictu petræ interemit; cujus cruorem Galatea vertit in fluvium, qui ejus retinet nomen. *Nerine* autem patronymicum est Græcum. Nam fœminina patronymica, aut in *ias* exeunt, ut Pelias: aut in *eis*, ut Atreis: aut in *ne*, ut Nerine, Adrastine. Alii pro Nereis accipiunt. *Servius.*

Nerine] Ut Æetine Ovid. Epist. Heroid. VI. 103. sic Adrastine, Nonacrine. vid. Priscian. l. II. p. 585. et Nobiliss. Heins. ad locum Ovidii. *Em.*

Thymo mihi dulcior Hyblæ] Vel odore thymi Hyblæi, vel mellis Hyblæi: ut a materia rem ipsam dixerit. Nam apibus, non hominibus dulcis est thymus. *Servius.*

38 *Edera formosior alba*] Quia sunt et nigræ hederæ: ut, *Aut hederæ pandunt vestigia nigræ.* Nigra autem, vel alba hedera, non ex foliis, sed ex ligno cognoscitur. *Idem*

39 *Præsepia*] Id est, cum possessores novi coperint assignatos possidere agros. *Idem.*

40 *Tui Corydonis*] Plenum affectus est: ut, *Si quis amatæ Tangit homos animum.* Servius.

41 *Sardois herbis*] In Sardinia enim nascitur quædam herba, ut Sallustius dicit, apiastri similis: quæ herba comesa hominum rictus dolore contrahit, et quasi ridentes interimit. Unde vulgo σαρδόνιος γέλως. *Idem.*

Sardois herbis] Oblongus codex ille antiquus, atque alter pervetustus expositus, *Sardiniis;* Longobardicus et Mediceus *Sardoniis* legunt. *Pierius.*

42 *Horridior.*] Spinosior. *Servius.*

Rusco] Virgulta brevia acutis follis et pungentibus; unde et in sacris scopæ fieri solent. *Idem.*

Alga] Herba, quæ in mari nascitur. *Idem.*

43 *Lux*] Id est, *dies. Idem.*

Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est] Impatientius ferebat sibi, gregem servanti, diutius amica carendum esse. ad quam festinabat; et *animo cupienti*, ut Sallust. in Jugurth. *nihil satis festinatur.* Crebræ occurrunt misere amantium querelæ, momenta annos esse. Ovid. Heroid. Epist. XVIII. 25.

Septima nox agitur, spatium mihi longius anno.

Epist. XIX. 3.

Longa mora est nobis omnis, quæ gaudia differt.

Imo omnis mora molesta, ut Hor. Ep. I. 1. 20. v. etiam Freinshem. ad Curt. VII. 4. *Emmeness.*

44 *Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci*] Quia ad pascendum avidissimi sunt. Ideo autem increpat tauros tarde redeuntes ad stabula; quia superius dixit ille, tunc amicam suam venire debere, cum tauri ad præsepia fuissent reversi. *Servius.*

45 *Muscosi fontes*] Lanugine viridiore cooperti. *Idem.*

Somno mollior] Turpilius . . . lectus. *Idem.*

46 *Rara arbutus*] Aut genus arboris frondibus raris. aut quomodo dicimus, *rarum hominem*, pro egregio et bono. *Idem.*

47 *Defendite*] Prohibete, excludite,

Horatius, *et ignem Defendit æstatem capellis Usque meis.* Duo ergo significat, nam aliter patriam dicimus defendere, aliter hostes; ut, *hunc, ero, defende furorem.* Idem.

Defendite] Arcete, propulsate Solstitium, de quo Ge. I. 100. Cic. pro Sex. Rosc. c. 1. *defendere injuriam.* De Senect. c. 15. *nimios solis ardores defendit.* Cæsar de B. G. *quod bellum non intulerit, sed defenderit.* noster hac Ecl. vs. 6.

Dum teneras defendo a frigore myrtos.

sic ἀφήγειν Græce. Vid. P. Vict. var. lect. XXX. 11. *Emmeness.*

Jam venit æstas Torrida] Jam venit, jam appropinquat: non enim dicit æstatem esse cum adhuc turgere gemmarum palmites dicat. Et bene tarde frondere vites commemorat in Venetia, quæ est provincia frigidior. *Servius.*

48 *Torrida*] Calore sicca. *Idem.*

49 *Hic focus et tædæ pingues*] Contraria iste dicit. *Pingues* autem tædas ait *desudantes picem.* Nonnulli *Hinc* legunt, ut sit intellectus, quia in domo sua semper ignis sit; ideo subjectum, *hinc tantum*, ut est, *hinc omnis largo pubescit vinea fœtu.* hoc est, ex hac causa. Sane *hinc* alii propterea: alii, loci significationem accipiunt. *Idem.*

50 *Semper*] Quantum ad hiemis spatium pertinet. *Idem.*

51 *Curamus*] Quidam timemus accipiunt. *Idem.*

52 *Numerum lupus*] Quia solam considerat lupus prædam; et subauditur, vel ovium, vel similium. *Idem.*

Torrentia flumina ripas] Quæ aucta, riparum munimina spernunt; et totum proverbialiter dictum est. *Idem.*

53 *Stant et juniperi*] Modo, plenæ sunt: alias, horrent. ut, *Stant lumina flamma.* Alias vero *stant:* ut, *Stant manibus aræ.* Verrius Flaccus, Juniperum juvenem pirum dicit; vere autem Juniperus est quasi aculeis prædita, baccas ad piperis speciem gerens. *Idem.*

Castanea hirsuta] Adhuc tenta mea echinos locatæ. *Idem.*

54 *Passim*] Abundanter. *Idem.*

55 *Rident*] Læta sunt: ut, *Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.* Horatius, *Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet.* Idem.

56 *Montibus*] E montibus. *Idem.*

Flumina sicca] Ὑπερβολικῶς: etiam juges aquas et perpetuo fluentes siccari conspicias. *Idem.*

57 *Aret ager*] Ordo est, aret ager et sitit herba, moriens vitio aëris, id est, *pestilentia corrupti aëris affligitur.* Idem.

Aret ager: vitio moriens sitit aëris herba] Id est, Siccitas (quæ αὐχμὸς Aristoph. et ejus Schol. in Plat. IV. 2. 17.) minatur frugibus et satis interitum. Noster Ge. I. 107.

—— *Exustus ager morientibus æstuat herbis.*

Id optandum, quod Horat. Epod. 16.

—— *Ut neque largis*
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis.

Emmeness.

Moriens herba] Ex philosophantium sententia, animatæ sunt herbæ; ideoque *mori, exspirare*, &c. dicuntur. Noster Ecl. X. 67.

—— *Cum moriens alta liber aret in ulmo.*

et Ge. IV. 330.

—— *Interfice messes.*

Idem.

58 *Liber pampineas*] Sane sciendum, Virgilium pampinos nunquam cum genere dicere: sed Varronem fœminino genere frequentius *Servius.*

Invidit collibus umbras] Exsiccatæ sunt vites nimio æstu, et folia amiserunt. *Idem.*

Invidit collibus umbras] Ut, *Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret, Invidit fortuna mihi?* Nam invideo tibi illam rem dicimus, ut, *invidet imperium.* Idem.

60 *Jupiter et læto descendet plurimus imbri*] Sic alibi, *Conjugis in gremium lætæ descendit.* Aër enim in pluvias solvitur. *Idem.*

Juppiter et læto descendet plurimus imbri] Irrigabit arva pluviis ad fertilitatem sufficientibus, et necessariis. Inde *Jupiter pluvius.* Tibull. I. 7.

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

διέτιος καὶ καταιβάτης Poll. Onomast. I. 23. qui Ovidio Fast. III. 327. *Elicius* appellatur:

Eliciunt cœlo te, Jupiter. Unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Idem Turneb. IX. 9. *Emmeness.*

61 *Populus Alcidæ gratissima*] Quia ea velatus ab inferis rediit, quam Homerus ἀχερωΐδα dicit, ab Acheronte ad superos translata; qua corona usus duplici colore foliorum, geminos labores superorum inferorumque testatus est. De hac sane arbore fabula talis est: Leuce, Oceani filia, inter Nymphas pulcherrima fuit; hanc Pluton adamavit, et ad inferos rapuit; quæ postquam apud eum, completo vitæ suæ tempore, mortua est; Pluton tam in amoris, quam in memoriæ solatium, in Elysiis piorum campis, Leucen nasci arborem jussit, ex qua, sicut dictum est, Hercules se, revertens ab inferis, coronavit. *Servius.*

Populus Alcidæ gratissima] Quod et Theocr. Idyll. II. 121.

Κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἕρνος.

Ubi Scholiastes: παρὰ τῷ ἀχέροντι φυομένην τὴν λεύκην, ἣν Ὅμηρος ἀχερωΐδα καλεῖ. &c. Plin. XII. 1. Sic de arboribus, Diis dicatis: *Jovi Esculus, Apollini Laurus, Minervæ Olea, Veneri Myrtus, Herculi Populus.* Phædr. III. 18.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et Myrtus Veneri placuit, Phœbo Laurea,
Pinus Cybelæ, Populus celsa Herculi.

Qui Herculi sacra faciebant, et heroës, multis perfuncti laboribus, populeam coronam sumere consueverant. Turneb. XI. 26. Paschal. de Coron. IV. 2. et Meurs. arbor. sacr. c. 6. Inde Noster Ge. II. 66.

—— *Herculeæque arbos umbrosa coronæ.*

Et Æn. VIII. 276.

—— *Herculea bicolor cum populus umbra.*

V. Serv. Et hæc quidem alba fuit populus. Ovid. Heroid. Ep. IX. 64.

Aptior Herculeæ populus alba comæ.

Emmeness.

62 *Formosæ Myrtus Veneri*] Myrtum ideo dicatam Veneri volunt; quia cum a mari exisset, latuit in myrto, ne nuda conspiceretur; vel quia fragilis est, ut amor inconstans; vel quia jocundi odoris, ut, *sic positæ quoniam suavis miscetis odoris.* Servius.

Formosæ Myrtus Veneri] V. Serv. ad Ge. II. 64.

—— *Solido Paphiæ de robore myrtus.*

Inde Æneas Æn. V. 72.

Sic fatus velat materna tempora myrto.

et Ge. I. idem facit Augustus, qui per C. Cæsarem, Veneris se progeniem profitebatur. Ovid. Fast. IV. 15.

Mota Cytheriaca leviter mea tempora myrto
Contigit.

Rationem exponit in eodem libro vs. 138. De laurea Ecl. II. 54. *Emmeness.*

65 *Fraxinus in silvis pulcherrima*] Bene singulis loca sua consignavit. *Fraxinus in silvis cedet tibi, pinus in hortis.* Non sic erunt pulchræ arbores in suis locis, id est, sibi aptis creatæ: sicut tu, si ad me frequenter venire curaveris. *Fraxinus in silvis,* et post,

66 *Populus in fluviis*] In Vari, et Hebri, ut est nunc prius populus in

fluviis; dein fraxinus in sylvis in Hebri..., *Nec myrtus vincet Veneris, nec laurea Phœbi*, et ita adserit, *illas dum Phyllis amabit*. Non tam necessarium fuit dicere corylos: perinde enim est, ac si dixisset, *Phyllis amat corylos, corylos dum Phyllis amabit*. Servius.

Populus in fluviis, abies, &c.] Gaudet locis paludosis juxta Theophrastum IV. I. τὰ μὲν γὰρ φιλεῖ τοὺς ἐρύδρους καὶ ἑλώδεις· οἷον αἴγειρος, λεύκη, ἰτέα. καὶ ὅλως τὰ παρὰ τοὺς ποταμοὺς φυόμενα. *Quædam enim aquosa et palustria adamant loca: ut populus nigra, alba, salix, et denique omnia, propter fluvios nascentia.* De pinu et abiete, non satis sibi constat Theophrastus, nisi Scaligerum adhibeas, qui contradictionem quodammodo tollere videtur. *Emmeness.*

68 *Cedat*] Sic Longobardicus. In aliis invenitur *cedet*. Sic in seq. vs. *memini et victum*. In Oblongo vero codice: *hæc memini victum, &c.* Pierius.

69 *Hæc memini*] Et memini illam rem, et memini illius rei dicimus: ut, *Nec veterum memini, laborve malorum.* Item, *Numeros memini.* Servius.

70 *Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis*] Victor nobilis supra omnes: quam rem quasi rusticus implere non potuit. *Idem.*

Ex illo tempore] Ab illo, nempe, temporis puncto. Post illud tempus. Cic. Philipp. I. 1. *Nec a republica dejiciebam oculos ex eo die, quo in eadem Telluris convocati sumus.* Idem ad Att. Ep. XVI. 1. *Hinc ex Kal. April. ad H-S.* LXXX. *accommodetur.* Sic Vell. Paterc. II. 33. *Cum esset in fine bellum Piraticum, et L. Lucullus, qui ante septem annos ex consulatu sortitus Asiam.* Emmeness.

Nobis] Pro, *nobis*, Nannius ad hunc locum, et Torrent. in Horat. de art. poët. 259. legit: *noblis;* Servii, ut videtur, auctoritate. Sane, *nobilis, est omnibus notus*, ut Donatus. Ter. in Heaut. II. I. 15. *Mea est nobilis.* Idem.

ECLOGA VIII.

1 *Pastorum Musam Damonis*] Apud Theocritum est una ecloga, quæ appellatur φαρμακεύτρια: in qua inducitur mulier quædam sacris quibusdam pervertens mentem amatoris, a quo spernebatur: quam Virgilius transtulit ad hujus eclogæ ultimam partem. Prima enim ejus pars conquestionem solam habet, amatoris decepti: quem nubendo alteri, antiqua sponsa fefellerat. *Servius.*

Pastorum Musam Damonis et Alphesibœi] Servius ait primam partem solam amatoris decepti habere conquestionem. Sed enim in ea narratur etiam principium, et origo amoris, qui locus a Theocrito circa finem tractatur. *Pierius.*

Musam] Ergo cantilenam amorum, quos inter sese cecinerunt. *Servius.*

2 *Immemor herbarum quos est mirata juvenca*] Qui cantilenæ suavitate, coëgerunt etiam ea animalia oblivisci pascuorum, quæ sunt pascendi avidissima. Nam supra ait, *Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.* Idem.

3 *Stupefactæ carmine lynces*] Animalia, tanquam Pantheræ, in tutela

Liberi; et paulatim ad augmenta procedit: dicens, Juvencæ oblitæ sunt pascuorum: stupuerunt feræ: flumina etiam sensu carentia, cursus proprios retardaverunt. *Idem.*

4 *Requierunt flumina cursus*] Cursus proprios retardaverunt, et quietos esse fecerunt. Sic Sallustius, *Paulum requiefis militibus.* Quiesco enim duplicem habet significationem: et aliter dico, *Quiesco ego:* et aliter *quiesco servum*, id est, quiescere facio. Calvus in Io, *Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.* Idem.

Requierunt] Verbum *requierunt* ea loquendi figura nonnullis negotium facessit. Et *liquerunt* codices aliquot manuscripti legunt. Verum exempla probatiora, *requierunt* habent, et eam lectionem agnoscit Servius, quæ multum venustatis præ se ferens, inter elocutionum exempla redigitur ab Arusiano. *Pierius.*

Requierunt flumina cursus] *Requiesco* pro *requiefacio*, Turneb. xxx. 19. Sic *consuescere brachia* pro *consuefacere.* Sed compluria in *quiesco* et *requiesco* Sanctius p. 184. *Emmeness.*

5 *Damonis Musam*] Bene repetit, ne longum uperbaton sensum confunderet; ut in Georgicis repetit, *huc pater o Lenæe.* Servius.

6 *Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi*] Ubi es, o Auguste, sive Venetiæ flumen transcendis: nam Timavus fluvius est Venetiæ vel Histriæ. *Idem.*

Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi] Vocabulum nauticum, ut Servius ad Æn. I. 248.

Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi.

Id est, navigando accedere, et prætervigare. et IX. 314. *Egressi superant fossas.* Sic: *superare montem, jugum, &c. Saxa Timavi* maluit dicere, quam, Timavum. Sic: *fontem Timavi*, et Ge. III. 475.

—— *Et lapidis arva Timavi.*

Emmeness.

7 *Sive oram Illyrici legis æquoris, en erit unquam Ille dies*] Hoc est, Sive per Illyricum navigas mare, id est, per Dalmatiam: putas unquam erit tempus, quo mihi liceat tua facta describere? *Servius.*

Legis] Præteris. Sermo est nauticus, ut Ge. II. 43.

—— *Primi lege littoris oram.*

Æn. II. 207.

—— *Pars cætera pontum*

Pone legit:

Et Æn. III. 127.

—— *Et crebris legimus freta concita terris.*

Et vs. 292. *Littoraque Epiri legimus.* Sic *relegere.* Statius Achill. l. I. *Culpatum relegebat iter.* Emmeness.

9 *En erit*] Ecce jam aderit. Nam, *en*, unum optantis est; ut, *en erit ille dies;* aliud confirmantis; ut, *en erit, ut liceat.* Servius.

10 *Sola Sophocleo tua carmina d. c.*] Ac si diceret, Quanquam impar sit ingenium meum laudibus tuis. nam tuæ laudes merentur exprimi Sophocleo tantum cothurno. Sophocles autem Tragœdiographus fuit altisonus. Alii ideo hoc de Pollione dictum volunt, quod et ipse utriusque linguæ Tragœdiarum scriptor fuit. *Cothurnus* autem calceamentum tragicum; cujus usum quidam Sophoclem primum scenæ intulisse volunt. *Idem.*

Sophocleo cothurno] Sublimi charactere, et gravi stylo, qualis conveniens est Tragœdiis. Ovid. Trist. II. 353.

Et dedimus Tragicis scriptum regale cothurnis,
Quæque gravis debet verba cothurnus habet.

Et vs. 393.

Impia nec Tragicos tetigisset Scylla cothurnos.

Phædr. IV. 6.

In cothurnis prodit Æsopus novis.

Et quia eo scribendi genere inclaruerunt Tragicorum principes, Sophocles, et Æschylus, inde crebro *Sophocleus, Æschyleus cothurnus*, pro dictione

magnifica. Vide Balduinum de calceo antiq. p. 155. *Emmenese.*

11 *A te principium: tibi desinet*] Sic et Homerus, ἐν σοι μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι. Horatius, *Prima dicte mihi, summa dicende camœna.* Servius.

Jussis Carmina cœpta tuis] Supra enim dixerat; *Non infusa cano.* Idem.

12 *Atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros*] Allegoricûs dicit. Debet etiam carmen meum florere inter tuos plures triumphos. Nam victores Imperatores, lauro; hedera coronantur Poëtæ. Verecunde autem ait *Serpere*, hoc est humiliter procedere. Alii ideo lauri et hederæ simul mentionem factam accipiunt, quoniam Apollo carminum deus; idem Liber pater putatur. Quidam, sicut dictum est, in Pollionem dictum trahunt; qui tunc Illyricum petebat expugnaturus Salonas, et inde ad orientem ad Antonium profecturus. Lauro autem triumphantes coronantur; hedera Poëtæ: Pollio et Imperator est et Poëta. Cur tamen triumphantes lauro coronentur, hæc ratio est; quoniam apud veteres a laude habuit nomen, nam laudum dicebant: vel quod hanc in manu habuit Juppiter, quando Titanas vicit; vel quod ea arbore Præfecti militum, Fidenatibus victis, se coronassent sub Romulo; vel quod semper vireat. Hedera autem ideo coronantur Poëtæ, quoniam Poëtas sæpe vino plurimo manifestum est uti; sicut et de Ennio ait Horatius; et Lyrici omnes in suis carminibus loquuntur; et hæc herba nimium frigida est, et vini calorem temperat, nam ideo et capiti imponitur. Varro ait, Liberum patrem propter calorem vini, hedera coronatum. Idem Varro etiam Musas ait hedera coronari. *Idem.*

13 *Inter victrices ederam tibi serpere lauros*] Julius, et aliquot alii veteres Grammatici *laurus* loco hoc agnoscunt, quamvis alibi declinatione secunda, *Et vos, o lauri, carpam.* et: *Illum etiam lauri, etiam flevere myricæ.* et: *Munera sunt lauri.* et: *Faciemque simillima lauro*, dictum a Virgilio minime negent. Ablativum tamen singularem, Dativo similem non habere: asserente Plinio, *huic lauro*, et tamen *ab hac lauro*, et *laurum* facere. *Pierius.*

14 *Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra*] Statim, simul atque decesserat. Et bene ostendit amatorem tota nocte vigilasse. Siquidem ortum Luciferum primus aspexit: et ad eum, quippe ut ad Veneris stellam, locutus est. περιφραστικῶς autem *nox* aut *umbra*, pro tenebris posita. *Servius.*

Decesserat] Ita antiqua plurimum legunt exemplaria. Sed in Oblongo codice *discesserat* habetur, magis tamen placet a *decedo* ductum, ut illud: *Et sol decedens.* quanquam ibi quoque varium. *Pierius.*

15 *Cum ros gratissimus*] Masculini est generis, secundum quod etiam in Æneide ait, *Spargit rapida ungula rores Sanguineos.* Servius.

Est] In Longobardico, in Mediceo et aliis antiquis, non habetur *est*; quod quidem hoc loco præteritum, nescio quid gratius habere videtur. *Pierius.*

16 *Incumbens*] Propter amorem non se sustinens. *Servius.*

Tereti] Teres est rotundum et oblongum, ut columna, arbor. Alii *tereti olivæ*, baculum de oliva accipiunt. *Idem.*

Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ] *Cœpit* varie scribitur in exemplaribus antiquis, tam a capio, quam ab incipio. Sed enim Caper in libello de elegantiis, *cœpit* per *æ* diphthongum, ab incipio: *cœpit* vero per *æ* a capio deduci monet. Quam vero differentiam idem inter *Oleam*, *Olivam*, et *Oleum*, ponit, jam hic minus receptam videmus, ubi *Oliva* pro arbore dubio procul posita est. *Pierius.*

17 *Nascere, præque diem*] Quia dixerat, *Frigida vix cœlo noctis decesserat*

umbra, id est, priusquam nox occidit. *Servius.*

Præque diem veniens] Ordo est, nascere Lucifer, præveniensque diem almum age; sic alibi, *Ducebatque diem.* Et hoc dicit, Nascere dum queror, conjugis Nisæ indigno amore deceptus, et moriens alloquor divos: quamquam nihil mihi profuerit, quod sum eos sæpe testatus. Quam rem secundum Epicureos ait, qui dicunt, *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.* Idem.

18 *Conjugis*] Non quæ erat, sed quæ fore sperabatur. Sic in quarto Æneidos, *Quos ego sum toties jam dedignata maritos.* Alii, *indigno deceptus amore*, antique dictum accipiunt: *indigno* pro magno; ut indignas hyemes; vel impari, quia plus amabat, et minus amabatur. *Idem.*

Deceptus] Pro captus. *Amore*, aut in amore, aut ob amorem. *Idem.*

19 *Et divos, quanquam nil testibus illis Profeci*] Sic hoc dicit, tanquam jusjurandum inter eum et Nysam intercesserit. *Idem.*

20 *Extrema moriens tamen alloquor hora*] Id est, paulo post moriturus. Sic in quarto, *Incubuitque thoro, dixitque novissima verba.* Idem.

21 *Incipe Mænalios*] Arcadicos. Nam Mænalus mons est Arcadiæ. Dicitur aut hic versus intercalaris, qui frequenter post aliquantulos interponitur versus: sicut intercalares dies et menses vocantur, qui interponuntur, ut ratio Lunæ Solisque conveniat. Fecit autem hunc versum ad imitationem Theocriti, qui frequenter dicit in Pharmaceutria: ἴυγξ ἕλκε τὸ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα, *O turbo maritum meum domum adducito.* sicut hic in sequentibus, *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.* Idem.

Incipe] *Intercalaris*, sive *Interpositus versus:* de quo Scalig. II. 30. *Taubmann.*

Mea tibia] Mea musa. *Servius.*

Mea tibia] More lyricorum, nunc ipsas Musas, nunc suæ artis instrumenta alloquitur. quæ prosopopœia dulcedinem carmini affert, teste Hermogene. *Taubmann.*

22 *Mænalus*] Ille mons. *Servius.*

Argutumque nemus] Garrulum, stridulum, ut, *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.* Idem.

Argutumque nemus] Sonorum, stridulum, ut Ecl. VII. 1. *Arguta ilice.* et vs. 24. *Arguta fistula.* Nemus voluptatis causa comparatum, et plenum est amœnitatis, ut Valla IV. 56. Quomodo differat a *silva, saltu, luco*, ibidem. *Emmeness.*

Pinosque loquentes] Ideo hoc dicere ausus est, quia dicturus est,

23 *Semper pastorum ille audit amores*] Sic etiam in prima ecloga, *Formosam resonare doces Amaryllida silvas.* Sic et in Æneide, *Dant sonitum rauci per stagna loquentia cygni.* Idem.

24 *Panaque qui primus calamos n. p. i.*] Pan Arcadiæ deus est. ut, *Pan deus Arcadiæ venit*, qui fistula canere primus invenit; quia calamos in usum cantilenæ adducens inertes esse non passus est, id est, otiosos, sine arte: et *Non passus inertes*, deest esse. *Idem.*

26 *Mopso Nisa datur*] Honesta turpissimo, pulchra deformi. *Idem.*

Quid non speremus amantes] *Speremus* pro *timeamus;* ut, *hunc ego si potui tantum sperare dolorem;* vel quid non speremus perversi accidere, cum hoc mihi acciderit? Difficile esse putamus, qui aliquid amamus, ut ea, quæ amamus, assequi possimus. *Idem.*

Speremus] Noster Æn. I. 547.

At sperate Deos, memores fandi, atque nefandi.

Ter. An. II. 3. 21.

Nam quod tu speres, propulsabo facile.

Id est, timeas. *Emmeness.*

27 *Jungentur jam gryphes equis*] Utrum idem jugum subibunt? ut dicuntur jungi jumenta. an coitu jungentur? Gryphes autem genus ferarum in Hyperboreis nascitur

montibus, postrema parte leones sunt, alis et facie aquilis similes, equis vehementer infesti, Apollini consecrati. *Servius.*

Ævoque sequenti] Accessu temporum non solum pulchræ deformibus nubent; sed etiam contrariæ naturæ animalia jungentur. Notandum sane ævum hic pro tempore, ut ipse alibi, *Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.* Salustius, *In quis longissimo ævo plura de bonis falsa in deterius composuit.* Alias ævum pro annis; ut, *vos o quibus integer ævi Sanguis.* Idem.

28 *Cum canibus timidi venient ad pocula dammæ*] Alludit ad personas. Nam Mopsum quasi canem, Nisam quasi dammam vult. Et dammas masculini generis posuit. ut alibi, *Timidi dammæ, cervique fugaces.* Horatius, fœminino ait, *Superjecto pavidæ natarunt Æquore dammæ.* Et hoc ne ὁμοιοτέλευτον faceret, dicendum timidi dammæ. *Idem.*

29 *Mopse novas incide faces*] Quæ solent præire nubentes puellas. Corneæ sane faces, quæ quasi diutissime lucent; quas rapiunt tanquam vitæ præsidia. Namque his qui sunt petiti diutius feruntur vixisse. Varro in Ætiis dicit sponsas faces præire, quod antea non nisi nocte ducebantur ab sponsis. Quas etiam ideo ait limen non tangere, ne a sacrilegio inchoarent; si deposituræ virginitatem, *calcent rem Vestæ*, id est numini castissimo consecratam. *Idem.*

Tibi ducitur uxor] Id est, sub tuo nomine aliis ducitur: ut eam non ipsi, sed aliis servituram significet: scilicet ejus corruptoribus. *Idem.*

30 *Sparge marite nuces*] Idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit, sicut Juno. Nam nuces in tutela sunt Jovis. Unde et juglandes vocantur, quasi, *Joris glandes.* Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut, rapientibus pueris, fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis, possit audiri. Modo tamen ideo dicit, *Sparge marite nuces*, ut eum culparet infamiæ. Nam meritorii pueri, id est, catamiti, quibus licenter utebantur antiqui, recedentes a turpi servitio, nuces spargebant, id est, ludum puritiæ: ut significarent, se puerilia cuncta jam spernere. Dicitur etiam ideo a novo marito nuces spargi debere; quod projectæ in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad reformandam optimum est: vel ideo a pueris aspergendas nuces cum strepitu et convicio flagitari, ne quid nova nupta audiat adversum, quo dies nuptiarum dirimatur. Quidam putant quod hæc esca ad incitandam Venerem faciat. Sane fabula de nucis origine talis est: Dion rex Laconiæ fuit, qui habuit uxorem Inphiteam, Prognai filiam; quæ cum Apollinem summo cultu et reverentia hospitio recepisset, ille remunerari volens circa se hospitum cultum, tribus filiabus eorum, quæ Orphe, Lyco, et Carœa appellatæ sunt, divinationem concessit, adjecto, ne proditrices numinum esse vellent; neve quærerent, quod esset nefas scire. Post Liber Pater adveniens, a Dione, vel ejus uxore receptus hospitio est, qui cum amata a se Carœa coitum miscuit: sed cum inde ægre Liber profectus esset, cogente amoris impatientia denuo ad hospites redit, causam prætendens dedicandi fani, quod ei rex voverat; sed Lyco et Orphe intellecto circa sororem Carœan Liberi amore, eam custodire cœperunt, ne cum Libero ei esset copia coëundi; quas cum Liber pater moneret, terreretque, ut saltem præcepta Apollinis custodientes, pertinacem diligentiam compescerent, videretque ab his et sororem acrius custodiri, et suum secretum studiosius inquiri, Orphen et Lyco immisso furore ad Taygetam montem raptas in saxa convertit. Carœam vero quam ama-

verat, in eodem monte in arborem sui nominis vertit, quæ Latine *nux* dicitur; quod postea Diana ita factum Laconas docuit. Unde templum Carusatidi Dianæ a Laconibus consecratum. *Idem.*

Sparge marite nuces] Lege causam hujus instituti apud Plinium lib. xv. *Pierius.*

Tibi deserit Hesperus Œtam] Œta mons Thessaliæ: in quo Hercules exustus est volens, postquam se exuere non potuit tunica Nessi Centauri cruore tincta; et post in cælum receptus est. De hoc monte stellæ videntur occidere, sicut de Ida nasci: ut, *Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ.* Et hoc dicit, tibi Hesperus deserit: *Tibi*, id est, per te, nox advenit. In eodem monte Hesperus coli dicitur, qui Hymenæum speciosum puerum amasse dicitur; qui Hymenæus fertur in nuptiis Ariadnes, et Liberi patris vocem perdidisse cantando, ex cujus nomine nuptiæ dictæ sunt. *Servius.*

32 *O digno conjuncta viro*] Jam insultat puellæ. Ergo sic pronunciandum, ut habeat contemptum. *Idem.*

Dum despicis omnes] Quoniam ipse despicitur, putat omnes despici. *Idem.*

33 *Mea fistula*] Cantilena. *Idem.*

Dumque capella] Scilicet tibi, dum sunt odio. *Idem.*

34 *Hirsutumque supercilium*] Utrum natura, an quod tibi ita videtur? *Idem.*

Hirsutumque supercilium] Hic locus e Theocriti Cyclope pene ad verbum conversus est:

Γινάσκω χαρίεσσα κόρα τίνος οὖρεα φεύγεις·
Οὖρεά μοι λασία μὲν ὀφρῦς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ.

Ursinus.

Promissaque barba] i. e. demissa. Per incultum corpus ostendit fortitudinem suam. *Servius.*

Promissaque barba] Quamvis *promissa* minime displiceat, quod eo significatu frequenter apud Latinos auctores inveniatur, in antiquis tamen omnibus codicibus, quotquot habui, *prolixa* legitur. *Pierius.*

Promissaque barba] Pro quo Theocr. Idyll. vi. 36. καλὰ γένεια. Hic fortitudinis ergo, ut Ovid. Met. xiii. 150.

Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.

Sed plerumque barbam capillosque promittebant in luctu. Suet. in Calig. c. 24. *barba capilloque promisso.* Interpres est Festus: *promissus capillus, dicitur, longus.* Item: *barba promissa, velut, porro missa.* Emmeness.

35 *Nec curare Deum credis mortalia quenquam*] Superbia tua damnata est turpi marito, dum credis nullum deorum curare mortalia. Quam rem secundum Stoicos dixit. *Servius.*

Nec curare deum credis mortalia quemquam] Quod Epicureorum est dogma. Inter Philosophos Diagoras Melius fuit, qui, quia negabat Deos existere, Atheos dictus. Cic. de nat. Deor. i. 23. Epicurus Deos esse affirmavit, sed *nihil agere, nihil moliri, omni prorsus rerum procuratione, et administratione vacare*, ut Cic. eod. lib. c. 1. et 2. ita Dido Æn. iv. 379.

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Hanc sententiam tangit Juven. sat. xiii. 86.

Sunt in fortunæ qui casibus omnia ponant,
Et nullo credunt mundum rectore moveri.

Emmeness.

37 *Roscida mala*] Matutini roris humore perfusa. Sane unde Melus Græce traxerit nomen, fabula talis est: Melus quidam in Delo insula ortus, relicta patria fugit ad insulam Cyprum, in qua eo tempore Cinyras regnabat, habens filium Adonem: hic Melum sociatum Adoni filio jussit

esse; cumque eum videret esse indolis bonæ, propinquam suam dicatam et ipsam Veneri, quæ Pelia dicebatur, Melo conjunxit: ex quibus nascitur Melus, quem propterea quod Venus Adonis amore teneretur, tanquam amati filium inter aras præcepit nutriri. Sed postquam Adonis apri ictu extinctus est, senex Melus cum dolorem mortis Adonis ferre non posset, laqueo se ad arborem suspendens, vitam finit; ex cujus nomine Melus appellatus est. Pelia autem conjux ejus, in ea arbore se adpendens, necata est. Venus misericordia eorum mortis ducta, Adoni luctum continuum præstitit; Melum in pomum sui nominis vertit; Peliam conjugem ejus in columbam mutavit: Melum autem puerum, qui de Cinyræ genere solus superarat, cum adultum vidisset, collecta manu redire ad Delum præcepit. Qui cum ad insulam pervenisset, et rerum esset ibi potitus, Melon condidit civitatem: et cum primus oves tonderi, et vestem de lanis fieri instituisset, meruit, ut ejus nomine oves μῆλα vocarentur; Græce enim oves μῆλα appellantur. *Servius.*

38 *Dux ego vester eram*] Aut dux vos præibam; aut capellas alloquitur. *Idem.*

Cum matre legentem] Deest pronomen, et ideo vel hujus, vel puellæ matrem intelligere possumus. *Idem.*

39 *Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus*] Id est, *tertius decimus.* Alter enim de duobus dicimus. Et vult significare jam se vicinum fuisse pubertati, quod de duodecimo anno procedere non potest. Bene cum annis jungit habitum corporis. Nam et in jure pubertas ex utroque colligitur. *Idem.*

Alter ab undecimo] Id est, tum natus eram annos duodecim: ut quidem *L. Vivès*, *P. Nannius*, *J. Camerarius*, et *C. Sigonius* pertendunt. Quibus quasi ex transverso accedit magnus *Scaliger*. De Caus. L. L. 1. 28. At vero *Servius*, et *Eugraphius*, vetus Commentator Terentii Andria 1. 1. decimum tertium significari docent: qui vicinus sit pubertati, quo verisimile fieret illum Veneri potuisse servire. His ab antiquo ævo decemviris accedunt novitii duo alii, *P. Manutius* ad Epist. Cic. XII. 25. *Jos. Scaliger*, qui ad illum Manilii, l. 1. versum; *Altera bisenos, ut sit pars tertia signis;* notat: Prisca Latinitas, *Altera tertia*, i. duæ tertiæ. apud Livium: *Altero et vicesimo anno*, i. vicesimo secundo. Virgil. *Alter ab undecimo*, i. tertius decimus. Apud Jurisconsultum: *Alter semissis inter duos fratres dividitur*, i. duo semisses. *Tota diametrus est una tertia peripheriæ: accedat altera tertia*, id est, duæ tertiæ nimirum octo, fient bis sex signa. Idem ad illud l. IV.

—— *Vicesima et altera*,

id est, vicesima secunda. At vero *Jos. Castalio* Observat. Decade III. 1. ambitiosissime pertendit, non decimum tertium, sed duodecimum annum notari: et *alterum* simpliciter positum pro *alio*, sive sequenti et proximo. Ecl. V.

—— *tu nunc eris alter ab illo.*

i. post illum solus, &c. vide ipsum contra omnes vett. et novitios disputantem. *Taubmann.*

Tum me jam ceperat annus] In Longobardico codice *Tum jam me ceperat annus.* In aliquot aliis *acceperat* et *adceperat* habetur. *Pierius.*

40 *Contingere*] In Longobardico *conjungere* habetur, quod a nemine receptum observavi. *Idem.*

41 *Ut vidi, ut perii*] Unum est temporis, aliud qualitatis. Nam hoc dicit, *Mox ut vidi*, quemadmodum vel qualiter perii. vel primum *ut* postquam; duo sequentia pro admirandi significatione posita sunt. *Servius.*

Ut vidi, ut perii] Ad verbum e Theocriti Pharmaceutria: ut Ursinus:

Χ' ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὡς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη.

Et Idyll. III.

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἄλλετ' ἔρωτα.

Ut vidi, legendum censet Nobiliss. Heins. non, *Et*, Ov. Heroid. Ep. XII. 33. *Emmeness.*

Malus error] Definitio amoris. Nam amor errare plerunque compellit. *Servius.*

43 *Nunc scio, quid sit amor*] Vel quasi jam juvenis, vel quasi spretus. Gravior enim amor fit ex despectione, vel ex desperatione. Terentius, *Perii: quanto minus spei est, tanto magis amo.* Idem.

Nunc scio, quid sit amor] Hi quoque versus e Theocrito, Idyll. III. ad verbum conversi sunt:

Νῦν ἔγνων τὸν ἔρωτα, βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας
Μασδὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ μιν ἔτρεφε μάτηρ.

Ursinus.

Nunc] Id est, *sero*. Donat. ad Ter. E. I. 1. 25. *Nunc ego et illam, &c.* Noster Æn. IV. 376.

—— *Nunc augur Apollo,*
Nunc Lyciæ sortes, nunc et Jove missus, &c.

Emmeness.

44 *Ismarus, aut Rhodope*] Montes sunt asperrimi, Ismaros in Epiro, Rhodope in Thracia. Et perite vituperat ab origine. Item a gestis: ut, *Sævus amor docuit.* Nam de exitu circa deum vituperatio non cadit. *Servius.*

Aut Tmaros, aut Rhodope] Sunt politioris hujus elegantiæ viri studiosissimi, qui locum hunc in antiquo codice aliter legi observarint. Quippe *Aut Tmarus, aut Rhodope.* ut duorum montium asperitate, amoris sævitiam probet; et a loci demum longinquitate. dum infert, *Aut extremi Garamantes.* Nam Ismaron, urbem esse, manifestum, de qua sic Harpocration: ἔστι μέντοι καὶ πόλις ἐν Θράκῃ Μαρώνεια, ἣν φασὶν εἶναι τὴν ὑφ' Ὁμήρου Ἴσμαρον καλουμένην. *Tmarus* autem, qui et *Tomarus* Straboni, mons Dodonis est asperrimus, atque sævissimus, non minus quam Rhodope Thraciæ. Vulgatam tamen lectionem, Valerius Probus summæ diligentiæ grammaticus, in institutis agnoscit: et inter ea, quæ apud Latinos quoque *os* brevem finalem syllabam habent, ex eo quoque versu exemplum citat: *Ismaros aut Rhodope, aut extremi Garamantes.* Neque enim quid prohibeat, Ismaron, tam pro monte, quam pro urbe poni: quod si volunt pro urbe tantum accipi, nihil quicquam sententiam immutabit. Ismaron sane Cicones, gens immanis et inhospitalis, Homero damnata, coluerunt: ad quos Ulyxes Ilio digressus, primum appulsus est: a quibus male acceptus, coactus est magna trepidatione socios in naves cogere, et quam maxima potuit festinatione, sese in altum subducere. Unde Virgilius, quum velit immanitatem feritatemque amoris ostendere, illum accolis Ismari inhospitalibus comparat. Qui alibi etiam duas illas locutiones in uno versu ponit:

Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.

Pierius.

Extremi Garamantes] Populi Africæ. *Servius.*

Extremi] Sævi, quasi a consortio humanitatis remoti. ut, *Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.* Idem.

45 *Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt*] Id est, nihil habentem in se humanitatis. Nam non dicit, non mortalem. *Idem.*

Nec generis nostri] Sic in Longobardico, Mediceo, et aliquot aliis codicibus manuscriptis. In quibusdam *nostri generis.* Pierius.

Edunt] Pariunt, ut in septimo, Æn. *Sub luminis edidit oras.* Servius.

47 *Sævus amor docuit natorum sanguine matrem, &c.*] Quasi novam artem insinuavit et infudit, et fabulam, omnibus notam, per transitum tetigit.

Quis enim ignorat Medeam ab Jasone contemptam, suos filios peremisse? *Idem.*

48 *Commaculare*] Polluere. *Idem.*

Crudelis tu quoque mater] Utitur autem optima moderatione. Nam nec totum amori imputat, ne defendat parricidam: nec totum matri, ne amorem eximat culpæ: sed et illam quæ paruit, et illum qui coëgit, incusat. Alii hoc loco cum amore matrem Venerem culpari volunt: eam enim *crudelem*, quia permittit; illum autem *improbum*, qui supra modum noceat; ita ut ad parricidia quoque sui violentia plures impulerit. *Idem.*

50 *Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater*] Non est superflua hæc verborum iteratio. Nam syllogismus est plenus, qui constat ex propositione, assumptione, et conclusione. Multi sic distinguunt, quia et intentio loquentis ab initio sic fuit; ut a sævitia amoris inciperet, in secundo loco accusaret matrem, ita tamen ut criminis ejus invidiam, crudelitati amoris adscriberet, et ideo geminandum ille, *improbus ille puer, crudelis*, et distinguendum ita est, *crudelis tu quoque mater. Crudelis mater magis, an puer improbus;* et distingue et subjunge *tu quoque mater.* Idem.

Improbus] Recte *improbum* appellat, non immanem, dirumve, aut tetrum: apud veteres omne genus scelerum hoc modo condemnari solebat, *improbe factum videri.* Cicero in Verrinis: *Condemnare tot homines uno tempore, defensionem furtorum suorum prætorem improbum ex indignissima morte innocentum quærere, &c.* Nannius.

52 *Nunc et oves ultro fugiat lupus*] Optat omnia fieri contra naturam. *Servius.*

Aurea] Vel speciosa vel matura et aurei coloris; ut scilicet, quia illa pulcherrima turpissimo marito nupsit, quod bene contra naturam videbatur: cum esset ipsa honesta: consequens sit ut sint et alia contra naturam: ut fugiat lupus oves, ut ferant quercus aurea mala, et reliqua quæ dicit. *Idem.*

54 *Pinguia electra*] Id est succinæ gemmæ. *Idem.*

Myricæ] Genus arbusculæ vilissimæ humile, quam tamaricem vulgo dicunt. *Idem.*

55 *Certent et cycnis ululæ*] Aves ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, id est, a fletu, nominatæ. Quas vulgo ulucos vocant. *Idem.*

Sit Tityrus Orpheus] Vilissimus rusticus, *Orpheus* putetur in sylvis; inter delphinas *Arion.* Hic Arion Lesbius citharœdus optimus fuit: qui cum a Periandro rege Corinthiorum petisset, ut sibi liceret peragrare alias civitates; permissu ejus per multa oppida, collectis beneficio cantilenæ opibus, Corinthum petere cœpit; in cujus necem cum nautæ et servuli conjurassent, Apollo eum in somnis monuit, citharœdi habita accepto, canens cithara, ut vitaret insidias, auxilium ei non defuturum promittens; in quem cum conjuratorum manus involasset, petit ab eis Arion, ut sibi cithara canere liceret; quod cum ab illis permissum esset, ad ejus cantilenam convenere delphines. Is ubi somnio fidem factam vidit, in mare se præcipitavit, et exceptus ab uno delphine, ad Tænarum Laconicæ promontorium provectus est; ibique, ad memoriam casuum suorum in templo Apollinis, delphini signo insidentem se cum cithara posuit: exinde Corinthum petit, et universa narravit. In tempore autem hoc etiam navis, in qua navigaverat, cum insidiatoribus supervenit; quos cum Rex de Arione requisisset, illique eum mortuum mentirentur, produci Arionem jussit, ipsos autem cruci adfigi: sed Apollo, tam delphinum, quam citharam ob amorem Arionis, inter sydera collocavit. *Idem.*

56 *Delphinas*] *Nas*, ideo brevis est, quia Græca declinatio est, sicut *Arcadas accensos monitu.* Nam omnia

Græca nomina, quæ nominativo plurali *Es* terminant, ut Arcades, Najades, delphines, accusativum pluralem corripiunt. *Idem.*

58 *Omnia vel medium fiant mare*] Medium fiat, id est, ut nihil sit nisi mare, hoc est diluvium fiat medium: optat enim confusionem elementorum. *Idem.*

Omnia vel medium fiant mare] Talis forma illa apud Aristot. Meteor. l. I. φανερὸν ὅτι τῆς πάσης γῆς οὐκ ἀεὶ τὰ αὐτὰ, τὰ μὲν ἐστι θάλαττα, τὰ δ' ἤπειρος. Hæc autem sunt omnino animum despondentis, et alludentis ad ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ, et ad Leucatem petram, ex quo præcipitio, ob res in amore adversas, vitam abrumpebant misere. *Germanus.*

Vivite silvæ] Valete. non enim bene optantis est, sed renuntiantis. *Serv.*

Vivite silvæ] Χαίρετε, ἔρρετε: valete pastoralia nunquam posthac videnda. Terent. And. IV. 2. *Valeant, qui inter nos dissidium volunt.* V. N. Plaut. Capt. III. 5. Servius Æneid. III. *Vivite* hoc interpretatur, *perite.* Taubmann.

Vivite silvæ] Consule quæ dicta sunt ad Ecl. III. 39. *Longum vale.* Sic Catull. carm. XI.

Pauca nunciate meæ puellæ non bona verba:
Cum suis vivat valeatque mœchis.

Ter. A. V. 3. 18. *Imo habeat: valeat: vivat cum illa.* De ultimis morientium verbis v. Gruther. de Jure man. I. 12. *Emmeness.*

59 *Præceps aërii specula, &c.*] Quidam hoc ideo dictum putant, quod apud Leucaten soliti erant se præcipitare; qui aut suos parentes invenire cupiebant, aut amari ab his desiderabant, quos amabant. *Servius.*

Præceps aërii specula, &c.] Sic et in Ciri vs. 301.

Præceps aëriis specula de montibus esset.

De *specula* Æn. IV. 586. *Emmeness.*

60 *Extremum hoc munus morientis habeto*] Id est, moriar in invidiam tuam. Nam amare ait *Munus.* Sic Mezentius, *Et hæc tibi porto Dona prius:* vel extremum hoc munus meum habeto, quod morior. *Servius.*

62 *Damon*] Deest, dixit, vel cecinit. *Idem.*

63 *Dicite Pierides*] Bene animos erigit auditorum: dicendo, Superiora utcunque dicta sunt; sequentia, non nisi a numinibus poterunt explicari. Sane ita debemus accipere pastores hoc referre, quid aliquando in Arcadia audierint. Unde et superius ait, *Incipe Mœnalios mecum mea tibia versus.* Id est Arcadicos. *Idem.*

Non omnia possumus omnes] Sic Cicero, *Unum sustinere vix pauci possunt: utrumque nemo.* Idem.

64 *Effer aquam*] Hic inducit mulierem sacris quibusdam pervertentem mentem amatoris, a quo spernebatur. *Idem.*

Molli vitta] Lanea scilicet. *Idem.*

Vitta] In Oblongo Vaticano codice *victa* per *ct.* et ita in aliis quibusdam habetur. In aliquot *vitta tt* geminato. hoc quidem ex consuetudine, alterum illud ex analogia. *Pierius.*

65 *Verbenasque*] Verbenæ dicuntur virgulta, quæ semper virent, jocundi odoris. Alii verbenas virgulta religioni apta. Alii proprie olivarum ramos. Nam ideo et pingues ait; quamvis hoc et de palma et de lauro dici possit. Alii rorem marinum dicunt; omnia tamen hæc a viriditate, verbenæ appellantur. *Servius.*

Verbenasque adole pingues] Hæc recte Turnebus XIX. 27. *Nihil aliud significat, quam adole vel frutices, vel virgas et ramos pingues, ut flammam ignemque facile concipiant, quales sunt, pineæ, myrteæ, laureæ, oleaginæ virgæ. nam verbenæ nomen in sacris ita accipiebatur, ut non tantum herbam significaret certam, sed omnem frondem et ramum.* Cui adstipulatur Donatus ad Ter. An. IV. 3. 11. Sic Horatius duo

conjungit verbenas, et thura. od. I. 19.

Verbenas pueri ponite thuraque.

Emmeness.

Adole] Incende, sed κατ' εὐφημισμὸν dicitur; nam adole est auge. *Servius.*

Pingues] Florentes, virentes. *Idem.*

Mascula thura] Quæ in modum testiculorum sunt. *Idem.*

Mascula thura] Thuris masculi fit mentio in Plinio XII. 14. Sed confusius. Masculum est præstantissimum. Dioscor. I. 72. προτεύει λίβανος ἄῤῥην καλούμενος σταγονίας. Rationem si desideras, evolveris Dioscoridem laudatum. Passim etiam thus masculum commendat Galenus X. 2. et 3. *Emmeness.*

66 *Conjugis*] Apud Theocritum non conjugis, sed alieni adulescentuli persona subest, sicut supra dictum est. *Servius.*

Sanos sensus] Qui modo sani sunt, id est, non amantes. Unde e contra amantes, *insanos*, vocamus. *Idem.*

Magicis sacris] Quibus alienantur animi quadam violentia, ab his qui eorum usum habent. *Idem.*

Avertere] A sanitate mutare. aut *avertere* ait, pervertere, ut sit mutata præpositio; aut certe in me convertere. *Idem.*

67 *Experiar*] Coner, probem, incipiam. *Idem.*

Sensus] Hoc est animum, ex quo sensus nostri sunt cerebri. *Idem.*

Nihil hic] Figuratum est hic. *Idem.*

Desunt] Quia absunt. *Idem.*

Nihil hic nisi carmina desunt] Tanquam omnibus quæ imperaverat paratis, carmina sola magica deesse dicit; nam hoc sequitur, *Ducite ab urbe domum mea carmina.* Idem.

68 *Ducite*] Pro adducite. *Idem.*

Daphnin] Hunc Daphnin pulcherrimum inter pastores, et ephebum, et ab omnibus amatum fœminis, sicut supra dictum est, multi scriptores adserunt; cujus mentionem Virgilius peritus antiquitatis, non incassum, ocis plurimis facit. Hunc igitur, cum Nympha Nomia amaret, et ille eam sperneret, et Chymeram potius sequeretur; ab irata Nympha amatrice luminibus orbatus est, deinde in lapidem versus: nam apud Cephalonitanum oppidum, saxum dicitur esse, quod formam hominis ostendat. Alii hunc Daphnin Pipleam amasse dicunt; quam cum a prædonibus raptam Daphnis per totum orbem quæsisset, invenissetque in Phrygia apud Lytiersem regem servientem, qui hac lege in advenas sæviebat, ut cum multas segetes haberet, peregrinos advenientes secum metere faceret, victosque juberet occidi. Sed Hercules miseratus Daphnidis, venit ad regem, et audita conditione certaminis, falcem ad metendum accepit, eaque regi caput amputavit: ita Daphnin a periculo liberavit, et ei Pipleam, quam alii Italiam dicunt, reddidit; quibus dotis nomine aulam quoque regiam condonavit, ferali sopito metendi carmine. *Idem.*

69 *Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam*] Vel, id est, etiam: ut, *Vel Priamo miseranda manus.* Est autem argumentum a majore ad minus. Si hæc possunt facere carmina: cur non etiam facilia impleantur? quid enim facilius, quam ut Daphnis ex urbe rus redeat, ut civitatem deserat rusticus? Et bene potentiam carminum narrat, quæ pro ea vel fieri possint, vel facta sint. *Idem.*

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam] In antiquis aliquot exemplaribus legere est: *Carmina et e cœlo possunt deducere Lunam.* Pierius.

Carmina] Pro incantationibus, quas Quint. VII. 3. *Carmina magorum* appellat. Ovid. epist. Heroid. VI. 83.

Nec facie, meritisve placet, sed carmine movit:
Diraque cantata pabula falce metit.

Emmeness.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam] Miros effectus veteres præbuerunt magicis carminibus. Lunam devocari, quid notius? Ovid. Heroid. ep. VI. 85. de Medea:

Illa reluctantem curru deducere Lunam
Nititur.

Sic Petron. ubi gloriatur venefica, et inter alia, hæc superbe satis pronuntiat:

Quid leviora loquor? Lunæ descendit imago,
Carminibus deducta meis.

Ovid. Met. VII. 207.

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesæa labores
Æra tuos minuant.

Et alio in loco: *In hac civitate, in qua mulieres Lunam deducunt.* Sed Delrius exemplorum congeriem habet, l. II. Disquis. magic. quæst. 9. Qui quæst. 10. et 11. refutat hanc magorum potestatem in orbes cœlestes, sidera, elementa, &c. *Vel cœlo*, id est, etiam de cœlo, quemadmodum Nonius Marcellus c. 12. Nonnulla etiam invenies exempla Ecl. III. 50. *Emmen.*

70 *Carminibus Circe socios mutavit Ulixi*] Hanc fabulam Ovid. Met. XIV. 280. et seqq. prodit memoriæ. Ad hanc alludit Petron.

—— *Phœbeïa Circe*
Carminibus magicis socios mutavit Ulixi.

Quomodo exuerint setosa membra, canit Horat. Epod. XVII. *Emmeness.*

71 *Frigidus*] Nocens: ut, *Frigida Saturni sese quo stella receptet.* Servius.

Cantando] Dum ei incantatur. Nam gerundivus modus ab omni verbo similiter procreatur. Unde modo *Cantando* a passivo ait, cum supra activo dixerit: ut, *Cantando tu illum?* Tale est illud in Sallustio: *Cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur.* Id est, ei imperaretur. Sane veteres *cantare* de magico carmine dicebant: unde et *excantare*, est magicis carminibus obligare: Plautus in Bacchidibus, *Nam tu quidem cuivis excantare cor facile potes.* Idem.

73 *Terna*] Tria. *Idem.*

Terna] Notanda est veterum superstitio, existimantium, Deos gaudere numero impare. Censorinus c. 20. Solinus c. 1. ad quem locum vide Salmas. et Apul. Met. l. XI. et Serv. ad vs. 75. hujus Ecl. Numero autem ternario, in rebus divinis, imo in carminibus et incantationibus, utebantur. Theoc. Idyll. II. 43. Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε ποτνία φωνῶ. Petron. *Hoc peracto carmine, ter me jussit exspuere, terque lapillos conjicere in sinum, quos ipsa præcantatos purpura involverat.* Emmeness.

74 *Licia circumdo*] Id est, tria alba, tria rosea, et tria nigra circumdo; et bene utitur liciis, quæ ita stamen implicant, ut hæc adulescentis mentem implicare contendit. *Servius.*

Licia] Synesius συνδέσμους appellat. Ut licia implicant stamen, sic vincula, certis verbis incantata, (quæ Plinius narrat XXVIII. 4.) et ex diversis coloribus confecta, mentem hominum devinctam constrictamque tenent, juxta sententiam magicorum doctorum. Petron. *Illa de sinu licium protulit, varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam.* Sic noster vs. 77. hujus Ecl. et in Ciri vs. 370.

Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila: ter in gremium mecum, inquit despue, virgo.
Despue ter, virgo: numero Deus impare gaudet.

Emmeness.

Terque hæc altaria circum] In codice Longobardico legitur *hanc*, ut jungatur cum eo, *effigiem duco.* Sed enim *hæc* melius. *Pierius.*

75 *Effigiem duco*] Ut, *Effigiemque thoro locat, haud ignara futuri.* Hoc faciunt malefici, hoc est, effigiem amatoris circumferunt; unam ex limo; aliam ex luto; tertiam ex cera. *Servius.*

Numero Deus impare gaudet] Aut quemcumque superorum, juxta Pythagoreos; qui ternarium numerum perfectum summo Deo assignant, a quo initium, et medium, et finis est: aut revera Hecaten dicit, cujus triplex potestas esse perhibetur: unde

est, *Tria virginis ora Dianæ.* Quamvis omnium prope deorum potestas triplici signo ostendatur; ut Jovis trifidum fulmen; Neptuni tridens; Plutonis canis triceps. Apollo, idem Sol, idem Liber. vel quod omnia ternario numero continentur, ut Parcæ, Furiæ, Hercules etiam trinoctio conceptus. Musæ ternæ: aut impari quemadmodumque: nam septem chordæ, septem planetæ, septem dies nominibus deorum, septem stellæ in Septentrione, et multa his similia: et impar numerus immortalis, quia dividi integer non potest; par numerus mortalis, quia dividi potest; licet Varro dicat Pythagoreos putare imparem numerum habere finem, parem esse infinitum; ideo medendi causa multarumque rerum impares numeros servari. *Idem.*

Impare] Propter metrum ait; nam, ab hoc impari, dicimus. *Idem.*

77 *Necte*] Conjunge, ut ita implicetur mens amatoris, sicut implicantur et connectuntur illi colores invicem. *Idem.*

Tribus nodis] Ternos lanæ colores. *Idem.*

Amarylli] Hæc Amaryllis ei est quam Græci σάμμωνιν dicunt. *Idem.*

Veneris, dic, vincula necto] Anapæsticus est trimeter hypercatalecticus. Hoc autem metrum est Cupidini consecratum. *Idem.*

Necte, Amarylli, modo: et, Veneris, dic, vincula necto] Cuperem ego maxime vetus exemplar, unde plerique *nodos* pro *modo* legendum persuaderent. Nam in his antiquissimis codicibus, quotquot præ manibus mihi fuere, *modo* passim scriptum animadverti: quanquam hujus generis figuratos versus alibi etiam apud Virgilium observavi. Quod vero Servium ajunt dicere, versum esse Anapæsticum, trimetrum hypercatalecticum, metrum Cupidini consecratum, non intellexerunt eum de tome loqui, *Veneris, dic, vincula necto.* quibus tantum verbis id metri genus constat, quod Servius adnotavit; quod si nodos illos huc adnectas, supra etiam tetrametrum, versus exporrigetur: neque Anapæsticus erit. *Pierius.*

Necte, Amarylli, nodos, &c. Necte Amarylli modo, &c.] Numerare veterum mos fuit in veneficiis, nodos, vincula, et necessitates, ut Turneb. XIX. 22. *Emmeness.*

80 *Limus ut hic durescit*] Se de limo facit, Daphnidem de cera. Fecerat illa duas imagines; alteram ex limo, qui ex igne fit durior: alteram ex cera, quæ igne solvitur: ut videlicet mens amatoris ita duresceret ad illam, quam tunc amabat: omnesque alias, sicut ad ignem limus: et ad se ita molliretur et solveretur amore, ut cera ad ignem liquescit. *Servius.*

81 *Sic nostro Daphnis amore*] Durescat et liquescat: ut scilicet quam appetit deserens, me potius amet. *Id.*

82 *Sparge molam*] Far et salem. Hoc nomen de sacris tractum est; far enim pium, id est, mola casta, salsa (utrumque enim idem significat). ita fit: virgines Vestales tres maximæ ex nonis Majis ad pridie Idus Majas, alternis diebus spicas adoreas in cornibus messuariis [l. corbibus messoriis] ponunt; easque spicas ipsæ virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt; Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adjecto sale cocto, et sale duro. Igitur quod in sacris mola casta dicitur, ideo Virgilius in quinto Æneidis *farre pio* enuntiavit: quid enim est pium? nisi castum, quoniam piare est propitiare, quod accidere non potest nisi caste inservitum erit rebus sacris. Hic autem dicendo *asperge molam*, rem ipsam proprio nomine memoravit, unde in secundo Æneidis, *et salsæ fruges*, et in quarto, *ipsam molam.* Idem.

Sparge molam] Homerus Iliad. A.

458. προβάλλειν οὐλοχύτας projicere salsas fruges, ubi Eustath. Rom. edit. p. 132. οἱ οὐλοχύται, οὐλαὶ ἦσαν· τοῦτ-εστι κριθαὶ μεθ' ἁλῶν, ἃς ἐτέχεον τοῖς βωμοῖς πρὸ τῆς ἱερουργίας, vel, ut Suidas: τοῖς θύμασιν ἐπέβαλον. Idcirco τοῖς προθύμασιν annumeratur, de quibus Sanbertus de sacrif. c. 18. Οὐλαι vel οὖλαι inde, quia hordeo integro apud veteres Græcos hostiæ conspargebantur, non freso, molendi usu necdum reperto, quod proprie Latine *immolare*, post autem molito farre usi sunt, ut Servius. Bene ergo Festus: *mola vocatur far tostum, et sale sparsum, quod, eo molito, hostia adspergatur.* Et quia sale sparsum erat far, ideo, salsæ fruges, salsa mola, quasi salsa molitura, ut Turneb. XVII. 13. non nunquam mola, *far pium* appellatur, sed hoc vetus interpres, et satis περὶ τῆς κριθῆς πεφρυγμένης ut far tostum a Critico antiquo nominatur, testis est Turneb. XIX. 27. Quid *cornibus messuariis* apud Servium? legendum conjicio *corbibus messoriis.* *Emmeness.*

Incende bitumine lauros] Id est, lauros divino igne consume. Nam bitumen ex fulmine dicitur procreari. Unde juxta Babyloniam, quia frequentia cadunt fulmina, hac re lacus redundant: adeo ut inde fabricent muros. Et bene quod conglutinat et ardet, ad veneficium adsumitur; ut glutinetur et ardeat ad amorem maritus. *Serv.*

Et fragilis incende bitumine lauros] In Oblongo codice perveteri, non *lauros*, sed *ramos* legitur. Longe magis tamen placet *lauros* e Theocrito: πᾷ μοι ταὶ Δάφναι. et inferius δέλφις ἐμὸν ἀνίαγεν, ἐγὼ δ' ἐπὶ δέλφιδι δάφναν Αἴθω. quod ita Poëta noster transtulit: *Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.* Pierius.

Fragilis lauros] Ita vocatas hic Turneb. credit, XIX. 27. quod inter urendum fragorem, et crepitum edant. Lucret. *Et fragiles sonitus chartarum commeditatur.* Et nulla æque magno sonitu res crematur, ac laurus. Si quis tamen (inquit) *fragiles* exponat, quæ facile franguntur, vel ob siccitatem vel gracilitatem; credam illi potius, quam vapulem. Theocritus *Laurum incensam gemere* dixit: quasi illa amantium suspiria in flammis imitetur. *Taubmannus.*

83 *In Daphnide laurum*] Aut Archaïsmos est, pro in Daphniden: aut intelligamus supra Daphnidis effigiem eam laurum incendere, propter similitudinem nominis. *Servius.*

In Daphnide] Sic Ovid. Met. l. VII.

—— *Quid in hospite regia virgo*
Ureris?

Id est, quid succensa es ejus amore? uterque de industria affectavit locutionem Theocriti: ἐγὼ δ' ἐπὶ δέλφιδι δάφναν Αἴθω. quod equidem observatione dignum putavi. Hæc XIX. 27. *Turnebus.*

86 *Bucula*] Bovis est diminutio. Sane *Bos* anomalum nomen est. Nam hic bos, et o bos producit: sicut his bubus, et ab his bubus. Nam reliqui omnes casus brevem habent syllabam primam. *Servius.*

87 *Propter*] Juxta. *Idem.*

Propter aquæ rivum] Sic Ge. III. 13.

Et viridi in campo templum de marmore ponam

Propter aquam.

Ter. Ad. II. 1. 15. *Hic propter hunc adsiste.* Sic E. II. 3. 76. *Interdum propter dormiet.* Phædr. II. 6. *Propter volans.* Emmeness.

Viridi procumbit in ulva] In Longobardico legere est *in ulva*, sed *herba* usitatius. *Pierius.*

88 *Perdita*] Amore consumta. *Servius.*

Perdita] Amore confecta. ἐμφατικῶς Catullus de Ariadna:

—— *toto pectore, Theseu,*
Toto animo, tota prodebat perdita mente.

Taubm.

Seræ meminit decedere nocti] Id est,

tenebræ illam occupant. *Servius.*

Decedere nocti] Sanctius p. 315. *locum* subaudiri vult, ut, *cede majori, concede præceptori, decede calori.* Pulcra illic invenias. *Emmeness.*

89 *Nec sit mihi cura mederi*] Aut nolim ei magicis artibus subvenire: aut nolim cum ipso concumbere. ab utroque enim medicina amantibus venit, et mederi pro medendi. *Servius.*

91 *Perfidus*] Nunc scilicet perfidus. *Idem.*

92 *Pignora chara sui*] Proprie *sui*, non *sua:* nam sua pignora sunt, quæ quis de rebus suis dedit: sui pignora, quibus ipsemet pignori est. Officina autem magica efficacissime instruitur, si quid de corpore ejus habeant, in quem veneficium parant, quales sunt capilli: ut videre licet apud Apulejum de Asino aureo. proxima autem vis est in vestibus. *Nannius.*

Limine in ipso] In loco sacro, sicut supra diximus, Vestæ. Nam Terra ipsa dicitur, quæ et Vesta. Veneficium autem ita administratur, ut in limine ponantur ejus exuviæ, cui veneficium fit. *Servius.*

Quæ nunc ego limine in ipso, Terra, tibi mando] Hoc accipiendum esse arbitror de vestibus Daphnidis, quas venefica terræ se sub limine infodere ad Daphnim pelliciendum dicit: atque ego putarim significari limen ipsius Daphnidis, cum et id veneficium postulet: quid enim in alio limine exuviæ defossæ adversus Daphnin possent? et Theocritus, cujus imitatorem Maro profitetur, idem scribit, de floribus tamen, non de vestibus, ut quidam censent, τὸ τὰ θρόνα ταῦθ' ὑπόμαξον Τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον. Ego tamen Maronem sequor, et θρόνα vestes pictas Cycropiorum ligna esse censeo. Hæc XIX. 27. *Turnebus.*

95 *Ponto*] In Ponto, et modo provinciam dicit hoc nomine; non mare. *Servius.*

Mihi lecta] Ordo est, mihi dedit; non, mihi lecta. *Idem.*

96 *Nascuntur plurima Ponto*] Sic Ge. I. 58. *Virosaque Pontus Castorea.* Horat. Epod. V.

Herbasque, quas et Iolchos atque Iberia
Mittit venenorum ferax.

Et Epod. XVII.

Cales venenis officina Colchicis.

Emmeness.

97 *His ego sæpe lupum fieri*] Est enim opinio quosdam homines, artibus quibusdam in lupos mutari. *Servius.*

Lupum fieri] De fabula luporum in homines conversorum, Plin. VIII. 22. Lycanthropia vero est morbus melancholicus, quo qui afficiuntur λυκάνθρωποι dicuntur: lupos enim imitantur, in quos se conversos putant: noctu exilientes, et ad diem usque inter sepulchra diversantes: eorum præpallet facies, sitibundi, &c. XIV. 45. *Rhodigin.*

Silvis] Pro in silvis. *Servius.*

98 *Animas imis exire sepulchris*] Ovid. Met. VII. 205.

—— *Jubeoque tremiscere montes,*
Et mugire solum, maneoque exire sepulchris.

De magicis artibus sic Horat. Epod. XVII.

An quæ movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possum meis:
Possum crematos excitare mortuos.

De hac ψυχαγωγίᾳ prolixius l. VI. Lucanus. *Emmeness.*

99 *Atque satas alio vidi traducere messis*] Magicis quibusdam artibus hoc fiebat. Unde est in XII. tabulis, *Neve alienam segetem pellexeris.* quod et Varro, et multi scriptores fieri deprehensum animadvertunt. *Servius.*

Atque satas alio vidi traducere messis] Explodendam, tanquam falsissimam, opinionem, de frugibus transportandis, monet Senec. nat. quæst. IV. 7. ubi mentio legis antiquæ ex XII. tabulis, qua cavetur, *ne quis alienos fru-*

tus exarsisset. Cujus legis etiam meminit Plinius XXVIII. 2. Qui passim commenta magicorum, et eorum vanitates arguit et detegit, ut XXX. 1. de se ipse testatur, et XVIII. 6. commemorat C. Furii Cresini diligentiam in colendo agro, cujus veras artes commendat, quibus fruges alienas in nostros agros pellicimus, nempe laborem impigrum, &c. *Emmeness.*

101 *Fer cineres, Amarylli foras: rivoque fluenti, &c.*] Veteres februa, et purgamenta in profluentem, vel in mare, vel in trivia, mittebant, expiatori noxam, et ea *καθάρματα* aversi, trans caput abjiciebant, quo negotio dum occupati erant, non licebat respicere. Turneb. XIX. 22. et XVIII. 4. Hom. Il. A. 314.

—— *εἰς ἅλα λύματ' ἐβαλλον.*

Theocr. Idyll. XXIV. 91.

Ἦμι δὲ, συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τις,
Ῥιφάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα,
Ῥιγήσας ἐς πέτρας, ὑπὲρ οὔριον. ἀψ δὲ νέεσθαι
Ἄστρεπτος.

Val. Flaccus l. III.

——*Lustramina Ponto*
Pone jacit.

Ovid. Fast. VI. 227.

Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
Detulerit flavis in mare Tibris aquis.

Aquis putabant inesse vim aliquam, qua crimen admissum expiari poterat, juxta Cic. pro Rosc. Amer. ubi sic de parricidis c. 26. *Non sic mudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo ceteri, quæ violata sunt, expiari putantur.* De purgamentis in trivia projectis, Harpocration in voce ἀχνύθημα. *Idem.*

102 *Ne respexeris*] Nolunt enim se videri numina, nisi ex necessitate nimia. Unde pro miraculo dictum est, *Alma parens, confessa deum.* quod non faceret, nisi in periculo filii. *Serv.*

Ne respexeris] In Oblongo codice Vaticano *nec* habetur. *Pierius.*

103 *Nihil ille deos, nil carmina curat*] Satis est, quod putat artem magicam nil valere. Quidam sic intelligunt, quamvis ille hæc omnia contemnat. *Servius.*

105 *Aspice*] Hoc ab alia dici debet. *Idem.*

Corripuit tremulis altaria] *Tremulis*, crispantibus: altaria autem dicuntur, et quæ continent et quæ continentur ab eis, nunc vero, ipsa, quæ ponuntur, *Idem.*

106 *Sponte sua*] Sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: cum peracto sacrificio libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit; quæ flamma eodem anno Consulem futurum ostendit ejus maritum, sicut Cicero in suo testatur Poëmate. *Idem.*

Bonum sit] Ideo optat, ut hoc signum bonum sit: quia ignis medius est, et qui possit etiam nocere. *Idem.*

Bonum sit] Ampliorem reddit hanc formulam Cicero de divinat. I. 45. *Majores nostri omnibus rebus agendis,* QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVMQVE ESSET, *præfabantur.* Idem docet Turneb. XIX. 27. plura Brisson. de form. l. I. *Emmeness.*

107 *Nescio quid certe est*] Hoc non jungendum superiori, est enim aliud prodigium. *Servius.*

Hylax] Ovid.

——*et acutæ vocis Hylactor.*

Quibus nomen a *latrando* ductum. *Taubmann.*

In limine latrat] In loco ubi amati vestes obruerat; canis enim latratus præ gaudio, domini demonstrat adventum. *Servius.*

In limine latrat] Ubi amati vestes obruerat. Veteres autemcanes ad ostium alligabant: qui *Canes ostiarii* dicebantur: JCtis *Vincti*, Græcis δέσμιοι, οἰκουροί. Vide Chr. Colerum Parerg. c. 16. *Latrat* autem hic *canis*,

vel quia spectrum videt, vel quia sentit de proximo venientem Daphnidem. Canes suo latratu spectra abigere, et proinde Hecatæ immolari, Lycophron auctor est. Apud Medeam Senecæ, ipsa Hecate latrat; quod indicium est, preces esse exauditas. Unde Nannius colligit, *latratum*, et *flammæ emicationem*, pertinere hic ad spem litationis. atque ideo puellam, quasi jam voti compotem, omittere incantationem, dum exclamat, *Parcite*, &c. Taubmann.

108 *Ipsi sibi somnia fingunt*] Omnia, quæ supra dixerat de arte magica, destruit dicendo, hæc vera desiderantibus tantum videri: quod per proverbium est locutus. *Serv.*

An, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt] Sane qui suis votis blandiuntur, Græcis dicuntur ἑαυτοῖς ὀνειροπολεῖν, et *sua sibi conjectari somnia*: quod omnia in alimentum spei suæ rapiant. P. Syrus:

Amans quod suspicatur vigilans, somniat.

Cæterum Gul. Canterus, Nov. Lect. L. 8. e cod. MS. legit, *ipsi sibi omina fingunt?* idque acerrime propugnat J. Palmer. Spicil. fol. 5. Vide Notas Æn. VIII. 78. Mihi tamen vulgatum, *somnia*, germanum videtur, et recte ab Lælio Bisciola, Horar. Subcesivarum II. 7. defendi. *Taubm.*

109 *Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina Daphnis*] In Oblongo Vaticano, transpositæ dictiones *jam carmina parcite*: quod tantundem est. Sed structura illa suavior. *Parcite, ab Urbe venit, jam parcite.* In Mediceo per verbi reticentiam legere est, *Parcite ab urbe domum, jam parcite carmina Daphnis.* Pierius.

Parcite] Non, *desine*, dixit: quia, qui *desinit*, finem facit, qui *parcit*, suspendit id quod agebat. *J. Philargyrius.*

ECLOGA IX.

1 *Quo te, Mœri, pedes? An, quo via ducit, in urbem*] Hæc Ecloga dramatico charactere scripta est. Inducuntur enim duo pastores coëuntes in agro Mantuano: et hæc Ecloga continuum, ut Servius dicit, non habet carmen, sed de diversis locis Theocriti aliqua ad eam contulit. Sane hoc continet; Virgilius postquam pene occisus est ab Ario centurione, Romam revertens, mandavit procuratoribus suis ut agros suos tuerentur, et ad præsens obsequerentur Ario. Ergo modo Mœris procurator ejus, secundum præceptum patroni, portat hœdos Mantuam: quos Ario offerat. Sequitur alter pastor, et eum, quo pergat, interrogat: ille deflet suas miserias; et hinc jam varia præstatur occasio cantilenæ. *Serv.*

Quo te, Mœri, pedes] Subaudis, ducunt, et zeugma a posterioribus. Quidam hunc ordinem tradunt, *Quo te, Mœri, pedes? an in urbem? quo ista via ducit.* Sane alii ordinem hujus Eclogæ ita exponunt; cum immunitatem agrorum Virgilius impetrasset, lis est exorta de finibus inter eum et eos qui in proximo agros acceperant; ex quibus Clodius quidam dixit, se

omnem litem amputaturum, interfecto Virgilio; quem Poëta stricto gladio se insequentem fugit in tabernam carbonariam, et beneficio institoris ex alia parte emissus, servatus est. Inducitur ergo Mœris familiaris Virgilii, referens Lycidæ periculum suum, et Menalcæ; quem nunc pro Virgilio debemus accipere. *Idem.*

Quo te, Mœri, pedes] Theocritum imitatus est Maro Idyll. VII. 21. *πᾷ δὴ τὸ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις*; et Idyll. XIII. 70. *ὁ δ' ᾗ πόδες ἄγον ἐχώρει.* et Idyll. XIV. 42. *ᾗ πόδες ἄγον.* Etiam aliis Poëtis Græcis in usu, Apollonius l. I. 1264.

—— *ἐς δὲ κέλευθον*
Τὴν θέεν, ᾗ πόδες αὐτὸν ὑπέκφερον ἀσσοντα.

Hom. Il. Ξ. 148.

Τὴν μὲν ἔπ' οὐλυμπόνδε πόδες φέρον.

Ad quem si interpretem adhibeas P. Victorium l. XXXVI. c. 8. cognosces, non tam esse rusticam locutionem, quam festinationis indicandæ causa usurpatam. Sic pedes dicuntur ferre aliquem in locum. Horat. Epod. XVI. 21.

Ire pedes quocunque ferunt.

Pro eo Od. III. 11.

I pedes quo te rapiunt.

pro eo Noster vs. 22.

Cum te ad delicias ferres Amaryllida nostras?

Emmeness.

An, quo via ducit, in urbem?] Sic Val. Flacc. l. IV.

Et via jussos Qua ferat.

Sic Noster Æn. IX.

Et quæ via clausos
Excutiat Teucros.

pro quo nonnulli *qua.* Emmeness.

Urbem] Mantuam: neglectis Grammaticis, quibus *Roma* tantum *Urbs* dicitur. *Taubmann.*

2 *Vivi pervenimus*] Id est, diu vivendo ad ista pervenimus. Et ostendit plerumque obesse hominibus vitæ longinquitatem, quæ interdum caussa miseriarum est. Sensus autem talis est, Usque eo nos vita longa produxit; ut audiremus dicentem: Migrate, hæc mea sunt. Interpositum sane est, Quod numquam veriti sumus. *Servius.*

Advena nostri] Qui advenerit in nostros agros, et aut Clodium, aut Arium significat. *Idem.*

3 *Quod nunquam veriti sumus*] Quia inopinata graviora sunt mala. Unde ait Dido, *Hanc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero.* Idem.

4 *Hæc mea sunt*] Alludit ad solemnem Vindicationis morem: de quo vide Not. Æneid. X. 419. *Injecere manum Parcæ.* Plaut. Rud. IV. 3. *Hunc meum esse dico.* Ita qui servum vindicabat, injecta manu dicebat, HIC MEUS EST. Ovid. Am. I. 4. *Et dicam, MEA sunt; injiciamque manus.* Consule Brisson. Formul. lib. V. *Taubmann.*

5 *Nunc victi*] Id est, impotes. Nam quo modo victores dicimus voti compotes, qui quod volunt faciunt: sic victos e contrario vocamus impotes, qui non possunt facere quod volunt. Cæterum quomodo victi sunt Mantuani, qui nec bella gesserunt? Et *Tristes* ideo, quia dixit, *Nunc victi, sors omnia versat.* Id est, quæ instabilis est, et nisi hoc ad personam rusticam redigas, aspere contra Augustum dictum est: cujus fœlicitatem, sicut omnia, dicit posse mutari. *Serv.*

Quoniam Fors omnia versat] In antiquis aliquot codicibus *Sors* legitur, quod omnino tantundem est. *Pierius.*

6 *Illi*] Id est, Ario centurioni, *Servius.*

Illi] Id est, Ario centurioni, ut vult Servius: vel Molieno tyroni primipilo, ut Probus: vel Claudio veterano militi, ut Donatus. *Nannius.*

Quod nec bene vertat] Quæ res in perniciem vertatur ejus; id est, malo omine hoc munus accipiat. Tractum autem hoc est ab Hectore et Ajace. Nam Hector dedit Ajaci gladium,

quo se Ajax postea interemit. Hector vero baltheum accepit ab Ajace: quo circa muros patriæ tractus est. Postea inde et illud comicum natum est, *Dii bene vortant, quod agas.* Plerunque enim bona in pejus; mala mutantur in melius. *Servius.*

Quod nec bene vertat] In Oblongo codice numerus hic Jambicus hemistichius est, *quod nec vertat bene.* Pier.

Quod nec bene vertat] Nihil notius quam imprecationis formula: *res tibi vertat male.* Huic opponitur *vertat bene, recte.* De utraque formula Brisson. l. I. *Emmeness.*

7 *Subducere clivo*] Cicero, *Ex alto in campos dissolvi.* Alii sursum ducere intelligunt. Alii medium clivum accipiunt; ex quo superior pars subducitur in collem surgentem, inferior in subjectam planiciem molliter deponatur: usque ad eum autem locum perticam militarem Octavius Musca porrexerat, limitator ab Augusto datus, id est, per quindecim millia passuum agri Mantuani; cum Cremonensis non sufficeret; offensus a Mantuanis, quod pecora ejus in agro publico aliquando clausissent. Alii *subducere*, pro, desinere, accipiant; nam permansit dicendo dimittere jugum, quasi hoc colles faciant, quod illis accidit per naturam. Alii agrum suum volunt descripsisse Virgilium, ut ostenderet ex utraque parte esse clivosum; ut cum ab una parte ad cacumen ascenderis, ab alia usque ad aquam descendas. Et quidam tales agros lapidosos dicunt, sicut ipse de suo ait, *Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus.* Servius.

Subducere colles I., m. j. d. c.] Colles sese subducunt, quando sine molestia paullatim, et sensim descenditur ex montis fastigio ad planitiem. Pro eo Amm. Marcellinus l. XXII. *Latus ejus austrinum molli devexitate subductum.* Id est, non habens præcipitem, abruptum descensum, sed *devexitatem facilem, et mollem,* ut Idem l. XXVII. *Emmeness.*

8 *Mollique jugum demittere clivo.*] In antiquis aliquot codicibus *dimittere.* Sed hoc ex vicissitudinaria illa mutatione, qua *i* in *e*, et *e* in *i* passim abire videmus. Nam hoc loco sententia poscit ut *demittere* legatur, per *e.* Pierius.

9 *Usque ad aquam*] Mincii fluminis scilicet. *Servius.*

Usque ad aquam et veteris jam fracta cacumina fagi] Citatur a Quintiliano versus, apud quem non uno in codice scriptum animadverti, *veteris anfracta cacumina fagi.* Sed minime displicet *veteris jam,* aut *jam fracta,* utrique ea particula adcommodari potest. *Pier.*

Usque ad aquam et veteris jam fracta cacumina fagi] De fluminibus regionum fines signantibus Ecl. I. 63. Hic Maro noster de arbore, et quidem notata, terminante agros. Quod moris fuisse apud veteres ex antiquis auctoribus est liquidum, qui de re agraria scripta memoriæ prodiderunt. Siculus Flaccus de condit. agr. *Hi tamen finiuntur terminis, et arboribus notatis, et superciliis, et vepribus, et viis, et rivis, et fossis.* Arbores eas post nominat *finales,* quas Paulus J. Consultus l. v. sententiarum c. 24. *terminales.* Aggenus Urbicus de lim. agr. *Fines vero his signis inter se dividebant, fossis manufactis, arboribus antemissis, fluminum intervenientium cursu, jugis quoque montium, superciliis, nec non itineribus, vel divergiis aquæ, quæ aut loci natura aut solers procuravit antiquitas.* Nec ab hac abit sententia sub calcem sui libelli Simplicius, nec alius quis ex prisca agrimensorum natione, quo emaculatos excudi jussit, et curis suis luculentissimis elucidatos et ornatos voluit vir et nobilissimus et amplissimus W. Goesius Curiæ Hollandicæ Senator consultissimus. Turnebus VI. 15. in dubium vocat locum Horatii, qui exstat Ep. II. 2. 170.

Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit jugera.

Sed scrupulum discutit Torrentius. *Emmeness.*

10 *Omnia*] Quæ supra dixit. Intelligamus autem, aut Virgilii tantum agrum: aut totius Mantuæ situm esse descriptum. Quod alii dicunt Virgilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alpheni Vari, qui agros divisit, præter palustria nihil relictum sit; sicut ex oratione Cornelii in Alphenum ostenditur, *Cum jussus tria millia passus a muro in diversa relinquere, ut octingentos passus aquæ, quæ circundata est, admetireris, reliquistis.* Servius.

Servasse] Recuperasse. *Idem.*

Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam] Id est vestrum Virgilium, cujus causa agri Mantuanis redditi sunt. *Idem.*

Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan] Ut dictum superius *Menalcan* per *n* in veteribus codicibus habetur. Hic vero, est allegoria sine translatione, ut Quintilianus ait Instit. l. VIII. Omnia enim propriis decisa sunt verbis, præter nomen. Non enim pastor Menalcas est, sed Virgilius. *Pierius.*

11 *Audieras; et fama fuit*] Benevolentiam quidem Augusti etiam fama vulgavit: sed eam belli Actiaci necessitas impedivit. *Servius.*

Sed carmina tantum Nostra valent, Lycida, tela inter Martia] Hoc etiam Cicero ait in Miloniana, *Silent enim leges inter arma.* Sensus tamen est, Sed videlicet hoc tempore, id est, in hoc bello, Poëmata nostra non valde admittuntur. *Carmina* autem nonnulli, quibus sibi Pollionem intercessorem apud Augustum conciliaverat, accipiunt; quo fugato, rursus de prædiis suis fuerat Virgilius expulsus. *Idem.*

Carmina tantum valent tela inter Martia] Hoc tritum exponit dictum: *Inter arma silent leges.* Et huc illud Pompeji, cujus in ejus vita meminit Plutarchus. Detrectantibus enim Mamertinis et Messanensibus Pompeji tribunal, et legem ab ipsis Romanis latam prætexentibus, tale datum est a Pompejo responsum: Οὐ παύσεσθε (εἶπεν) ἡμῖν ὑπεζωσμένοις ξίφη, νόμους ἀναγινώσκοντες: *Non desinetis (dixit) nobis accinctis gladiis, citare leges.* Quid aliud Ovid. Trist. v. 7. 47. quam vim armatam legibus esse potentiorem?

Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum;
Victaque pugnaci jura sub ense jacent.

Emmeness.

13 *Chaonias dicunt aquilâ veniente columbas*] Minora enim auguria majoribus cedunt, nec ullarum sunt virium, licet priora sint. Chaonias autem Epiroticas. Nam in Epiro dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbæ. quod ideo fingitur, quia lingua Thessala Peliades, et Columbæ, et Vaticinatrices vocantur. Herodotus hanc columbam de Ægypto venisse ait. *Servius.*

14 *Quacunque*] Subaudi ratione. ut bene augurii peritiam dat ei, de quo supra ait; *His ego sæpe lupum fieri, et se condere silvis Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris, &c. Novas lites*] Magnas, id est militaria jurgia. *Incidere*] Pro decidere. *Idem.*

15 *Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix*] Ante sinistra, indivise legendum. et dicendo monuisse, oscinem fuisse demonstrat. Sane hoc ad auguralem pertinet disciplinam. Augures enim designant spatia lituo: et eis dant nomina: ut prima pars dicatur antica, posterior postica: ut est dextra et sinistra. Modo ergo, cornicem de nulla harum parte venisse dicit; sed ab antica ad sinistram partem volasse: et in cava ilice consedisse: quæ res agrorum damnum significat. Ilex enim, glandifera arbor est: quæ quoniam vitiosa est, vitium possessionis ostendit fore per milites, clamore gaudentes et litibus, sicut cornix. Nam hæc avis et

clamore lætatur: et alias frequenter invadit. Hoc ergo nunc dicit, augurio se esse admonitum, ut abstineret ab occursu litigiosi militis, qui retenturus fuerat possessionem. *Id.*

16 *Tuus Mœris*] Id est, Tuus amicus. *Idem.*

Ipse Menalcas] Pro Virgilio, qui dum agros suos defendit, pene occisus est. *Idem.*

17 *Heu! cadit in quemquam tantum scelus?*] Postquam audivit occidi potuisse Virgilium, quasi obstupuit, et hoc generaliter dicit, Potest in quenquam tantum nefas venire, ut Virgilium necare contendat? *Idem.*

18 *Pene simul tecum solatia rapta, Menalca!*] Cum suis enim solatiis periit Poëta, qui necdum editis carminibus moritur. Virgilius autem illo tempore nondum aliquid scripserat. Et dicendo *Solatia*, latenter tempora carpit Augusti, quibus carmina non oblectamento fuerant, sed solatio: quod infelicium esse consuevit. vel tua solatia, tua carmina quibus consolamur. *Idem.*

19 *Quis humum florentibus herbis*] Sic est dictum, ut, *Tunc Phaëtontiadas musco circundat amaræ corticis, atque solo proceras erigit alnos.* Idem.

20 *Spargeret*] Id est, aspersam floribus caneret. *Idem.*

Fontes induceret umbra] Tegeret, cooperiret. *Idem.*

Induceret] Inductos caneret, atque ea quidem arte, ut res ipsas ante oculos ponere videatur. Quæ virtus Gr. *ἐνέργεια*, sive *ἐνάργεια* dicitur: q. d. operationem ipsarum rerum. Est enim *ποιητὴς* idem quod *factor*, et *quasi altera Natura*. Vide L. Ramirez. ad Martial. IV. 14. *Taubm.*

21 *Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper*] Subaudiendum nesciente te sublegi, intercepi: et bene rustica affectione reminisci se illorum carminum fingit; quæ aliquando Virgilio, licet invito Romam eunti, abstulerat. nam *Sublegi* est furatus sum. Inde et sacrilegus dicitur, qui sacra legit, id est furatur. Plautus in Milite, *Quæ etiam nostrum hunc sermonem sublegerat.* Servius.

22 *Delicias nostras*] Id est, communem amicam. *Idem.*

23 *Tityre dum redeo, brevis est via, pasce capellas*] Theocriti sunt versus, ad verbum translati: sed tamen Virgilii negotium continentes. nam allegoricῶς imperat suis, ut rem tueantur: nec tamen audeant contra Arii præceptum venire. Sed hoc aut de ipso Virgilii carmine Lycidas retulit; aut, ut alii putant, conversus ad gregalem suum Tityrum dicit. Et bene dum promittunt se cantaturos, nihilominus dicunt. Sane quæritur, utrum in his tribus versibus perfectum carmen sit; an initium alterius carminis imperfecti Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας, Καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε, Τίτυρε· καὶ τὸν ἐνόρχαν, Τὸν λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο μὴ τὸ κορίψῃ. *Idem.*

24 *Age*] *Agere, i. e. ante se pellere, i. e. minare:* Paulus apud Festum. Græcum est ἄγω, ἀγάζω: *Agaso*, equos agens, qui et *equarius:* ut, qui asinos minat, *asinarius* dicitur. De quibus P. Colvius ad Apulej. lib. VII. et Casaub. ad Persii Sat. v. *Taubm.*

Inter agendum] Dum agis. Et honesta locutio est; si dicamus inter cœnandum hoc sum locutus. Afranius, *Inter loquendum:* Ennius, *Inter ponendum.* Servius.

25 *Occursare capro*] Ordo, occursare capro caveto. *Idem.*

Cornu ferit ille] Qui Theocrito Idyll v. 147. κορβιντίλος nominatur. Vide ibi Scholiast. *Emmeness.*

26 *Immo*] Pro, vel. *Servius.*

Nec dum perfecta] Nimiæ familiaritatis est signum, quod ei recitabat carmen, necdum ad limam reductum. Dicit autem carmen, quod quasi cœperat in honorem Vari componere: et per transitum ponit diversa schedia. *Id.*

Necdum perfecta] Codices aliquot antiqui, *nondum perfecta*, legunt: sed *necdum* magis acceptum. *Pierius.*

27 *Vare, tuum nomen*] Ordo est, Vare, tuum nomen sublime ferent ad sydera. *Servius.*

Superet modo Mantua nobis] Supersit, reddatur. Et hoc dicit, Si nobis Mantua fuerit reddita, faciam ut te celebrent omnes Poëtæ. Et bene affectiose de patria, quasi dubium, an superfutura sit. *Idem.*

Superet modo Mantua nobis] Si relinquatur. Horat. Sat. II. 2. 102.

Quod superat, non est melius, quo insumere possis.

Virg. Ge. II. 331.

—— *Superat tener omnibus humor.*

Et Æn. III. 339.

Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aura?

Emmeness.

28 *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ*] Bene iugemit Mantuanorum infelicitatem: quibus sola obfuit vicinitas Cremonensium. Nam Cassii, Bruti, et Antonii copias Cremonenses susceperant: quos etiam ipsos bene excusat, dicens *miseræ Cremonæ;* quæ etiam si vellet, minime tamen tantis copiis posset resistere. *Nimium* autem *vicina.* Id est, usque ad periculum. Nam ortis bellis civilibus inter Antonium et Augustum; Augustus victor, Cremonensium agros, quia pro Antonio senserant, dedit militibus suis; qui cum non suffecissent, his addidit agros Mantuanos: non propter civium culpam; sed propter vicinitatem. *Servius.*

Miseræ nim. vi.] Ita de assignatis agris militi veterano queritur et Val. Cato in Diris:

Pertica quæ nostros metata est impia agellos,
Qua nostri fines olim: cinis omnia fiant.

Ita Propertius:

Abstulerat miseras pertica tristis opes.

Vide et Turneb. I. 11. *Taubmann.*

29 *Cantantes cygni*] Id est Poëtæ. sic Horatius de Pindaro, *Multa Dyrcæum levat aura cygnum.* Sane blanditur Alfeno Varo, qui, Pollione fugato, legatus Transpadanis præpositus est ab Augusto. *Servius.*

30 *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos*] Taxus venenata arbor est, quæ abundat in Corsica: hæc autem insula Græce Cyrne dicitur, a Cyrno Herculis filio. Unde fecit hanc derivationem *Cyrneas taxos,* id est, Corsicanas: quibus pastæ apes, mella amarissima faciunt. *Idem.*

Sic tua Cyrneas] *Sic* in amicis gratulationibus, et diris imprecationibus. Horat. Od. I. 3. *Sic te diva potens Cypri,* &c. Vid. Lambinum. Noster ea eleganter etiam particula usus Ecl. X. 4. In contrario sensu Phædrus IV. 1. *Sic valeas,* inquit, *ut farina es, quæ jaces.* Emmeness.

31 *Distentent ubera*] Plurimum lactis reportent. *Servius.*

Distentent ubera vaccæ] Sunt codices antiqui, in quibus *distendant* legitur: sed *distentent,* pleniorem ostendit ubertatem. *Pierius.*

33 *Me quoque dicunt Vatem pastores*] Magna verecundia suum meritum extenuat. Nec enim ait, probant, sed dicunt: nec docti, sed pastores: quibus tamen ipse non credo. *Servius.*

35 *Vario videor*] Varius Poëta fuit: de hoc Horatius, *Varius ducit molle atque facetum.* Item, *Scriberis Vario fortis, et hostium Victor.* Nam Varus dux fuit, cui supra blanditur; qui nonnulla carmina scripsit. Nonnulli sane Alfenum Varum volunt; qui licet Jurisconsultus et successor Servii Sulpicii esset, etiam carmina aliqua composuisse dicitur; sed hoc, teste Horatio, falsum est, qui Varium Poëtam laudat. *Idem.*

Nec dicere Cinna Digna] Etiam Cinna Poëta optimus fuit, qui scripsit Smyrnam: quem libellum decem annis elimavit: quibus tamen Poëtis negat suum ingenium comparandum. *Idem.*

36 *Sed argutos inter strepere anser olores*] Argutos, canoros: ut, *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.* Et alludit ad Anserem, quendam An-

tonii Poëtam, qui ejus laudes scribebat: quem ob hoc per transitum carpsit. De hoc etiam Cicero in Philippicis dicit, *Ex agro Falerno anseres depellantur.* ipsum enim agrum ei donarat Antonius. Et bene illos Poëtas optimos Cygnos dicit; se anserem rudem et levis ingenii, nec debere aut posse se illos imitari. *Idem.*

Inter strepere] Sane potest et composite, et separatim proferri. *Idem.*

37 *Id quidem ago*] Id est, ut carmen in memoriam possit redire. *Idem.*

38 *Si valeam meminisse*] Ut etiam in Æneide diximus; ideo ista junxit tempora, quia defectivum est verbum memini. *Valeam* antem, si possim; ut in Æneide, *quæ plurima fundo Enumerare vales.* Idem.

39 *Huc ades, o Galatea*] Theocriti versus sunt, ἐξέλθοις γαλάτεια, καὶ ἐξελθοῦσα λάθοιο. quibus inducit Cyclopem usum, cum in scopulo sedens, amicam suam Galateam de fluctibus invitaret ad terras. Cyclops enim dicitur Nympham amasse Galateam; quæ cum Acin quendam pastorem amaret, et Polyphemum sperneret, ille iratus Acin necavit: qui postea Galateæ miseratione in fontem mutatus est: qui hodieque ab Acine, Acinius dicitur, ab illius nominis derivatione. *Idem.*

Est nam ludus in undis] Ludus, voluptas; et ad majorem terrarum laudem, dicit nullam esse in mari voluptatem: nam hæc est plena laus, quæ etiam contrariarum rerum continet vituperationem; et suas laudes ex sequentibus rebus dicit. *Idem.*

Quis est nam ludus in undis] Quid voluptatis mare adfert? Hic, et seqq. aliquot versus Maronem imitatum esse Theocritum, clare ostendunt. Quem vide Idyll. XI. 43. ad vs. 62. qui sic sonat.

Ὡς κεν ἴδω τί τόθ' ἁδὺ κατοικεῖν τὸν βυθὸν ὑμῖν.

Ludus, hic pro eo, quod animum reficit. Cic. Philipp. IV. 5. *Nullus ei ludus videtur esse jucundior, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio civium.* Phædr. III. 15. *Lusus animo debent aliquando dari. Lusum* vel *ludum dare*, desumptum esse a ludimagistris, vult Yvo Villiomarus v. 3. et 4. qui floralibus, et aliis ejusmodi diebus pueros feriari sinunt. Tunc dicuntur *dare ludum pueris*, hoc est, *ludi* vel *ludendi potestatem illis facere.* Unde metaphora in alias res deducta, ut, *dare ludum alicui*, sit indulgere illi, neque ab eo quotidianum pensum, aut laborem exigere, &c. *Emmenes.*

42 *Lentæ*] Flexibiles. *Servius.*

Umbracula] Cicero, *umbraculisque sylvestribus.* Idem.

43 *Insani fluctus*] Id est magni: ut, *Quid tantum insano juvat indulgere labori?* Idem.

Insani fluctus] Bene magni, decumani. Sic Noster Æn. II. 343.

—— *Insano Cassandri incensus amore.*

Æn. VI. 135.

—— *Et insano juvat indulgere labori.*

Cic. pro Milone c. 20. *Quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium.* et cap. 31. *Aræ, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat.* Emmenes.

44 *Pura sub nocte*] Serena. *Servius.*

45 *Numeros memini*] Metra vel rhythmos, vel certe numeros versuum. *Idem.*

Numeros memini] Quid numerus sive rhythmus enarratum Ecl. VI. 27. De eo luculente Cic. Orat. c. 51. et seqq. et Salmas. Hist. Aug. tom. II. p. 429. edit. Hack. *Emmenes.*

Si verba tenerem] Hoc est, carmen non teneo. *Serv.*

46 *Daphni, quid antiquos*] Pro antiquorum. *Idem.*

Daphni, quid antiquos s. s. ortus?] Non opus est, dicit, ad arandum, serendum, metendum, observare posthac veteres illos et consuetos ortus

atque obitus siderum: sufficit pro illis omnibus, una stella Julii Cæsaris: nec opus est, ut alia imploremus numina, præter numen faustum et propitium Augusti, sub quo procedunt nobis omnia felicissime. *Lud. Vives.*

Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus? Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum] Cum Augustus Cæsar patri ludos funebres celebraret, die medio stella apparuit: ille eam confirmavit parentis sui esse. Unde sunt versus isti compositi. *Servius.*

Suspicis] Admiraris, veneraris. Juven. Sat. XIII. 123. *non Epicurum suspicit.* C. Nep. XVII. c. 4. *in hoc non minus ejus pietas suspicienda est, quam virtus bellica.* Emmenes.

47 *Dionæi*] Longe repetitum est, a matre Veneris Dione. Sane astrum Græce dixit; nam stellam debuit dicere. Bæbius Macer, circa horam octavam stellam amplissimam quasi lemniscatis coronatam ortam dicit; quam quidam ad inlustrandam gloriam Cæsaris juvenis, pertinere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit, eique in Capitolio statuam, super caput auream stellam habentem, posuit: inscriptum in basi fuit, *Cæsari Emitheo.* Sed Vulcanius aruspex in concione dixit cometen esse, qui significaret exitum noni seculi, et ingressum decimi; sed quod, invitis Diis, secreta rerum pronunciaret, statim se esse moriturum, et, nondum finita oratione, in ipsa concione concidit: hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria vitæ suæ complexus est; et hæc Mœris non ut sua, sed Virgilii refert, in honorem Augusti composita. *Idem.*

Dionæi processit Cæsaris astrum] Id est, Julii Cæsaris a Venere trahentis originem, quæ a Dione matre *Dionæa* appellatur. ut Æneas de Venere matre Æn. III. 19. *Sacra Dionææ matri.* Theocr. Idyll. XV. 106. Κύπρι Διώνα. Juliæ gentis ornandæ causa, quæ Julio, Veneris nepote, tanquam auctore et principe gloriatur. *Dionæum* appellat *Cæsarem* ut Horat. od. II. 1. *Dionæum astrum*, quod Veneri dicatum est. De stella hac crinita quæ per septem continuos dies fulsit, cum Augustus ludos Julio consecratos edebat, Suet. in Jul. c. 88. Quod hoc loco Maro noster *Dionæum astrum.* Æn. VIII. 681. *Patrium sidus* nominat, et Propert. IV. 6. *Idalium astrum.* Testante Servio l. VIII. Augustus omnibus statuis, quas ob divinitatem Cæsaris statuit, hanc stellam crinitam adjecit, et ob honorem patris in galea eam cœpit habere depictam, quam etiam videas in duobus subjectis numismatibus. *Emmenes.*





48 *Quo segetes gauderent frugibus*] Ad mensem alludit Julium, qui dictus est in honorem Cæsaris: quo et uvæ et frumenta maturescunt. *Idem.*

50 *Insere Daphni pyros*] Hoc in gratiam Augusti, per cujus beneficium securus de agris suis est. *Serv.*

Carpent tua poma nepotes] Ac si di-

ceret, Nihil est quod possis timere. nam illud respicit, quod supra invidiose ait, *Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites: Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ: Non ego vos posthac viridi projectus in antro, Dumosa de rupe procul pendere videbo.* Idem.

51 *Omnia fert ætas*] Id est, aufert: nam intelligimus eum subito obticuisse: nec, quod cœperat, implere potuisse. *Idem.*

Omnia fert ætas, animum quoque] Idem edocet illud Platonis:

Αἰὼν πάντα φέρει, δολιχὸς χρόνος οἷδεν ἀμείβειν
Οὔνομα, καὶ μορφὴν, καὶ φύσιν ἥδε τύχην.

Et quid non in deterius vergere facit tempus, rerum edax? *Damnosa quid non imminuit dies?* Queritur Venusinus Ep. II. 2. 55.

Singula de nobis anni prædantur euntes.
Eripuere jocos, Venerem, convicia, ludum.

Emmeness.

Animum quoque] Etiam memoriam. *Servius.*

Longos soles] Id est, æstivos dies finire: ut, *Treis adeo incertos cæca caligine Soles.* Idem.

52 *Condere*] Finire, usque ad occasum ducere. *Idem.*

Condere] Sic in epigr. Callim. quod apud Laërtium in Heraclito: Ἥλιον ἐν λέσχῃ καταδυσάμενον. Et *condere*, plerumque, diem in epulationibus et in hilaritate transire, usque dum dies moritur, ut eleganter Statius. Horat. od. IV. 5.

Condit quisque diem collibus in suis.

Contrarium est, *frangere diem.* Idem od. II. 7. Lucretius l. III. *Proinde licet quotvis vivendo condere sæcla.* Tralatio a funere sumpta, ut Gifanius. Pro *condere* Plaut. in Menech. I. 2. 45. *Comburere diem.* Eadem ferme locutione utitur Persius Sat. V. 41.

— *Longos memini consumere soles.*

Noster Æn. I. 378. *Componere diem clauso Olympo.* Emmeness.

53 *Nunc oblita*] Aut omissa, vel figurate, quorum ego oblitus sum: et ostendit Mœrin nullum suum; sed omnia Menalcæ carmina retulisse. *Servius.*

Nunc oblita mihi tot carmina] Non uno ostendi potest exemplo activa deponentia crebro sumi passive: Cic. de Off. I. 39. *O domus antiqua, heu, quam dispari dominare domino.* Præcipue in participiis Noster Æn. III. 460.

—— *Cursusque dabit venerata secundos.*

Sic *polliceor, aggredior*, et similia, quorum meminit Vechnerus I. 15. et Sanct. III. 2. *Emmeness.*

Vox quoque Mœrim Jam fugit ipsa] His versibus ostendit vigorem cantandi, quem prius habuerat, perdidisse; et per allegoriam obsessum malis animum demonstrat. *Servius.*

54 *Lupi Mœrim videre priores*] Hoc etiam Physici confirmant: quod vox detrahitur ei, quem primum viderit lupus. Unde etiam proverbium hoc natum est, *Lupus est in fabula:* quotiens supervenit ille de quo loquimur, et nobis sui præsentia amputat facultatem loquendi. *Idem.*

Lupi Mœrim videre priores] Theocr. Idyll. XIV. 22.

Οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες.

Plin. VIII. 22. *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius: vocemque homini quem priores contemplentur, adimere ad præsens.* Tritum nimis est, quam ut Plautinum illud illustretur, Stich. IV. 1. 71. *Lupus est in sermone.* Et Terentianum Adelph. IV. 1. 21. *Lupus in fabula.* ubi Donatum videsis, si tanti sit. Metum in causa esse vult, cur obmutescant homines, Voss. Idol. III. 72. *Emmeness.*

55 *Satis referet tibi sæpe Menalcas*] Ordo est, satis sæpe. *Servius.*

56 *Causando nostros in longum ducis*

amores] Causas nectendo, differs nostra desideria. *Idem.*

Causando] Id est, prætendendo impedimenta, culpam conjiciendo in defectum memoriæ, prætendendo, adferendo causas, vel *faciendo modo istud modo illud causæ*, ut Apul. l. x. Suet. in Calig. c. 23. *Silanum item socerum ad necem secandasque novacula fauces compulit: caussatus in utroque, quod hic ingressum se turbatius mare non esset secutus.* et, c. 44. *At in exercitu recensendo plerisque centurionum maturis jam, et nonnullis ante paucissimos quam consummaturi essent dies, primos pilos ademit, caussatus senium cujusque et imbecillitatem.* Lucret. l. i.

Quapropter quamvis caussando multa moreris.

Gell. xviii. 4. *Negotium sibi esse caussatur, et digreditur.* Emmeness.

In longum ducis amores] Id est, extrahis, et differs nostra desideria, pro *in longum ducere*. Corn. Nep. vii. 8. *Ut bellum quam diutissime duceret.* Idem.

57 *Tibi silet æquor*] In tuam gratiam. Et hoc dicit, Ut possis canere, cuncta siluerunt. *Serv.*

Tibi silet æquor] Theocr. Idyll. ii. 38.

Ἡνίδε, σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶσι δ' ἀῆται.

Noster Æn. i. 168.

Æquora tuta silent.

Sic apud Horat. Od. i. 31.

Tacturnus amnis.

Emmeness.

Æquor] Spatium campi. *Serv.*

58 *Aspice ventosi ceciderunt murmuris auræ*] Frondes scilicet arborum, ostendens vel ipsas auras quievisse, quibus nihil omnino moveatur. Quod quidem ex Theocrito sumptum est. τὰ δέ νιν καλὰ κώμαθ' φαίνει Ἄσυχα καχλάζοντα. *Idem.*

60 *Bianoris*] Hic est qui et Hocnus dictus est: de quo ait in decimo Æn. *Fatidicæ Mantus et Thusci filius Amnis.* Conditor Mantuæ dictus Bianor autem est: quasi animo et corpore fortissimus, ἀπὸ τῆς βίας καὶ ἀνορέης. *Idem.*

Bianoris] Qui Mantuam condidit. V. N. Æn. x. 198. Veteres autem sepulchra fere propter vias habebant: quo prætereuntes admonerent, et se fuisse, et illos esse mortales; ut Varro ait. Unde et Inscriptiones plerumque ad viatores directæ. Vide J. Kirchman. De Funerib. R. ii. 22. *Taubmann.*

61 *Stringunt frondes*] Amputant, decutiunt. Ipse in Georgicis, *Sed tamen et quernas glandes tunc stringere.* Serv.

Stringunt frondes] Amputant. Ge. i. —— *stringere glandes. Stringere*, proprie est arcta et stricta manu, et per ramos decurrente, vel folia, vel corticem, vel fructum abstrahere. hinc *Oleæ strictivæ* dicuntur ad differentiam *caducarum*. Camerarius *stringunt* interpretatur etiam *constringunt*: quasi fuerit περιφραστικὴ sepimenti indicatio. *Taubmannus.*

62 *Tamen veniemus in urbem*] Etiam si paululum quiescentes dederimus operam cantilenæ: et deest, hodie. *Servius.*

63 *Nox pluviam ne colligat ante, veremur*] Aër enim aut cum ortu Solis, aut cum occasu mutatur frequenter: quod Æneide etiam sæpius indicatur. *Idem.*

Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur] Aër occidente sole sæpe in contrarium mutatur. Virgilius Æneidos iii.

Interea fesso ventus cum sole reliquit.

Rursus libro sexto:

Aspirant auræ in noctem. ——

Nannius.

64 *Usque eamus*] Jugiter eamus, sed *Cantantes*: ita enim minorem itineris sentiemus laborem. *Servius.*

Usque] Significat τὸ *usque* continuum alicujus temporis aut moræ.

Plant. Pseud. *Sed te volo domi usque adesse.* Ter. *Cui hodie usque os præbui.* Plura Gronov. obs. III. 19. *Emmenees.*

Minus via lædet] Minus tædii erit in via licet jugiter eamus: quia cantantes. *Taubmann.*

65 *Cantantes ut eamus*] Cantando quomodo tempus fallatur, multis exemplis enarrat Ovid. Trist. IV. 1. *Emmenees.*

Hoc te fasce levabo] Si cantantes ierimus, hœdorum te onere ipse relevabo. Nam fascem ait onus. sic in Georgicis, *Injusto sub fasce viam dum carpit.* Servius.

66 *Desine plura puer*] Ac si diceret, Nimii desiderii es. Et plura, deest dicere; ut esset, desine plura dicere. *Idem.*

Desine plura puer] Blanda objurgatio, quum quis quasi puer ineptire videtur, et nimis acriter in re levi instat. Ita quoque Terentius in Adelphis v. 8. 17:

Promisti autem? de te largiter puer.

Atqui jam non puer, sed maritus erat Æschinus. *Nannius.*

Quod nunc instat, agamus] Nos Centurionem placemus: nam cantare otiosorum est. *Servius.*

Quod nunc instat, agamus] Plaut. Trucul. *Sed hoc agamus, huc qua ventum est gratia.* Idem Capt. *Hoc agamus*, id est, agamus quod est in manibus, et quod instat. *Hoc age*, Proverbium est, cum jubemus quempiam attentum esse, seu animo præsentem esse. *Pontanus.*

67 *Cum venerit ipse*] Vel Virgilius, cujus adventu sperabat securitatem: vel ipse Augustus, qui Actiacis bellis fuerat occupatus. *Servius.*

ECLOGA X.

Gallus] Hic est Cajus Asinius Gallas orator, Asinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Ægypti præfectus, fuit eximius poëta: nam et Euphorionem (ut supra diximus) transtulit in latinum sermonem, et amorum suorum de Cytheride libros scripsit quatuor. Hic primum in amicis Augusti Cæsaris fuit: postea cum venisset in suspicionem, quod contra eum conjuraret, occisus est. Fuit autem amicus Virgilii; adeo ut quartus Georgicorum a medio usque ad finem ejus laudes teneret; quas postea, jubente Augusto, in Aristæi fabulam commutavit. Hic autem Gallus amavit Cytheridem meretricem libertam Volumnii, quæ, eo spreto, euntem Antonium ad Gallias est secuta: propter quod dolorem Galli nunc videtur consolari Virgilius. Nec nos debet movere, quod cum mutaverit partem quarti Georgicorum, hanc eclogam sic reliquit. Nam licet consoletur in ea Gallum, tamen altius intuenti vituperatio est. nam et in Gallo impatientia turpis amoris ostenditur: et aperte hic Antonius carpitur inimicus Augusti, quem, contra Romanum morem, Cytheris est in castra comitata. *Servius.*

1 *Extremum laborem*] Non quod mihi laboriosum est (nam scribere, apud poëtas ludus est. ut, *et ipsum Ludere quæ vellem calamo permisit agresti*) sed rem tibi laboriosam, scilicet ut Nympha virginitate gaudens, præstes de amoribus cantilenam.

Unde et rogat dicens, *Concede*. Et verecunde pauca postulat, et eam adjurat etiam. *Idem.*

Extremum laborem] Invocatio cum Propositione. Et *extremum laborem* vocat, ultimi carminis Bucolici poëma. Ita Hercules apud Propert. IV. 9.

—— *nostræ labor ultime clavæ.*

Postremum autem hoc Bucolicum fuit, scil. scriptione; sed tempore prius Bucolico quinto, in quo cædes Cæsaris defletur: ut docet Jos. Scaliger ad Euseb. p. 143. *Taubmann.*

Arethusa] Per Arethusam autem Musam Siculam, id est Bucolicum Theocritium invocat carmen. Sane Arethusa secundum Latinitatem in penultima habet accentum: secundum rationem Græcam, in tertia a fine, Ἀρέθουσα; sicut *Creusa*, et Κρέουσα. Servius.

Arethusa] Cic. in Verr. IV. 53. *Est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disjunctus esset.* Pomp. Mel. II. 7. Sed plura Æn. III. 694. Quia Theocriti imitator est Maro, fontem invocat in Theocriti patria positum, tanquam musam Siculam. Vide Serv. ad Ecl. IV. 1. *Musæ Sicelides.* et Ecl. VI. 1. *Prima Siracosio dignata est ludere versu.* Emmeness.

2 *Pauca meo Gallo*] Non ad cæterarum eclogarum comparationem: sed pauca, quantum ad Galli pertinet scripta; quæ (ut supra diximus) de suo amore composuit. *Servius.*

Ipsa] Quæ amata sprevit amorem. *Idem.*

Lycoris] Pro Cytheris, licet enim poëtis alia nomina pro aliis ponere. *Idem.*

Lycoris] De Galli amoribus hi versus increbuerant:

Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

De eodem ita Politianus:

Gallus amat, queriturque suum procul esse Lycorim,
Gallus, quem rigidi flevere in montibus orni,
Cujus amorem omnes nequeunt mutare labores,
Gallus, quem frustra verbis solatus Apollo est.

Nannius.

Lycoris] Nobilis satis fuit meretrix. Ovid. de arte am. III. 537.

Vesper et Eoæ novere Lycorida terræ.

Emmeness.

4 *Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos*] Varia enim opinio est. Nam alii dicunt ad Arethusam Nympham Siciliæ, Alpheum de Elide venire per maria: secundum quos alibi dixit, 'Alpheum fama est huc Elidis amnem, Occultas egisse vias subter mare.' Alii dicunt ipsam Arethusam jam in fontem mutatam Alpheum fugere, et de Elide ad Siciliam venire: quod nunc est secutus. Sane dicitur quodam tempore patera aurea in Arethusa inventa, quam Olympionices in Alpheum miserat; et cum Olympiæ hostiæ cæduntur, cruor earum in Alpheum infusus, in Arethusam exit. *Servius.*

Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos] In votis, et imprecationibus, quo pacto usum habeat hæc particula *sic*, nihil est quod repetam, vide Ecl. IX. 39. *Sicanos*, unde Sicilia Sicania dicitur Just. IV. 2. *Siciliæ primo Trinacria nomen fuit; postea Sicania cognominata est.* Plin. III. 8. *Verum ante omnes claritate Sicilia, Sicania Thucydidi dicta.* An ab Iberorum flumine Sicano? consule Thucydidem in princip. l. VI. *Emmeness.*

Sicanos] Sicilia autem Sicania dicta, a Sicano Terræ filio. *Serv.*

5 *Doris amara*] Mater Nympharum est: quam pro mari posuit. vel Doris Oceani filia, conjux Nerei. *Idem.*

Amara] Id est, salsa, ut ad hunc locum Salmasius exercit. Plin. p. 114. *Salsa* et *amara* conjunguntur Ge. III. 238.

Salsa autem tellus, et quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix.

Emmeness.

6 *Sollicitos*] Solicitatos, plenos solicitudinis post Cytheridis abscessum, quam Lycoridem vocat. Fuerunt enim uno tempore nobiles meretrices tres: Cytheris, Origo, Arbuscula. Horatius, *Explosa Arbuscula dixit*. Idem, *Ut quondam Marseus amator Originis, illi Qui patrium mimæ donat fundumque laremque*. Servius.

Sollicitos] Ovid. Heroid. Ep. I. 11.

Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.

Et Ep. I. 7.

Quid timeam ignoro. Timeo tamen omnia demens:
Et patet in curas arca lata meas.

Et Ep. XIX. 109.

Omnia sed vereor: (quis enim securus amavit?)

Emmeness.

7 *Attondent*] Depascent. Apul. l. v. *Comam fluvii tondentes* capellæ: et l. x. *Capellæ pauculæ tondebant herbulas. Attondere*, est, omnino tondere. Lucan. IV. 412.

—— *Spoliabat gramine campum*
Miles, et attonso misere jam dentibus arvo
Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.

Noster Ge. II. 406.

—— *Et curvo Saturni dente relictam*
Persequitur vitem attondens.

Idem est simplicis usus Ge. III. 21.

Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ. Plautinum est; *attondere ulmos*, qui et μεταφορικῶς *attondere*, pro *exenterare, exhaurire marsupium*, ut nummulorum residui nihil sit: Bacch. v. 1. 9. Is me *scelus usque attondit dolis doctis indoctum ut lubitum est*. Emmeness.

Simæ] Græcum est nomen: id est pressis naribus. Unde et simias dicimus: quod epitheton Theocritus dat præcipue apibus. Et dicens, *simæ virgultæ capellæ*. Hic poëtam quasi pastorem posuit, Ὡς τό νιν αἱ σιμαὶ λειμωνόθε φέρβον ἰοῦσαι κέδρον ἐς ἀδείαν μαλάκοις ἔνθεσσι μέλισσαι. *Servius.*

Simæ] Plin. XI. 37. *Et altior homini tantum, quem novi mores subdolæ irrisioni dicavere, nasus. Non alii animalium nares eminent. Avibus serpentibus, piscibus foramina tantum ad olfactum, sine naribus. Et hinc cognomina Simorum, Silonum.* Emmeness.

8 *Non canimus surdis, respondent omnia silvæ*] Per Echo, id est vocis imitationem, nos consolamur: et mira brevitate sensus hujus versus explicatus est. *Servius.*

Non canimus surdis] Non inanem laborem sumimus. Hoc sonat Terentianum Heaut. II. 1. 10. *Næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.* Pro quo Horat. Ep. II. 1. 199.

Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo.

Quod Græce apud Zenobium proverb. cent. v.

Ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἔκινει. *Emmeness.*

9 *Quæ nemora*] Hinc carmen videtur incipere. Est quædam Theocriti ecloga, in qua suos amores deflere Daphnis inducitur. vel ut alii, quidam pastor Daphnin amore mortuum deflet. hujus omnem ordinem ad hanc eclogam transtulit. *Servius.*

Saltus habuere puellæ Naïdes] Nymphas simpliciter accipiamus: nam si proprie loqueretur, Oreades diceret. Najades enim, fontium; Oreades, montium Nymphæ sunt. Sane quia diximus easdem Nymphas quas Musas: videtur hoc dicere, quia si cum ipso fuissent Musæ; id est, si dedissent operam scribendis carminibus: non incidisset in tantas amoris an-

gustias. vel cur eum amantem Musæ deseruerint, cum, propter ingenium, earum esset antistes. *Idem.*

10 *Najades*] Ita quidem exemplaria quædam habent. Sed in perveteri exposito codice, et in Romano, et in Longobardico *Naides*, et id recte. Valerius enim Probus, ubi de nominibus *is* pura terminatis agit, eodem modo poni dicit, Lais Laidis, Thais Thaidis, Nais Naidis. Virgilium tamen poëtice Najadis terminasse eo loco, *Ægle Najadum pulcherrima*. Pierius.

Indigno] Vel meretricio, vel magno. Nam et Ennius ait, *Indignas turres*, id est, magnas. Alii *indigno*, non quia Cytheris pulchra non fuerit, sed quia Gallus ab ea spretus sit. *Servius.*

Indigno cum Gallus amore periret] In Rom. codice *peribat* legitur: quod Theocritianæ respondet figuræ Πάποκ' ἄρ' ἦσθ' ὅκα δάφνις ἐτάκετο, πάποκα νύμφαι; In Longobardico tamen est *periret*. Pierius.

11 *Nam neque Parnassi vobis juga, nam n. P.*] Parnassus mons Bœotiæ, Pindus Thessaliæ, ambo Apollini et Musis consecrati. *Servius.*

Parnasi] Quamvis πάρνασσος duplici σσ apud Græcos scribatur, antiqua tamen omnia exemplaria *Parnasi* legunt unico *s*, quod nemo mirabitur, si legitur apud Vel. Longum: Veteres neque in his: *fuisse*, *ivisse*, *abesse*, et similibus *ss* geminasse, adeo putabant eam literam, vel unicam satis per se sonare. *Pierius.*

Parnasi] Per duplex *ss* mavult scribi Dausquius; quem adi, si penitius hanc disputationem percipere sit lubitum. A Parnasso conditore appellatur, ut Pausanias l. x. Phocidis est mons, Pomponius Mela II. 3. Ubi etiam de Pindo, qui Doridis est. Hæc juga consecrata Apollini et Musis esse, nemo est, qui ignorat. *Emmeness.*

12 *Aonia Aganippe*] Nominativi sunt singulares. Aganippe autem fons est Bœotiæ, quæ et Aonia dicitur. Aonia autem brevis fit *Ni:* quia sequitur vocalis vocalem. Callimachus Aganippem fontem esse dicit Permessi fluminis. *Servius.*

Aoniæ Aganippæ] Sic in Longobardico. In altero perveteri codice abrasa est ultima syllaba. Sane *Aonia Aganippe* utrumque Servius nominativi casus esse dixit. Quibusdam vero, tametsi non improbent *Aonia* nihil absurdum videtur: ut qui dixerat: *juga Pindi et Parnassi*, dicat etiam eadem figura, *Aganippe Aoniæ:* fitque hoc genitivi casus, ne versus elanguescat. Sed enim *Aoniæ Aganippes* legendum esse indicat Probus, qui loco hoc dicit geminas vocales ab una excipi, adeoque syllabam ultimam in *Aoniæ* non elidi, sed communem fieri: produci vero subsequente vocali brevi, corripi, si longa excipiat: ut eo loco, *Insulæ Ionio in magno*. Hujus sententiæ Sosipater etiam subscribit. *Pierius.*

Aoniæ Aganippæ] Id est, fontis Aganippæ in Bœotia positi, de Aonibus Bœotiæ incolis, Pausanias l. IX. Idem in eodem lib. Aganippen fontem esse in Helicone docet: Ἐν Ἑλικῶνι δὲ πρὸς τὸ ἄλσος ἰόντι τῶν Μουσῶν, ἐν ἀριστερᾷ μὲν ἡ Ἀγανίππη πηγή· θυγατέρα δὲ εἶναι τὴν Ἀγανίππην τοῦ Περμήσσου λέγουσι. *Emmeness.*

13 *Illum etiam lauri, etiam flevere myricæ*] In Rom. codice legitur: *Illum etiam lauri, illum flevere.* In Longobardico una plus dictione pleniore versu est: *Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ*, idque ter repetitum *cum pinifer illum etiam* majorem habere movendi vehementiam videtur: quamvis non displiceat, *Illum etiam lauri, etiam flevere*, quod ea exilitas propria sit, et Bucolici characteris, et personæ miserabiliter aliquid deplorantis. *Pierius.*

14 *Pinifer*] Quod adstruit Noster Ecl. VIII. 22.

Mænalus, argutumque nemus, pinosque loquentis

Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, &c.

Mons est Arcadiæ. Mela II. 3. Panos mons proprius est. Pausanias l. VIII. *Μαινάλιον, ἱερὸν μάλιστα εἶναι Πανὸς ὑπολάβοντες εἶναι οἱ περὶ αὐτὸ καὶ ἐπικεκοῦσθαι συρίζοντος τοῦ Πανὸς λέγουσι.* Noster et *Mænala.* Ge. I. 17. *Emmeness.*

Sola sub rupe] Deserta. Mænalus autem et Lycæus montes Arcadiæ sunt. *Servius.*

15 *Lycæi*] Accuratam hujus montis in Arcadia positi descriptionem legas apud Pausaniam l. VIII. Nominatur etiam Olympus, in quo educatus est Jupiter. Recte *gelidi*, nam siccitate et æstu nimio exarescentibus frugibus, fontis Ἀγρονῦς Arcadum fines optatis imbribus perfunduntur. In hoc monte *Lycæo* Panos fanum etiam est. Quanti is hunc locum fecerit Ge. I. 16. Noster docet. quæ plura in hoc jugo admiranda sunt, persequitur laudatus scriptor. *Emmeness.*

16 *Stant et oves circum*] Scilicet circa Gallum, ejus amorem stupentes. Sensus autem est, Sicut oves, o Galle, circum te stare non pœnitet; ita nec te illarum pœniteat. nam etiam Adonis quondam ovium exstitit pastor. Et quod ait *Nostri*, miscuit suam personam, ut frequenter facere consuevit: nam erat integrum, *Tui nec pœniteat illas.* Alii *pœnitet*, pro *pudet* accipiunt. *Servius.*

17 *Nec te pœniteat pecoris, divine poëta*] Allegoricῶς hoc dicit, Nec tu erubescas Bucolica scribere. *Idem.*

Divine poëta] Quid *divinus* Ecl. III. 37. et Ecl. v. 45. Præcipue competit hoc poëtis. Ovid. Amor. III. 9.

At sacri vates, et Divum cura vocamur.
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.

Emmeness.

18 *Adonis*] *A* habet accentum, quia Græcum est nomen: tamen etiam Latine sic dicimus. nam Adon nusquam lectum est. Et de hoc fabula talis: In Cypro insula regnavit Cinyras, habens filiam, Myrrham nomine; quæ, Solis ira, in amores incidit patris, cum quo etiam ministerio nutricis concubuit: namque nutrix Myrrhæ dixit Cinyræ, esse quandam puellam, quæ ejus amore flagraret, et concubitum nocte in tenebris propter verecundiam expeteret virginalem: hoc, Cinyras, incitatus libidine, pollicitus est: cupiens deinde videre vultus puellæ, lumen jussit inferri, visamque filiam persequi cum gladio cœpit, ut interficeret: quæ gravida de patre confugit in silvas, ibique mutata est in arborem nominis sui; sed infantem conceptum etiam in cortice retinuit, et postmodum dente apri excisum emisit in lucem; qui a Nymphis educatus, Adonis cognominatus est, quem quia Venus adamavit, Mars in aprum transfiguratus occidit, quem multi miseratione Veneris in rosam conversum dicunt. Est etiam alter ordo hujus fabulæ: Ex Egypto Epiviostasterius et Yon fratres, ad insulam Cyprum profecti sunt, atque ibi sortiti uxores: ex quorum genere Celes procreatus est; qui habuit Erinonam filiam: hæc cum esset nimiæ castitatis, et hoc a Minerva et Diana diligeretur, Veneri esse cœpit invisa, quæ cum puellæ castitati insidiaretur, in amorem ejus impulit Jovem, quem dolum postquam Juno animadvertit, ut fraudem fraude superaret; petit a Venere, ut in amorem puellæ Adonem inflammaret; quem posteaquam nulla fraude sollicitare in ejus amorem potuit, objectis quibusdam nebulis, ipsum Adonem in penetrale virginis produxit: ita pudicitia puella per vim et fraudem carnit; sed hanc Diana irata circa Cisseum fluvium in pavonem mutavit: Adonis vero ubi cognovit se amatam Jovis vitiasse; metuens, profugit in montis Cassii silvas, ibique immixtus agrestibus versabatur; quem dolo Mercurii monte deductum, cum aper,

quem fabulæ Martem loquuntur, vehementer urgeret, et ab Adone vinceretur; repente fulmen Juppiter jecit et Adonem morti dedit: sed cum Venus illusum sibi, et mortem amati Adonis sæpe quereretur; Mercurius misératus imaginem Adonis, ut vivere crederetur, ad suos reduci fecit. Juno autem a Jove petiit, ut Adonis in lucis patriis ævum degeret: tum Diana puellæ Erinomæ formam pristinam reddidit, quæ tamen ex Adone Talcum filium procreavit, et cum viro permansit. *Servius.*

Formosus Adonis] Adonis διὰ τὸ κάλλος a Venere adamatus, post per apri ictum exstinctus. Filius fuit Myrrhæ, vel Smyrrhæ ut nonnulli, quæ gravida ex Cynara patre, vel ut alii volunt, Theiante, ejusque vim fugiens in silva se abdidisse fertur; et mutata dicitur in arborem ejus nominis. Fabulam enarrat Ovid. Met. x. Apollod. l. III. Hyg. c. 58. Ant. Liberal. c. 48. *Emmenes.*

19 *Venit et upilio*] Ovium custos, et propter metrum ait upilio: nam opilio dicimus. et Græco usus est schemate: sicut illi dicunt ὄβρεα, pro eo quod est ὄρη, et ὄβνομα, pro eo quod est ὄνομα. *Servius.*

Venit et Upilio] Quamvis Servius poëtam Græco schemate usum dicat, ut apud Homerum ὀβλυμπον, pro ὄλυμπον, et similia; antiquissimus tamen codex Longobardicus, neque non Mediceus *Opilio* legunt per o syllaba prima. Idque Caprum grammaticum solicitum habuit, qui dictionem hanc per o vocalem quartam, non per u scribendam esse præcipit. *Pierius.*

Tardi venere subulci] Tardi, id est stulti. Terentius in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, *Tardus es*, id est stultus. Nam porci cito ambulant. Alii pro *fatigati* accipiunt; quidam dicunt ideo tardi, quia porci nusquam pascuntur, nisi radicitus effodiant herbam. *Subulci* autem pastores porcorum. *Serv.*

Tardi venere bubulci] In Rom. codice, in Mediceo, et aliquot aliis *Subulci* legitur. Sed enim si figura respondet Theocritianæ sententiæ, quæ est, ἦνθον τοὶ βῶται, τοὶ ποιμένες, φίλοι ἦνθον: dubio procul *bubulci* legendum est, quibus et epitheton *tardi* convenit, quum præcipue ingressus boum tarditate notetur. *Pierius.*

Bubulci] Veteres aliquot codd. *subulci* idque Servius etiam agnovit. Sed germana lectio, quam et J. Parrhasius, F. Ursinus, N. Erythræus, H. Stephanus, L. de la Cerda tuentur, est *bubulci*, qui proprie *tardi*, lentiore boum incessu; cum porci cursum festinent. Ovid. ad Auroram:

Prima vocas tardos sub juga panda boves.

Tibullus:

Aut stimulo tardos increpuisse boves.

Deinde Æl. Donatus, tria tantum pastorum genera, quæ dignitatem in Bucolicis habeant, enumerat, *Bubulcos*, *Opiliones*, et *Caprarios:* quod nomen caute, consulteque in iis, quæ sumpsit a Theocr. Virgilius omisit, ut docuit Agellius. Denique ipse Theocriti versus, quem noster hic æmulatur, nullus subulci meminit. *Taubmann.*

20 *Uvidus hyberna venit de glande Menalcas*] Uvidus, pinguis. Et *humidum* est, quod extrinsecus habet aliquid humoris: *uvidum* vero quod intrinsecus, unde *uvæ* dicuntur. quod tamen plerunque confundant poëtæ. *Hiberna* autem *de glande*, de collectione glandis, quia per hiemem colligitur. *Servius.*

Uvidus hiberna de glande Menalcas] In Rom. codice *umidus* et absque aspiratione, uti mos ejus est in plerisque aliis: nam et *umor* in eodem codice sine adspiratione scribitur, quod sive ab *humeo*, sive ἀπὸ τοῦ ὗω descendat, adspirationem omnino recipit. Loco vero hoc, *uvidus* casta lectio. *Pierius.*

21 *Unde amor iste*] Id est tam impatiens, tam turpis. Alii sic intelli-

gunt *unde*, quod non dignus illo a quo fastidiebatur. *Servius.*

22 *Galle, quid insanis*] Vult spem amoris desperatione sanare. *Idem.*

Tua cura Lycoris] Pene irrisorie dictum est *tua cura*, id est, pro qua tu ita solicitus es, te relinquit. Et bene cum alii interrogent, quasi deus Apollo divinat. *Idem.*

23 *Perque horrida castra secuta*] Horrida semper: nunc propter bella civilia. Et subtiliter hic tangit Antonium, ut supra dictum est. *Idem.*

25 *Florentis ferulas*] Superiore versu de serto sive de honore capitis, quo coronatus fuit Sylvanus. *Ferula*, Græce *νάρθηξ*, frutex est, habet florem mellinum, anetho similis est, ut Theoph. VI. 2. Igni servando est idonea, quem in ea surripuisse Prometheus fertur. Plin. XIII. 22. Apoll. I. I. et Rittersh. ad l. IV. Cyneg. Oppian. p. 145. Pabulum est asinis gratissimum, cæteris vero jumentis præsentaneum venenum, frutexque hic assignatus Libero Patri. Plin. XIV. I. Ferula, antiquitus, discentium manus feriebantur, inde apud Columell. in carm. de hort. *ferulæ* dicuntur, *non mites manibus. Ferulæ minaces.* Eleganter Martial. X. 62.

Ferulæque tristes sceptra pædagogorum.

Idem XIV. 80.

Invisæ nimium pueris, gratæque magistris
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Hinc, *manum ferulæ subduxisse*, dicuntur, qui pulverem scholasticum excutientes, ampliora spatia ingrediuntur. *Emmeness.*

Quassans] Concutiens. *Servius.*

26 *Quem vidimus ipsi*] Utrum quia præsentia numina agrestium et ipse et Fauni; an quia solent numina plerumque se rusticis offerre. Unde est, *Satis est potuisse videri.* Notandum sane quod ea numina plerumque quæ amaverunt, dicit ad amatorem venire. Nam Apollo amavit Daphnin; Pan Syringam; Silvanus Cupressum. *Idem.*

27 *Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem*] Ebulum, genus est herbæ, sambuco simile. *Idem.*

Minio] Ideo, quia facie rubra pingitur Pan, propter ætheris similitudinem. Æther autem est Jupiter. Unde etiam triumphantes habent omnia Jovis insignia, sceptrum, palmatam tunicam. Unde ait Juvenalis, *In tunica Jovis.* Faciem quoque de rubrica illinunt instar coloris ætherei. *Idem.*

Minio] Pan non solum dicitur habere faciem miniatam, sed corona, apud Sil. Ital. l. XIII. De minio sic Plin. XXXIII. 7. *Invenitur in argentariis metallis minium, et nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, et quondam apud Romanos non solum maximæ, sed etiam sacræ.* ubi plura. Non tantum miniata fuit Deorum facies, sed et tituli, et librorum inscriptiones minio pingebantur. Ovid. Trist. I. 7.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Inde rubrica, de qua Persius I. 66.

—— *Scit tendere versum.*
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.

Vide Casaub. ad Persii v. 90. et Salm. Plin. exercit. I. p. 267. et 268. Et quia minium nitorem infert, inde *nitor* absolute de *minio* dicitur, quia inter colores floridos et pretiosos, quos Græci *ἀνθηρούς* vocant; eodem teste p. 1041. *Emmeness.*

28 *Amor non talia curat*] Quasi expertus in Syringa loquitur. *Servius.*

31 *Tristis at ille, tamen*] Alii *tamen* superioribus jungunt: sed melius ut sic legamus, *Tamen cantabitis:* ut sit sensus, Licet ego duro amore consumar, tamen erit solatium, quia meus amor erit vestra cantilena quandoque. Videtur enim neque objurgationes, neque consolationes recipere obstinate moriturus; nihil enim ad dicta ab eis respondit. *Idem.*

33 *Arcades*] Pastores; et allegoricŏs ostendit Virgilius, quantum ei præstet, amorem ejus canendo. *Idem.*

Ossa quiescant] Hinc confirmat se esse moriturum. *Idem.*

O mihi tum quam molliter ossa quiescant] In codicibus aliquot antiquis, omnino *quiescent* indicativo modo habetur. Sed quod in Romano codice et in Mediceo *quiescant* optandi modo legitur, longe magis placet. *Pierius.*

Molliter ossa quiescant] Simile est quod sepulchris inscribebatur, *sit tibi terra levis*, his litteris majusculis S. T. T. L. Quod ad verbum pæne interdum Poëtæ usurpant. Ovid.

Ascaniusque suos feliciter impleat, annos,
Et patris Anchisæ molliter ossa cubent.

Mart.

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena.

Ursinus.

Molliter ossa quiescant] Inscriptiones nonnullas congessit Gutherius, quibus cum veneratione salutantur manes II. 13. Brisson. de form. l. I. et Kirchman. de Fun. III. 9. *Emmeness.*

34 *Olim*] Futuri temporis est modo. *Servius.*

36 *Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ*] Ac si diceret, Quid mihi cum urbibus, ubi meretrices tam pulchræ sunt, quam perfidæ? Vinitor autem, vel custos, vel cultor vinearum. *Idem.*

38 *Seu quicunque furor*] Omnis enim amor plenus furoris est. *Idem.*

Seu quicunque furor] Iratus suæ infelicitati, omnem amorem furorem appellavit. Deinde per anthypophoram ostendit, parum interesse, etiàm si non æque formosis in amore uteretur. *Nannius.*

Quid tum si fuscus Amyntas?] Quasi ei objectum sit, quod Amyntas fuscus esset, sic respondit: Quid deinde si fuscus est? *Servius.*

Quid tum] Dilutio objectionis per rejectionem. At Amyntas *fuscus*, et Solis calore denigratus est; ergo deformis. Minime, inquit: nam et violæ et vaccinia, nigricantes flores, venusti habentur. Propertius II. 17.

Vidisti pleno teneram candore puellam:
Vidisti fusco, ducit uterque color.

Taubmannus.

40 *Mecum inter salices*] Videlicet, alteruter, vel quisquis ille, vel illa fuerit. *Servius.*

42 *Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori*] Ac si diceret, Quid te juvat inter frigora Gallicana demorari? et cum optasset aliud, iterum ad amatum rediit. *Idem.*

43 *Hic ipso ævo*] Id est, flore ætatis. *Idem.*

44 *Nunc insanus amor*] Hinc usque ad finem, amatoris inconstantia exprimitur; cui electa displicent statim. *Idem.*

45 *Tela inter media, atque adversos detinet hostis*] Ex affectu amantis ibi se esse putat, ubi amica est: ut *Me*, sit meum animum. *Idem.*

Tela inter media, atque adversos detinet hostis] Amor, verbis utor Musæi, vs. 72.

Ἐστάμενον νόον εἶχε, καὶ ὄμματα, καὶ φρένας ἀνδρῶν.

Non ubi vivunt, sed ubi amant, amore insano qui conficiuntur, et vigilantes, et somniantes, agere dicuntur. Id pessima Lena gloriatur et triumphat apud Plaut. Asinar. I. 3. 4.

Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis.
Remigio veloque quantum poteris, festina et fuge.
Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.

Recte eam appellat *carnificinam* Cistei. II. 1. 1. et seqq. ubi adolescens de se: *Ubi sum, ibi non sum; ubi non sum, ibi est animus.* Ovid. epist. IX. 37.

Inter serpentes, aprosque, avidosque leones

Jactor, et esuros terna per ora canes:
Me pecudum fibræ, simulacraque inania somni,
Omniaque arcana nocte petita movent.
Emmeness.

Adversos hostis] Id est, se pectusque suum pugnæ objicientes, recta fronte, intrepido et virili animo occurrentes; inde *vulnera adversa*, quæ anteriori corporis parte excipiuntur. Salust. bell. Cat. circa finem: *Sed omnes tamen adversis vulneribus concideruut.* Just. IX. 3. *Quippe adversis vulneribus, omnes loca quæ tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt.* Idem.

46 *Nec sit mihi credere tantum*] *Tantum*, quidam, tam longe abest, ut nolim credere, te tam longe abesse: vel certe ordo est, Tu tantum procul a civitate, quæ solebas solis urbibus frui. et per parenthesim dictum est, *nec sit mihi credere:* id est, quod utinam non credam. Hi autem omnes versus Galli sunt, de ipsius translati carminibus. Terentius in *ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, miserumque nimis credere est.* Servius.

Nec sit mihi credere] Si Sanctio fides, subaudiendum, *libido*, id est, *nec libeat mihi credere.* Quem adeas p. 312. *Emmeness.*

47 *Ah dura*] Quæ et amatorem spernis, et Gallicana potes frigora sustinere. *Servius.*

Alpinas nives] Non mirum *Alpes* esse *infames frigoribus*, ut Livius XXI. 31. vel *gelidas* dici, ut Lucanus I. 183. Nam in iis videas *nives cælo prope immistas*, ut Livius XXI. 32. Plura in seqq. cap. de molestissimo Hannibalis itinere per Alpes, *quæ nivibus oppletæ erant, quarum viæ erant insuperabiles.* Sic Florus II. 6. *Medias perfregit Alpes; et in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis nivibus, descendit.* Cui, ut Juven. X. 152.

—— *Opposuit natura Alpemque nivemque.*
Inde Alpes dicuntur *sævæ, hibernæ.* Juven. X. 166.

— *I demens et sævas curre per Alpes.* Horat. Sat. II. 5. 41.

Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
Emmeness.

Et frigora Rheni] Lycoris secuta in expeditione Gallica Antonium, experta est, intensius esse frigus in Gallia, quam in Italia, præcipue qua Gallia spectat septentrionem, et Rhenus habitus fuit pro ejus termino, juxta sententiam Cæsaris, cujus legas divisionem in ipsius commentario de B. G. I. 1. et Mela, II. 5. quare in proclivi est, triti illius proverbii expositio, cujus meminit Petronius: *Frigidior hieme Gallica.* Idem.

48 *Me sine sola vides*] Hinc est, *Sola domo mæret vacua.* nam meretrix sola esse non potest. *Servius.*

Ah te ne frigora lædant] Inconstantem animum expressit, miserantem et optantem. *Idem.*

49 *Teneras plantas*] Ostendit illam pulchram. *Idem.*

Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas] Cum Sanctio pagina 359. subaudito *cave, vide, &c.* Similis cura sollicitabat Phœbum, Daphnidis vestigia excipientem. Ovid. Met. I. 508.

Me miserum! ne prona cadas, indignave lædi
Crura secent sentes: et sim tibi causa doloris.
Aspera, qua properas, loca sunt.
Rubi, sentes, vepres *secare* plantas corpusque dicuntur. Noster Ge. III. 444.

—— *Et hirsuti secuerunt corpora vepres.*
Emmeness.

50 *Ibo, et Chalcidico quæ sunt mihi condita versu Carmina, &c.*] Eubœa insula est, in qua est Chalcis civitas:

de qua fuit Euphorion, quem transtulit Gallus. Et hoc dicit: Ibo, et Theocritio stylo scribam carmina Euphorionis. Alii dicunt ideo magis per Chalcidem Theocritum significari, quod de Calchide profecti sint, qui Naxum in Sicilia condiderunt. Alii volunt ipsum Theocritum de Sicilia ad Chalcidem postea migrasse. Circa hanc Chalcidem ille Euripus est, qui septies in uno die æstu maris fluit ac refluit: sinus ipse in quo supradicta loca constituta sunt, Salganeus dicitur. *Servius.*

52 *Spelæa ferarum*] Græce ait, pro speluncis. *Idem.*

Inter spelæa ferarum] In Rom. codice absque diphthongo *spelea*, veluti etiam in veterum monumentis, non uno loco, neque una ætate scriptum observes, ut illud Romæ, in B. Mariæ, Transpontinæ: *Sacerdos Dei Brotontis et Hecate hoc speleum constituit.* Huic reliquis præteritis illud addam, ex oppido Ficulli Dioc. Urbevetanæ: *Soli invicto Mythræ Tiberius Claudius Tiberi filius Thermodorus speleum cum signis et ara cæterisque votis compos dedit.* Pierius.

Certum est in silvis, inter spelæa ferarum, Malle pati] Deest apodosis: Quam cum tali amore conflictari, aut simile quiddam. *Nannius.*

53 *Malle pati*] Id est, Quidvis perpeti constitui, nempe *pati nives, imbresque, et in silvis asperam vitam trahere, nec sub tecto vivere*, ut Phædrus III. 1. *Pati*, absolute hoc in loco pro *vivere*. Lucanus V. 313.

—— *Et discе sine armis*
Posse pati.

Idem IX. 262.

Et nescis sine rege pati.

Quid sit, *pati suum bonum*, et *pati suum malum*, et utrumque recte dici, docet Tanaquillus Faber ad Phædr. I. 2. *Emmeness.*

Incidere amores Arboribus] Amatoria levitas, perscribero nomina arborum: quæ ut quondam in urbibus ad parietes exarabantur, sic in agris incidebantur in cortices et stipites arborum. Ita Ovid. in Œnones epist.

Incisæ servant a te mea nomina fagi,
Et legor Œnone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt.
Crescite, et in titulos surgite rite meos.

De hoc more vide Aristophanis Interpr. in eum Acharn. locum: ἐν τοῖσι τοίχοις ἐγραφον, Ἀθηναῖοι καλοί. item P. Victor XVI. 5. Vide et Notas Plauti Mercat. II. 3. *Taubmann.*

54 *Crescent illæ*] Quasi ei iterum displicet, ne cum arboribus, ejus crescant amores. Sane breviter dictus iste totus sensus. *Servius.*

55 *Mixtis lustrabo Mœnala Nymphis*] Ἐπαλλαγὴ, pro immixtus Nymphis. multis enim unus miscetur. *Idem.*

56 *Acris apros*] Aprorum acrimoniam referunt scriptores ad dentes hujus feræ, qui sunt naturæ igneæ. Oppian. Cyneg. I. πυρόεντας κάπρους: *ignitos apros.* et in III. ait, in dente illius esse πυρόεσσαν ἐνιπήν: *vim igneam.* Ideo comparant cum fulmine, Ovid. Met. X. *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.* et VIII. *Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.* De eodem alibi: *Fulmineo rapidos cum rotat ore canes.* Martial. XI. *Fulmineo spumantis apri sum dente peremptа.* Sed certe Aristot. de part. Animal. II. 4. ait, apros esse acres, iracundos, animosos, quod habeant sanguinem multis fibris confertum: quam et animalia, quibus dilutior est sanguis, imbellia sunt. *Cerda.*

Vetabunt Frigora] Quasi amore ardens loquitur. *Servius.*

57 *Parthenios canibus circumdare saltus*] Parthenius mons est Arcadiæ dictus a virginibus, id est ἀπὸ τῶν παρθένων, quæ illic venari consueverant: vel a Parthenio Jovis filio, Arcadis fratre; vel quod ibi virgi-

nitas Calistonis delibata sit; vel quod Partheniæ, Lacedæmonii, duce Phalanto, ibi aliquando consedissent, priusquam in Italiam navigarent, ac Tarentum conderent. *Idem.*

Parthenios saltus] Id est, Arcadios. Ovid. ep. Heroid. IX. 48.

Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen.

De hujus Arcadiæ montis memorabilibus Pausanias l. VIII. in fine: et Mela II. 3. *Emmeness.*

59 *Torquere Cydonia*] In Rom. codice *Cydonea*, et ita in Oblongo perveteri. *Pierius.*

Partho Cydonia] Luxuriosa magnificentia: siquidem ad arma unius sagittarii instruenda, diversarum gentium artificia contraxit. Æn. XII.

Parthus sive Cydon telum immedicabile torsit.

Cydonia autem *spicula* sunt Cretica. Nam Creticæ arundines inprimis idoneæ ad jacula et sagittas habitæ. *Spicula* proprie non sagittas esse, dictum Æn. v. *Taubmannus.*

60 *Tanquam hæc sit nostri medicina laboris*] Jam quasi ad se recurrit: et illud quod supra audiit, respicit, *Amor non talia curat.* Servius.

62 *Jam neque Hamadryades*] Amantis animum expressit, cui quod ante placuit, statim displicet. Nymphæ quæ cum arboribus et nascuntur et pereunt, ἀπὸ τοῦ ἅμα καὶ τῆς δρυός qualis fuit illa, quam Erysichthon occidit: qui cum arborem incideret, et vox inde erupit, et sanguis, sicut docet Ovidius. Dryades vero sunt quæ inter arbores habitant: Oreades quæ in montibus. Sane ab ovibus Nymphæ Peribelides; a fluminibus Najades; a pratis Limoniades; ab alimonia infantum Curotrofæ nominantur. Hoc autem ad superiora pertinet, quia dixerat, *Mixtis lustrabo Mænala Nymphis.* Idem.

Hamadryades] De his, sic schol. ad Apollon. Rhod. II. 479. Ἁμαδρύαδας νύμφας μυησίμαχος φησὶ, διὰ τὸ ἅμα ταῖς δρυσὶ γεννᾶσθαι. ἢ ἐπεὶ δοκεῖσιν ἅμα ταῖς δρυσὶ φθείρεσθαι, νύμφαι ἁμαδρύαδες λέγονται. *Emmeness.*

Nec carmina nobis Ipsa placent] Quia dixerat, *Carmina pastoris Siculi modulabor avena.* Serv.

Nec carmina] In Romano codice et aliquot aliis *nec* habetur, in nonnullis vero, *neque.* Pierius.

63 *Ipsæ rursus concedite silvæ*] Propter illud, *jam mihi per rupes videor, lucosque sonantis Ire.* Concedite vero hic, abite. supra aliter, *concede labori.* Servius.

64 *Non illum nostri possunt mutare labores*] In codicibus aliquot antiquis *nostri*, sed in aliis quibusdam *vestri* habetur. *Pierius.*

65 *Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus*] Manifestius hoc dicit, amore se carere non posse: nec si Hebrum Thraciæ fluvium mediis frigoribus bibat: nec si æstibus nimiis fuerit in ardenti provincia. Dicit autem hoc secundum Physicos, qui morbos aut a contrariis aut a similibus asserunt posse depelli. Sic Theocritus, Εἴης δ' ἡδυπνόων μὲν ἐν οὔρεσι χείματι μέσσῳ, Ἔβρον παρ' ποταμὸν τετραμμένος, ἐγγύθεν ἄρκτου· Ἐν δὲ θέρει πνοιῇσι παρ' αἰθιόπεσσι νομεύοις. *Servius.*

Bibamus] Id est, apud Hebrum vivamus, sedes habeamus. Sic Virgilius Æneidos septimo:

Qui Tybrim, Fabarimque bibunt.—— Nannius.

66 *Sithoniasque nivis*] Sithon est mons vel gens Thraciæ. *Servius.*

Sithoniasque nivis] Thraciæ partem *Sithoniam* dictam esse a *Sithone*, ex verbis Plinii est liquidum. IV. 11. *Sithoniique Orphei vatis genitores obtinent.* De Thracibus sic Horat. od. I. 18.

—— *Monet Sithoniis non levis Evius.*

A Sithon *Sithonis.* Ovid. Heroid. ep. II. 6.

Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.

De altissimis hujus regionis nivibus, Horat. od. III. 26.

Memphim carentem Sithonia nive.
Emmeness.

67 *Liber*] Corticis pars interior. *Servius.*

68 *Versemus*] Pascamus, quoniam qui pascit huc et illuc agit pecus; quod est versare, ut est in Æn. XII. *tu currum deserto in gramine versas;* aut exerceamus et tractemus, ut in undecimo, *Consilio versare dolos ingressus;* et item, *Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.* Idem.

69 *Omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori*] Cuivis enim facilius quam amori repugnatur, quod eleganter Plautus explicuit. *Qui amans egens ingressus est princeps in Amoris viam, superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis; nam cum Leone, cum Excetra, cum apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis, cum Antæo med' eluctari malueram, quam cum Amore.* Idem.

Omnia vincit Amor] In Rom. *vicit.* Sed præsenti tempore pius dicit. *Pierius.*

Omnia vincit Amor] Amor suis legibus et Deos habet obnoxios, ut Ovid. Heroid. ep. IV. 11.

Quicquid Amor jussit, non est contemnere tutum.
Regnat, et in dominos jus habet ille Deos.

Domina Venus, ut Petronius, nec regibus, nec principibus parcit, ut Ovid. in eadem ep. vs. 161.

Nobilitas sub Amore jacet.

Recte Deianira ad sanitatem Herculem sic revocare conatur, ut Idem Heroid. ep. IX. 25.

Quem non mille feræ, quem non Stheneleïus hostis,
Non potuit Juno vincere, vincit Amor.

Emmeness.

70 *Hæc sat erit*] Jam ad Musas loquitur. *Servius.*

Hæc sat erit, divæ] Imitatione Homeri, *Musas divas* dixit. Sic enim ille in Iliad. A.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ, et alibi Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε.

Ursinus.

71 *Gracili fiscellam texit hibisco*] Ac si diceret, Nisi hac re occupatus minime canerem. Allegoricûs autem significat se composuisse hunc libellum tenuissimo stylo. *Servius.*

Fiscellam] *Fiscella* varias habet significationes: nonnunquam *vas vimineum, per quod defluit serum*, ut apud Tibull. II. 3. aliquando *sportam vimineam, qua pisces asservantur.* Sæpe etiam *receptaculum nummorum*, ut Asconius p. 50. Cujus addo verba: *Sportæ, sportulæ, sportellæ, nummum sunt receptacula, et sacci, sacculi, saccelli, et crumenæ et vellereæ, et scorteæ, et manticæ, et marsupia. Ita fisci, fiscini, fiscellæ, spartea sunt utensilia, ad majoris summæ pecunias capiendas.* Hic autem Servii auctoritatem sequamur. *Emmeness.*

73 *Cujus amor tantum mihi crescit in horas*] Admodum jucunda comparatio, qua usus est etiam Pindarus Nemeorum εἴδ. VIII.

Αὔξεται δ' ἀρετὰ, χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρον ἀΐσσει, σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε, πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.

Clemens quoque in Pædagogo hujusmodi quandam sententiam adducit:

Ἀρετὰ γὰρ ἐπαινομένα δένδρον ὡς ἀέξεται.

Horat. Carm. l. I.

Crescit occulto velut arbor ævo
Fama Marcelli.

Ursinus.

74 *Quantum vere novo viridis se subjicit alnus*] Vere novo, vel generaliter, vel sibi novo: viridis autem pro tenera; et hoc dicit: Amo, inquit, Gallum, sed latenter, sicut arbores crescunt. Nam comparatio ista hoc significat: scilicet propter Cæsarem. *Subjicit*, vel sursum jacit, vel subter jacit. *Servius.*

Viridis se subjicit alnus] Forsan *subji-*

cit ita accipiendum; ut *submittit* apud Lucretium lib. I. *tibi suaves Dædala tellus, Submittit flores.* Et Ge. II. et alibi, *Parnasia laurus Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.* Ubi *subjicere, se surrigere et attollere* significare videtur. *Germanus.*

75 *Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra. Juniperi gravis umbra. nocent et frugibus umbræ*] In codicibus aliquot antiquis totus ille versus *Juniperi gravis umbra. nocent et frugibus umbræ.* desideratur. Sed enim et numerus ipse, et figura et repetitio, collectioque pastoralis adeo videtur, ut non sine invidia demi possit. *Pierius.*

Solet esse gravis cantantibus] De gravitate umbræ Juniperi, et an noxia sit, varie disputatum. Sunt etiam qui legant *Cunctantibus*, pro *cantantibus*, et talem inde sensum eliciunt: Surgendum a cantu; quod umbra adventantis noctis gravis sit, atque adeo etiam Juniperi, quæ alioqui grata: si ergo in noctem sub ea cuncteris, &c. Vid. *Rob. Titium.* X. 1. De Junipero Theophr. Hist. Pl. III. 12. Plin. XXIV. 8. Dioscor. I. 88. ne nociva umbra dicemus, Ge. I. 121. *Emm.*

76 *Nocent et frugib s umbræ*] Quanto magis hominibus? Unde est in Georgicis, *Et ruris opaci Falce premes umbram;* et item alibi, *aut umbra nocet.* Servius.

77 *Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ*] Verecunde se capellarum dicit esse pastorem, i est, vilissimorum animalium. nam Bucolica scribens, debuit se dicere, bonum esse pastorem: sed vitan arrogantiam, ultimum se voluit esse, non principem in scribendis Bucolicis: quamvis alii dicant, ideo eum etiam capellarum se memorasse pastorem, quod apud nonnullos de capris propter abundantiam lactis ve fœtuum, major fructus putetur; u se ait, *Densior hinc soboles, hinc lar i copia lactis.* Et item, *Quo minor est illis curæ mortalis egestas.* Idem.

Hesperus] Ἕσπερος, qui Latine *Vesper*, Catullo *Noctifer:* Plauto etiam *Nocturnus*, item *Vesperugo* dictus Amphitruone I. 1. 119. *Taubm.*